OPUSCULA LATINA.

COLLEGIT ATQUE EDIDIT

JOH. JAC. HENR. NAST,

PHILOS. D. ET PROFESSOR QUONDAM ACADEMIAE CAROLINAE ET GYMNASII STUTTGARTIANI.

PASTOR NUNC PLOCHINGENSIS.

TUBINGAE,

IMPENSIS HENR. LAUPP.

MDCCCXXI.

OPUSCULA LATINA,

COLLEGIT ATQUE EDIDIT

JOH. JAC. HENR. NAST,

PHILOS. D. ET PROFESSOR QUONDAM ACADEMIAE CAROLINAE ET GYMNASII STUTTGARTIANI

PASTOR NUNC PLOCHINGENSIS.

PARS SECUNDA.

TUBINGAE

IMPENSIS H. LAUPP.

MDCCCXXI.

INDEX.

I.

COMMENTATIO IN REM TRAGICAM GRAECORUM. 1778.

Ludorum istorum, quorum olim summa fuit in Graecia celebritas et fama, haud exiguam partem constituunt ludi, qui vocantur scenici atque inter hos inprimis tragici. Norunt omnes, quot quot in rebus Graecorum non prorsus hospites sunt, quanta fuerit Olympicorum, Nemaeorum, Isthmicorum atque Pythiorum ludorum auctoritas, quam frequentes confluxerint Graeciae cives ad haec certamina, quantus tandem honos fuerit eorum, qui victores ab hac illustri palaestra discesserunt. Hi vero ludi maxime constabant exercitiis corporis, ut videlicet corpora civium majus robur acquirerent, et ad perferendos labores belli idonea redderentur. Neque tamen minor fuisse videtur ludorum scenicorum apud Graecos dignitas. Namque et hos publice ex decreto et consensu Magistratus et populi in maxima hominum frequentia actos fuisse, neque solum ad

oblectandos, sed etiam ad instruendos emendandosque civium animos spectasse vix quemquam latebit. Patet vero etiam exinde, quod hoc loco praemonendum esse duco, quanta fuerit praestantissimae hujus atque acutissimae gentis industria, ut non corporis tantum sed et animi curam cives gererent, ut confluentes ad varia ista ludorum genera non modo corpus exercerent et obdurarent, sed animum quoque acuerent, eumque omnis civilis honestatis genere imbuerent. Porro id quoque consequitur exinde, majus paene scenicorum quam reliquorum ludorum fuisse pretium, quippe quod hi tantummodo circa corpus, illi vero praecipue circa formandum animum versentur. Et quemadmodum denique illi, de quibus supra diximus, ludi solo certamine constabant, ita etiam in scenicis potissimumque tragicis ludis res se habet, per quos nimirum instituta sunt certamina tragica, in quibus Poëtae de palma ipsis a populo concedenda inter se contendebant. Facile perspicitur, quantum istis concertationibus auctum fuerit et amplificatum universum artis poëticae studium. *)

§. 2.

Varia fuerunt apud Graecos genera scenicorum ludorum, quos communi nomine δράματα vocabant, quod imitarentur agendo; tragoediae nimirum, comoediae, satyrae, quibus denique adjungendi sunt mimi. Posteriores tamen ludi multo viliores erant atque ad recreandam tantum-

*) Hinc Aristoteles in Poëtica Tragoediam vocat ἀγῶνα utiturque phrasi τραγῳδίαις ἀγωνίζεσθαι.

modo plebem inventi hujusque gustui accommodati. Neque etiam veteris Comoediae alia erat ratio, donec tandem ab effusa ista licentia, quam ex satyrica poesi acceperat, ad moderatius dicendi genus revocaretur. Contra vero tragoediae longe praestantior erat indoles, illustrior forma et magnificentior: haec enim, ut principibus quoque et optimis quibusque Viris posset placere, spectabat altiora, neque solum putabatur oblectare spectatores per aliquot horas, sed etiam docere, eosdemque propositis ante oculos exemplis humanae sortis adigere, ut recte discerent de rebus humanis sentire recteque agere. Missis igitur reliquis dramatum speciebus, quas modo allegavimus, solam considerabimus Graecorum tragoediam, et quasdam proponemus observationes, quae ad illustrandam rem tragicam Graecorum aliquid nobis conferre videbantur. Ita vero in hac materia versabimur, ut primo dicturi simus de origine, incremento et decremento tragoediae, expositituri postmodum ejusdem formam et indolem, denique finem atque influxum tum in rem publicam, tum in patriam Graecorum religionem a majoribus ipsis traditam.

§. 3.

Antiquissimam esse poesin dramaticam atque ab ipsa quasi natura introductam, facillime intelligitur. Homines enim omnes imitatione gaudent, et naturali quadam animi proclivitate feruntur ad imitandum id, quod ipsorum oculis subjectum est et propositum. Qua in re ut Aristoteles in Poetica dicit, homines praecipue differunt a brutis, ut pleraque facillime possint imitari, atque ut imitando prima

cognitionis elementa hauriant, id quod videmus in infantibus et puerulis. Inde etiam fit, ut in omnibus gentibus, si vel maxime rudes sint, dramaticae artis vestigia deprehendantur, licet ingenio deficiente ea nunquam fuerit exculta. Quamvis autem fabulae primum oblectationis potissimum causa videantur inventae fuisse, alter tamen fabularum finis, qui ponitur in vitae ratione rite instituenda; corrigendisque moribus hominum, nun multo post accessit. Id enim agebant fabularum scriptores, ut oblectando simul etiam prodessent, dulcibus utilia miscerent, ac ridendo fingendoque vera dicerent; adeoque fieri aliter haud poterat, quin spectantes vel audientes derisis aliorum vitiis vel propositis virtutum exemplis stimularentur ad vitia declinanda virtutemque amplectendam. Neque etiam negari posse existimamus, istam consuetudinem vitiorum virtutumque exempla proponendi iisdemque homines erudiendi primo isti aevo moribusque adhuc incultis maxime fuisse accommodatam. Fortius enim afficiunt animum, quae in oculos simul incurrunt, quam quae auribus tantum percipiuntur, et exempla facilius insinuantur animis barbarorum atque agrestium hominum, quam praecepta nudis verbis proposita. Haec igitur universae Poëseos dramaticae origo, ad quam inveniendam ipsa natura hominem duxit. Videndum jam, quaenam fuerit origo tragoediae graecae, cujus causa haec praefati sumus.

§. 4.

Omnes in eo consentiunt, tragoediam Graecorum natam esse e choris, seu ex hymnis in honorem Bacchi de-

cantatis. Hoc maxime apparet ex indole tragoediae Graecae, e qua chorus nunquam poterat abesse, quamquam inter partes fabulam constituentes referri nequaquam potest. Idem vero etiam patet ex testimoniis antiquissimorum scriptorum v. c. Aristotelis in Poëtica C. 4. Maximi Tyrii sermone 21. Pausaniae, quem citat Eustathius in Odysseae Ξ; Horatii in Epistola ad Augustum Lib. II. Epist. 1. v. 139 — 146. Virgilii in II. Georg. v. 380 — 385. Perspicitur ex hisce testimoniis, tragoediae originem repetendam esse a festivis et religiosis carminibus, quae ad laudem Deorum pertinebant. Antiquissimi enim Graecia incolae per pagos dispersi frugibus collectis conveniebant, partim, ut sacrificarent Libero patri, partim, ut relaxarent animum. Exinde duplex nata est poësis, una gravior in laudem Deorum, altera jocularis, qua alii in alios probra dicerent. Priorem constituunt dithyrambi patris Liberi (διθύραμβοι) Deorum hymni, encomia heroum; ad alteram autem referuntur jambica (ἰαμβεῖα) jocosa et lusoria carmina et (φαλλικὰ) phallica, obscoenius carminis genus. At rudia primum fuere initia, et versus inconditi: postea paulatim Deorum Heroumque gesta in majus aucta sunt, et in justas excrevere fabulas; itemque joculares illi versus coeperunt arte tractari. Ita ex priori genere nata est poesis tragica; ex posteriori satyrica, comica et mimica.

§. 5.

Ex illis, quae de origine tragoediae diximus, facile potest judicari, primis quidem temporibus vel nullum vel saltem exiguum intercessise discrimen inter tragoediam atque

comoediam, neque fines utriusque accuratius fuisse descriptos. Commune utriusque nomen erat fabula. Testatur idem Athenaeus Libro II. *) Ipsum vero tragoediae nomen compositum est ex vocibus τραγος et ωδη, vel quod tragoedia fieret in honorem Bacchi, cui hircus, vinearum hostis, mactabatur, vel quod hircus certantibus praemium foret. Vocabatur etiam τρυγῳδια vel quod ageretur post messem, vel vindemiam (τρυγην) vel quod actores scenici fecibus (τρυξιν) ora perlinerent ante personarum usum ab Aeschylo repertum. Neque desunt, qui tum tragoediae tum Comoediae inventionem tribuant Homero, arbitrantes eum Iliade Tragoediae, Odyssea autem vel potius Margite Comoediae imaginem condidisse. Haec vero conjectura nullo prorsus fundamento nititur. Chori enim isti, e quibus ex antiquissimorum scriptorum testimonio successu temporis orta est tragoedia, vetustiores sunt aevo Homeri, et jam Thesei temporibus viguerunt, qui diu ante Homerum vixit, si quidem verum est, quod nonnulli scriptores tradunt, tragicos ad sepulcrum hujus regis certasse; neque tamen de eo dubitari potest, Homerum carmine suo epico, in quo excidii Trojani causas, eaque, quae ipsum excidium praecesserunt, cecinit, materiam tragicis, qui post eum inclaruerunt, suppeditasse, magnamque exemplorum copiam proposuisse, quibus post modum celeberrimi Graecorum tra-

*) Απο μεθης και ἡ της κωμωδιας και η της τραγωδιας ευρεσις, εν Ικαριω της αττικης ευρεθη, και κατ' αυτον τον της τρυγης καιρον. Αφ ε δη τραγωδια τε πρωτον εκληθη και κωμωδια.

gici, aucta jam et exculta re tragica, ad conscribendas tragoedias usi sunt. Et haec mihi videtur esse mens Platonis, qui sub initio Libri X. de republica sic de Homero scribit. εοικε τον καλων απαντων τυτων των τραγικων πρωτος διδασκαλος τε και ηγεμων γενεσθαι. Plurimae enim, quae supersunt tragoediae circa idem argumentum versantur, quod jam Homerus tractaverat, bellumque spectant trojanum, quod ex praestantissimo carmine hujus poetae summam inter Graecos celebritatem nactum est, quamquam ipsae res gestae, quae tragoediarum argumenta constituunt, vel prorsus sint aliae, vel ex ingenio tragicorum immutatae, in quo quidem licentiam poeticam recte sibi vindicarunt Tragici. Insigne hujus rei exemplum habemus in Euripidis Helena, qui refragante communi opinione fingit, Helenae tantummodo simulacrum Trojam esse deportatum, ipsam vero in Aegyptum translatam, adeoque Graecos de umbra per decem annos pugnasse. Extant vero aliae etiam tragoediae, quarum argumentum totum ex Homero est desumtum, videlicet Euripidis Rhesus et Cyclops, quarum altera fabula petita est ex Libro Iliadis X. altera vero ex libro Odysseae IX. Neque vero putemus, hanc tragicorum consuetudinem fabularum argumenta ex Homero seligendi ortam esse ex quadam ingenii inopia vel imbecillitate, sed haec potius est causa, quod intelligerent, tantam apud cives esse famam Homeri, ut eo quasi oraculo et magistro uterentur; quod viderent, ejus carmina in ore omnium esse, adeoque se civibus plurimum fore gratificaturos, si argumenta ab Homero jamjam tractata in fabulis retractarent. Quod autem hunc argumentorum selectum non ex

ingenii penuria fecerint, luculenter apparet exinde, quod tales etiam componerent tragoedias, quarum argumentum prorsus alienum est ab illis rebus gestis, quas ab Homero descriptas invenimus. Neque tandem, quem sequebantur, Homerum serviliter imitati, sed ea potius, qua poetam decet, libertate semper usi sunt.

§ 6.

Haec etiam a nonnullis quaestio agitata est, utrum tragoedia an commoedia antiquior sit, utrum haec an illa prius coeperit. Verum illi, qui Comoediam prius coepisse arbitrantur, recte mihi videntur statuere, quamvis illud extra omne dubium sit positum, Tragoediam prius fuisse excultam. Utraque quidem, ut in antecedentibus jam dictum fuit, originem traxit e choris, in honorem Bacchi institutis, Chorique isti primam dederunt occasionem inveniendae tum tragoediae tum Comoediae. Cum vero ii, qui Choros peragebant, coepissent illis aliquid adjicere, fictasque narrationes vel fabulas interponere canticis, primum quidem ad jocos delapsi sunt et convicia, antequam serias et lamentabiles res proponerent spectantibus. Talis omnium fabularum erat ratio, quae quidem Athenis totaque Graecia ante Aeschylum prodierunt. Quamvis enim hae fabulae tragoediarum prae se ferant nomen, earumque auctores, quorum Athenaeus et Suidas mentionem faciunt, verbi causa Epigenes Sicyonius, Thomis, *) Pratinas Phliasius **) atque adeo Thespis, ve-

---

*) vid. Scholiastes apud Stanleium in Observ. super Aeschylum, qui dicit: ουτος πρωτος εξευρε τραγωδικας μελωδιας.

**) Suidas: πρατινας πυρρωνιδα φλιασιος ποιητης τραγωδιας, ος πρωτος εγραψε σατυρας.

carentur tragici; illud tamen cognomentum non eo sensu est accipiendum, quo postmodum fuit usurpatum, sed inter Jambicos potius et Satyricos vel quod idem est, inter cavillatorios poetas debent referri. Primus demum Aeschylus tragoediam a Comoedia vel potius satyrica distinxit, atque ita utriusque poematis fines accuratius definivit. Abunde hinc elucere existimo, Comoediam prius coepisse quam Tragoediam; at eadem quoque certitudine constat, excultam prius atque absolutam fuisse posteriorem. Floruit enim ut omnes norunt, tragoedia eo potissimum tempore, quo Sophocles et Euripides in ea tractanda versarentur, horumque Virorum opera ad summum evecta est fastigium; Comoediae contra progressus et incrementa multo erant tardiora, nondum enim isto aevo a prisca cavillandi lascivia, nondum a mordaci et maledico dicendi genere, nondum ab obscenis illis salibus, quibus quondam scatebat, repurgata erat, nec veris abstinebat nominibus personarum, quarum vitia naevosque ridere atque in ludibrium adducere consueverat. Satis est, allegasse comoedias Aristophanis, qui Sophoclis et Euripidis coaevus fuit. Menander demum novae Comoediae inventor, majorem huic dramati decorem conciliavit. Atque hinc patet, maturiora fuisse incrementa tragoediae. Hanc etiam ob causam Aristoteles in poetica dicit, Athenienses tragoediae studiosiores fuisse quam comoediae, cujus quidem rei ratio non longe est repetenda. Plurimi enim vel ipsi sibi metuebant ab ista comicorum cavillandi licentia, vel saltem indignius ferebant istorum poetarum, optimos quosque Viros in odium invidiamque civium adducendi, consuetudinem. Non enim malos

tantummodo cives verborum flagellis castigabant, sed interdum erga bonos quoque injuriosi erant, eosdemque nominatim in scena perstringebant. Serius enim discebant Comici vitia carpere, personis abstinere atque in depingendis vitiis ita versari, ut non hujus vel illius hominis, sed universae hominum classis, ut non ex singulari sed ex communi quodam exemplari decerpta esse videantur.

§. 7.

Sed redeamus iterum ad rem. Vidimus hactenus originem atque initia tragoediae Graecae; jam vero necesse est, ut consideremus etiam progressus et incrementa, quibus postmodum aucta fuit universa res tragica. Haec scilicet a parvis et vilibus initiis crevit, nec subito sed sensim, nec unius hominis sed plurium virorum opera perfecta fuit. Multorum certe itemque acutissimorum virorum desiderabantur consilia, studia ac molimina, ut opus illud illustre tragoediae posset prodire, quod nunc recentiores recte mirantur et tanquam exemplar quoddam excellens intuentur. Primum quidem, ut ex Aristotele notavimus, Tragoedia constabat αὐτοσχεδιάσμασι subitis atque extemporaneis carminibus et ludis, quos interserebant choris; dicendi genus erat horridum et agreste, et nil fere continebat praeter insulsos jocos vel convitia quibus lacessebautur adstantes ab histtionibus. Deinde vero jocis istis abjectis serias res proponebant, seligebant argumenrum quoddam actionis, memorabiles nimirum res gestas, quas agendo imitabantur, dicendique genus rebus magis accommodabant. Atque id postmodum ita magis magisque auctum est, ut fabulae prodirent artifi-

ciosae, perfectae atque in optimum ordinem digestae. Neque tamen tragoedia vel eo quoque tempore, quo maxime florebat, ita fuit expurgata, ut vestigia quaedam priscae originis non apparerent. Adhibebant enim in tragoediis ad leniendam rerum atrocitatem Satyros, qui spectantes metu perculsos et misericordia commotos a vehementioribus istis animi motibus ad risum permoverent, eorumque animos jocando demulcerent. Duplex vero erat satyrici hujus dramatis ratio; vel enim finita tragoedia postliminio Satyros introducebant, ut satyricum drama appendix (*ein Nachspiel*) esset tragoediae, vel integras fabulas satyricas producebant in theatrum, ex quarum numero Euripidis Cyclops est, cujus supra jam mentionem fecimus. *)

§. 8.

Primus vulgo tragicorum censetur Thespis Atheniensis qui vero magis, ut jam monuimus, inter Jambicos referri meretur. Ex iis, quae de constitutione tragoediae sub hoc viro in litteras relata sunt, clare perspicitur, eam fuisse inopem, omni arte, pompa, rerumque cohaerentia destitutam. Pauca certe sunt, quae de ipsius fabulis novimus.

*) Huc spectat locus Zenobii centuria IV. adagio XL., ex quo simul ratio perspicitur, cur Satyros in Tragoediam introduxerint. Locus autem hic est: Των χορων εξ αρχης ειθισμενων διθυραμβον αδειν εις τον Διονυσον, οι ποιηται υστερον εκβαντες την συνηθειαν ταυτην Αιαντας και Κενταυρους γραφειν επεχειρουν. Οθεν οι θεωμενοι σκωπτοντες ελεγον; ουδεν προς τον Διονυσον. Δια γουν τουτο τους σατυρους υστερον εδοξεν αυτοις εισαγειν, ινα μη δοκωσιν επιλανθανεσθαι του θεου.

Habebat theatrum ambulatorium, quod e plaustris fabulas agebat; utebatur unico tantum histrione, qui μονωδια fabulam quandam recitabat; pluresque forsan personas mutata voce agebat. Fabulas istas ab histrione recitatas dicteriis refertas fuisse patet ex illo Graecorum proverbio εξ αμαξης λεγειν (e plaustro loqui) quod idem est ac jactare convicia. Hanc ob causam et quod insulsa etiam figmenta in medium proferret Thespis; Solon, qui tum civitatis erat praefectus, hominem prohibuit tragoedias agere. Testatur id Diogenes Laertius in Vita Solonis dicens: και Θεσπιν εκωλυσε τραγωδιας αγειν τε και διδασκειν ως ανωφελη την ψευδολογιαν. Idem quoque Thespis histrionum ora minio vel potius fece obduxit; vel ut risum cieret fpectantibus e plebe, vel ut ea, quae dicebat histrio, eo majorem veritatis speciem nanciscerentur, si nescirent spectatores, quisnam esset, qui personam ageret, vel tandem, ut ignorarent auditores, a quonam homine venirent convicia illa in ipsos congesta. Haec omnia forsan spectabat Thespis morem hunc ora perlinendi introducens. Successit Thespidi discipulus Phrynichus *) itidem

*) Themistocles quondam spectaculi a Phrynicho dati sumtus in se suscepit. Generatim heic monendum esse arbitror, primis temporibus fabulas privatorum sumtibus actas fuisse, quum postea publicis agerentur. Neque hujus rei ratio in eo quaerenda esse videtur, quod facultates rei publicae defuerint, sed quod talis tum erat tragoediarum indoles, ut, magistratui placere nullo modo possent. Eundem Phrynichum dicunt aliquando 50 drachmarum mulctam solvisse, quod composuisset fabulam obscrnitate laborantem eventusque atrociores continentem.

Atheniensis, magistro non multum praeferendus; hujus namque tragoediae pariter satyrici generis sunt, nec aliud quidquam de eo constat, quam quod primus mulieres in scenam introduxerit.

§. 9.

Celeriora fuerunt rei tragicae incrementa post Phrynichum, quum Aeschylus hoc opus esset aggressus, quem ipsi Athenienses parentem Tragoediae vocarunt, cujusque fabulae primum auctoritate publica publicisque sumtibus actae sunt. Operae pretium est merita ab hoc viro in rem tragicam profecta singulatim recensere. Hic enim vir non externam tantum tragoediae formam in melius mutavit, majoremque illi splendorem conciliavit, sed internam praecipue naturam definivit, veramque primus animo concepit Tragoediae ideam, quam successores ejus secuti summam et sibi et populo gloriam compararunt. Dolendum sane est, non plures quam septem summi hujus viri superstites esse tragoedias; sed ex his tamen, quamvis parvus earum sit numerus, divinum auctoris ingenium abunde elucescit. Omnes enim Aeschyli fabulae verum exprimunt Tragoediae χαρακτῆρα, qui ponitur in excitando terrore et commiseratione, *) deinde duos adhibuit histriones adeoque diverbia induxit, horum autem partes ita distribuit, ut alter esset πρωταγωνιστης (priorum partium) alter δευτεραγωνιστης (secundarum partium.) Porro chorum imminuit,

---

*) Loca, quae huc spectant, deprehendimus in Aristotelis poëtica cap. 4. apud Athenaeum Lib. 1. apud Philostratum in Vita Apollonii Libro 6. cap. 6. in Horatii arte poëtica.

caedesque a scena removit; pulpita etiam reperit, ut actores e sublimi melius conspicerentur et audirentur; tandem etiam personas indumentaque personis tragicis magis apta instituit. Quae quidem posteriora, quamvis externam tantum tragoediae formam spectent, multum tamen contulerunt ad perficiendam tragoediam universam, ut aucto splendore, aucta gravitate, spectantibus magis magisque commendare se posset. Jam vero singulatim ea, quae de meritis Aeschyli in hoc artis genere diximus, perlustremus, ut clarius innotescat, quantum debeat huic viro universa res tragica.

§. 10.

Veram itaque et genuinam, quod omnium primum est et maximum, tragoediae indolem constituit Aeschylus. Primum enim abjectis istis jocis ac ineptiis, quae ante ipsum rem tragicam inquinaverant, selegit argumentum fabulae non fictum, sed verum, serium, grande et sublime, quod magis doceret quam oblectaret, quod spectantium animos magis moveret et concuteret, quam suaviter afficeret; luctuosum denique, ex quo nasci posset pavor et commiseratio. Atque hunc tragoediae characterem postmodum etiam in fabulis expresserunt Sophocles et Euripides, magistri vestigiis firmiter insistentes. Omnes enim utriusque fabulae ita sunt comparatae, ut tales proponerent res gestas, tales eventus, qui in animis spectatorum excitent terrorem et commiserationem, eosdemque vehementi quodam impetu ad affectus istos rapiant.

Neque vero Aeschylus in inveniendo tantum, sed etiam in disponendo magnus fuit et eximius, qua in re maxime

cernitur poetae ingenium. Hujusmodi vero rectae dispositionis virtus est, ut si vel addas vel demas quidquam, universus ordo, partiumque singularum cohaerentia destruatur, ut nihil sit positum, quod ex iis, quae antecedunt, intelligi non possit; uno verbo, ut omnes inter se partes justo quodam ordine cohaereant. Atque hanc bonae dispositionis virtutem fabulis Aeschyli imprimis esse propriam, omnes profecto sentient, qui in legendo Aeschylo versantur. Tanta enim est concinnitas et simplicitas fabularum Aeschyli, ut quid illis addi vel demi possit, non appareat; omnes autem partes, ex quibus fabula constituitur, ita inter se connectuntur, ut nunquam desideretur ordo lucidus. Abhorrebat ab ista recentiorum Dramaticorum luxuriosa sedulitate, qui, dum scribunt fabulas, semper aliquid novi et inusitati moliuntur; qui crebra fabulis inserunt episodia, quae ex tota fabulae structura ne divinari quidem possunt; eo videlicet consilio, ut inopinatis eventibus in admirationem et stuporem convertant spectatores, adeoque nova et inexspectata rerum vicissitudine compensent, quod in ipsa fabulae structura de est ad afficiendos spectantium animos et in summa rei defigendos. Ab hac vitiosa recentiorum vanitate alienissimus erat Aeschylus, qui in fabularum compositione illud maxime sectabatur, ut spectatores statim in rem ipsam deducerentur, atque ab initio usque ad finem actionis in affectibus rei propositae accommodatis detinerentur. Nihil sane deprehenditur in Aeschyli fabulis, quod sine ratione sufficienti esset positum, quod non proxime ad ipsam rem spectaret, quae auribus oculisque proponitur. Eventus et res, quae pertinere videntur ad actionem propo-

ſitam, non multiplicantur ſed potius contrahentur; ne ſpectantis attentio distrahatur, aut in alium finem dirigatur, ut paucis dicam, apparet in tragoediis Aeschyli ſublimis illa ſimplicitas, quam in omnibus artium operibus veteres ſecuti immortalem ſibi pepereunt gloriam.

§. 11.

Ne vero videamur in Aeschylo laudando nimii esse, illustri exemplo ſententiam nostram comprobemus; et illa quidem fabula, cujus inſcriptio est χοηφοροι. Proponit haec fabula caedem Aegisthi et Clytemnestrae, ab ipſo filio Oreste Apollinis jussu patratam. Rem ſane terribilem et lamentabilem! Neque vero tantummodo de qua ſermo est, fabula genuinum prae ſe fert tragoediae caracterem, ſed egregia quoque et apta, neque tamen artificiosa diſpoſitione ſe commendat. Haec enim ſumma fabulae virtus est, ut, qua arte partes inter ſe cohaereant, vix ac ne vix quidem appareat, ut eventus rerumque mutationes ita contingant; ut praeparatus auditor in consecutione rerum nil miretur; e praesentibus futura praevideat, tandemque rem aliter contingere non potuisse firmiter perſuadeat ſibi. Atque hanc virtutem fabulae, quam commemoravimus, inesse statim patebit, ſi partium conjunctionem, e quibus componitur, jamjam breviter indigitemus. Videamus itaque, quomodo Poeta in hac materia elaboranda fuerit verſatus, quales effinxerit res et actiones, ut caedes ab Oreste perpetranda evaderet omnino tragica. Patet jam scena; incipit actio. Profugus Orestes nunc autem reversus in patriam Agamemnonis Patris tumulum ſalutat, clandestinam

Oraculi jussu tyrannorum caedem meditans. Invocat prece solemni manes Patris misere interfecti, Deorumque infernalium opem ad instantem vindictam implorat. Haec dum peragit, dum sacra facit optimo Parenti abscissis capitis crinibus, appropinquat mulierum Chorus, quas Regina ad placandos mariti manes cum inferiis miserat. Electra soror Orestis comitatur feminas. Fingit nimirum Poeta, per somnium visam esse Clytemnestrae serpentem ex utero prodeuntem, quae sanguinem mammis exsugeret. Quid sane fingi poterat excellentius hac imagine sanguinolentam matris caedem a filio committendam referente! Orestes hoc feminarum lugentium spectaculo perturbatus, secedit paululum via, ut quid hoc rei esset, antea intelligeret. Interea canit Chorus et Electra tenerrimum erga mortuum Parentem adfectum, implacabile vero adversus tyrannos odium verbis declarat, fratrisque reditum ardentibus exoptat precibus, ut vindictae socium haberet et adjutorem. Inter haec, quum inferias posuisset in tumulo, forte offendit capillos et vestigia, e quorum similitudine fratrem adesse *suspicatur*. *) Tum Orestes, qui occulte audiverat omnia,

*) Hoc Euripides exprobrat Aeschylo, in *Electra* v. 520 — 545., quae fabula circa idem argumentum versatur. Inducit ibi Euripides senem ex iisdem signis Orestis adventum Electrae nunciantem; quae vero tam incongrua et absona esse indicat Electra, ut adeo stultitiae senem accenset. Vid. v. 524. Atque hanc Euripidis Κρίσιν in se quidem veram esse non negamus, si de logica signorum veritate disputandum sit; verum recte dubitamus, an opportuno loco sit posita. Videtur potius Euripides hoc loco fuisse justo quam par est, φιλοσοφώτερος. Quid enim frequentius est in humana vita,

cognita sororis virtute, cognito illius ardenti desiderio fratrem videndi, diutius continere se non potest, sed jam prorupit, sororem amplectitur, atque ipsi exponit, rediisse jam se in patriam ex oraculi mandato necis paternae vindicem. Electra primum quidem stupet, quod jam ex insperato fratrem tam diu desideratum videret, mox vero sedatis motibus primis confirmatur, fratrem praesentem agnoscit, gratulatur ipsi reditum, atque ad opprimendos tyrannos eum summa cum industria excitat. Tum vero Chorus infelix Agamemnonis fatum decantat, tyrannis imprecatur, atque Orestem similiter ad vindictam provocat. Orestes et Electra una Jovis opem ad rem gerendam flagitant; haec autem, ut fratris animum eo vehementiori vindictae studio

---

quam ut homines levissimis etiam rationibus ea sibi persuaderi patiantur, ad quae credenda praejudicata quadam opinione feruntur, ut indiciis quam maxime ambiguis fidentes spem alant, ea quae vehementius expetunt, eventura esse? Imo vero dum talem fingeret hoc loco Electram Aeschylus, magis naturam secutus, penitusque muliebrem animum rimatus est, quam philosophans Euripides; neque quisquam erit, cui non magis placeat Electra Aeschyli, quam Euripidis Electra, quae eruditis argumentationibus spem de fratris adventu conceptam, ex qua tota ipsius pendebat salus, ipsa sibi eripit. Tum certe reprehendendus fuisset Aeschylus, si rem ita instituisset, ut Electra signis istis oblatis de adventu fratris statim fuisset persuasa, neque amplius dubitasset; sed satis fuit perspicax, ne in hoc vitium incurreret. Nam Electra primam istam cogitationem, quae sub adspectum capillorum vestigiorumque in mentem ipsi venerat; non fovet, nec illi continuo inhaeret; sed mox dubitat, angitur atque tandem inter spem metumque fluctuat. Annon meretur hoc loco laudari potius Aeschyli in depingendis motibus animi vis et solertia?

incenderet, crudelitatem et atrocia matris facta in Parentem designata copiosius exponit, fratrique in memoriam revocat, atque imprimis hortatur, ne matri barbarae parceret. Horret primum filii animus tantum facinus committere, mox vero divini mandati memor expositoque per Chorum fatidico Clytemnestrae somnio colligit animum, matrem occidere decernit, atque ad facinus patrandum accingitur. Neque tamen Orestes, dum consilium de necando Tyranno cum Sorore communicat v. 552 — 582. quidquam de matris nece repetit, quasi iterum poeniteret ipsum capti consilii. Heic vero maxime possis mirari Poëtae ingenium, si spectes, qua arte fuerit usus, ut Tyrannorum clades redderetur terribilior et luctuosior. Orestes nempe cum decrevisset ex Oraculi voluntate per dolum interimere tyrannos, peregrinum se simulat Phocensem, fictumque a Strophio Phocensium rege nuncium adfert de morte Orestis, quo allato humaniter exceptus hospitio tyrannos nihil prorsus mali tum suspicantes obtruncat. Sunt vero etiam in hac Aeschyli inventione aliqua, quae ingenium industriamque hujus Viri demonstrant in disponendis actionibus, ne quidquam appareat, quod non sit probabile. Audiamus ipsum Poëtam. Sub initium actus tertii finito Choro prodit Orestes, pulsat regii palatii fores, atque evocat foras quendam ex famulis, ut nuncium, quem a Strophio accepisse simulaverat, deferret. Duo hic sunt memoranda, primo quidem tempus, quo Orestes ad Regiam se confert, fingitur nocturnum, partim ut eo minus agnosceretur, partim ut eo certius exciperetur hospitio, atque ita sine multo strepitu noctis obscuritate adjutus rem posset conficere; deinde etiam hoc

est notandum, quod Orestes, ne ulla familiae regiae nasci possit suspicio, non statim roget introitum in regiam et hospitium, sed illud tantum, ut sibi liceret foris colloqui cum servo. *) Regina, de peregrini adventu statim certior facta (Rex enim fingitur absens) sciendique cupida, quidnam novi adferret hospes, ipsa egreditur, acceptoque nuncio de filii morte laetitiam celare vix potest, tandem peregrinos (habebat enim Orestes comitem Pyladem) humanissime invitat, regiamque jubet ingredi. Est in hac scena, qua mors Orestis ab ipso Oreste narratur, aliquid, quod probat, quam solerter et judiciose omnia sint ab Aeschylo posita. Orestes nimirum exposito Clytemnestrae nuncio subjungit, cupere se parentes Orestis ipsos videre, iisdemque rem coram exponere, ut, quid ipsis, de filii sepultura visum fuerit, rursus deferre possit ad Strophium. Callide hic dissimulat Orestes, matrem reginam se agnoscere, istoque artificio nec non simplici narratione sua omnem suspicionem omnemque ex animo Reginae clandestinum metum expellit. Regina palatium intrat cum hospitibus, statimque unam ex

---

*) Alia ratio, propter quam Orestes servum evocat, recte desumitur ex constitutione theatri Graeci. Locus actionis mutabatur nunquam, sed unus idemque semper erat, in quo gerebatur actio. Itaque haec narratio, quae ad praeparandam caedem necessaria erat, vel subduci debebat auribus spectantium, vel aliquis debebat evocari domo. Potuisset quidem Aeschylus personam introducere, quae narraret ea, quae intus fuissent acta, sed quam frigidus tum fuisset actionis nodus, ut reliquas taceam difficultates. Hanc ob caussam tragicae actiones semper geri finguntur in locis publicis, atriis ante regias aedes sitis.

famulabus nutricem videlicet Orestis ablegat ad maritum in agro degentem, quae rem novam deferret, eumque reduceret. Nutrix in fcena feminarum more triste Orestis fatum deflet, infantiam illius in memoriam revocans, curamque fuam pro infantulo amoremque tenerum multis lacrymis testificans. Consolatur feminam Chorus, Orestem vivere mortemque illius fictam esse fignificans, insimulque feminam instruit, quo pacto rem debeat exponere, ne dolus videatur subesse tyranno; jusserat enim Regina, maritum redire Satellitio stipatum. Abeuntem feminam Chorus cantu prosequitur, quo finito Tyrannus ex agro rediens in fcenam prodit et quum paucula quaedam de nuncii certitudine disputasset cum servo, regiam intrat, sed sub introitum statim ab Oreste caeditur. Clamor ejus in fcena auditur. Peracta Tyranni caede famulus festinanter egreditur, regis caedem nunciat, et Clytemnestram in alia regiae parte nempe gynaeconiti commorantem evocat. Prodit regina caedis peractae ignara et insolentem strepitum miratur, fed a fervo statim rem totam edocta in vehementissimos adfectus rapitur, ensemque poscit, quo vel vincere decernit vel vinci. Advolat nunc Orestes, monstrat caesum matri Aegisthum, ipsique pariter moriendum esse declarat. Orat Mater filium, obsecrat, obtestatur, precibus minas addit; filius primum quidem dubitat, sed ab Amico Pylade de Apollinis mandato monitus captum consilium restaurat, matremque abductam ad Aegisthi latus trucidat. Est haec fcena, in qua mater cum filio colloquitur, affectuum plenissima, ac insigne quoddam specimen, qua arte qua veritate pingere foleat Aeschylus humanos affectus.

Consummata matris caede egreditur Orestes, furiis materni ſanguinis, ut ab Apolline ipsi fuerat praedictum, agitatus, neque vero statim hac animi perturbatione, hac insania corripitur, ſed ſuae mentis adhuc compos causam ipse ſui agit coram populo, cui tyrannorum cadavera monstrat, a matris nece sese purgat, et commemorato Dei mandato a criminis culpa sese liberat. Chorus tandem consolatur Orestem, monet, ut ad Apollinem redeat, a quo debeat lustrari, et pro ſalute ipsius ardentissima vota facit. Atque hic est fabulae finis.

§. 12.

Exposuimus jam studiose verbosius totum fabulae argumentum, ut eo magis pateret nexus aptaque partium cohaerentia. Quivis nunc facile intelliget, quod nihil temere ſit positum, quod juste omnia cohaereant, et praecipue totius fabulae structura ad ſummam ſimplicitatem ſit redacta. Res enim, quas in fabulis Aeschylus proponit, ut jam monuimus, non miscentur tot vicissitudinibus et turbis, nec desinunt et convertuntur in tam contrarios inopinatosque eventus. Neque vero haec fabulae ſimplicitas ſpectatoris attentionem minuit; actiones enim, mores et adfectus personarum quae agunt, ita ſunt eminentes, tam vivis depicti coloribus, ut ſatis habeat spectator, quod intueatur, in quo animum defigat, atque ex quo possit tum voluptatem capere, tum utilitatem. Sunt vero praeter inventionem et dispositionem alia, quibus aucta fuit ab Aeschylo tragoedia. Primum quidem ſublimi dictionis genere usus est, quod rebus tragicis esset accommodatum, quod

spiraret excelsa, sonaret grandia, summaque constaret gravitate. Itaque perperam agunt, qui Aeschyli dictionem reprehendunt, quod multis laboret difficultatibus, et quod in plerisque rudis sit et incomposita. Nam cum brevitatem sequi deberet et concinnitatem in sermone, mirum non est, stilum ipsius obscuritate passim laborare; una saepe vox totam sistit imaginem, pluraque continet, quam longa verborum communi usu receptorum series; neque etiam recte statuitur, ea quae nobis quidem obscura videntur obscura quoque fuisse auditoribus Aeschyli; denique id memorandum est, dictionem tragicam, qua Aeschylus utebatur, ipsius quidem tempore nondum fuisse excultam nec ab aliis adhibitam, ipsique adeo opus fuisse, ut rebus et actionibus inusitatis, quas primus proponebat, linguam accommodaret, ut ad illas enarrandas inusitato quoque dicendi genere uteretur. In affectibus ciendis magnus etiam fuit, neque tamen in iis, qui amore, mitioribusque animi commotionibus constant, qua in re bellicum Auctoris ingenium praecipue cernitur; sed truces potius producit affectus, qui vehementi ac subito quodam impetu corripiunt animos et prosternunt; qui constant ira, indignatione et atroci quadam pertinacia; ut paucis dicam, plurimae ejus fabulae spirant tumultus bellicos, tantaque veritate effictae sunt ad exemplum turbarum bellicarum, ut, qui legat easdem, pugnarum clamores audire sibi videatur. Memorant saltem, quum Eumenides ejus agerentur, tanto terrore sub introitum furiarum spectatores fuisse perculsos, ut pueruli sensum amiserint, mulieresque trepidantes praematuros partus ediderint. Tanta

vero quum esset hujus fabulae vis in animos spectantium, lex lata est, ut Chorus qui quinquaginta personis constabat, imminueretur, nec pluribus in posterum quam quindecim personis constaret. Atque hunc morem lege introductum omnes etiam post Aeschylum tragici semper servarunt.

§. 13.

Neque illud videtur silentio praetermittendum, quod Aeschylus interdum pro ratione fabulae in scena usus fuerit *personis allegoricis*, Diis nimirum, nec non adfectionibus animi in personas effictis. Haec quidem inter Graecos vulgaris erat consuetudo, cujus ratio ex constitutione religionis Graecae prorsus est repetenda. Omnes enim Dii Deaeque hujus gentis nihil aliud erant, quam personae allegoricae, quae vel unius summi Dei virtutes singulares, vel ejusdem opera in ipso mundo manifesta seu vivas almae Naturae vires referebant. Quum itaque è communi superstitione haec existere Numina crederentur, mirum non est, Poëtas allegoricis hisce personis tanquam veris, quoties ferebat res, usos fuisse. Apparet inde, personarum allegoricarum usum intra hos limites omnino rectum fuisse et licitum; an vero licuerit etiam poëtis, adfectiones animi humani in personas transmutare, de eo quidem videtur ambigi posse. Alia enim est ratio personarum allegoricarum, quae fundamentum habent in communi quamvis falsa hominum opinione, alia est ratio earum, quae in sola Poëtae phantasia fundamentum habent. Verum enim vero nullis potest legibus definiri,

intra quosnam Poëtae phantaſia terminos debeat ſubſiſtere; id potius ab ipſo Poëtarum ingenio pendet, quibus, ut Horatius canit, quidlibet audendi ſemper fuit aequa potestas. Fingat itaque Poëta, quidquid volet, ſed singat ita, ut veri quaedam ſuperſit ſpecies, ut legentis ſenſus non offendatur; et ſi liberius vel inuſitatius velit fingere, hanc fictionem apto reponat loco, quo ſenſum legentis vehementius poſsit afficere, animumque concutere, talique fictione parcius tandem utatur. Haec certe ſumma lex est Poëtae, ut quae dicat ad ſenſus revocet, atque ex hac lege dijudicari facile poteſt legitimus allegoriae, de qua loquimur, uſus. Idem probant exempla praeſtantiſsimorum Poëtarum tam antiquorum quam recentiorum. Homerus hac allegoria ſaepiſsime utitur, imprimis L. II. Iliados, ubi ſomnium Agamemnoni per Jovem immiſsum, et L. IV. ubi Eridem ſub ſpecie perſonae vividiſsimis coloribus depinxit. Huc etiam referri meretur inſignis illa Prodici apud Xenophontem L. II. C. 1. Memorab. allegoria, qua Virtus αρετη, et Vitium Κακια cum Hercule colloquuntur. At quaerat aliquis, an liceat etiam Dramaticis ſicut Epicis hujuſmodi perſonis allegoricis uti? Haec ſane quaeſtio videtur eſſe difficilior. Multa nimirum poſsunt in epico carmine fingi, quae fingi minus poſsunt in Dramate. Quis verbi cauſa eſt, quem non delectent allegoricae iſtae perſonae Homeri, Miltoni, aliorumque, ſi quidem imago propoſita rei deſignatae genuinum ſit exemplar, quis eſt, qui non cum quadam animi voluptate ita ſibi patiatur illudi? at ſi transferantur iſtae imagines in Drama, ſi ſubjiciantur etiam oculis, ſi comparerant inter veras perſonas, ſi cum illis agant, tum certe

evanescet deceptrix iſta ſpecies, animus ex faſcinato mundo in verum reductus offendetur et abhorrebit indignabundus ab immanibus iſtis et licentioſis fictionibus. Recte itaque praecipiunt, qui in Dramatibus hujusmodi allegoriis prorsus abstinendum esse arbitrantur. At Aeschylus tamen furias tanquam personas principales, a quibus etiam fabula est inscripta, in theatrum produxit? Sunt quidem furiae personae allegoricae, imagines quippe animi malefactorum conſcientia perturbati, ſed hujusmodi imagines, quae non ex arbitraria Poëtae imaginatione proficiſcebantur, ſed quae a populo potius tanquam Numina colebantur. Erat certe Athenis templum furiarum, (σεμνων θεων) et jurare per illas ſolebant in foro litigantes. Itaque Aeschylus hanc ob rem vituperari nequit, niſi velimus etiam Sophoclem et Euripidem vituperare, quod in fabulis Deos Deasque loquentes induxerint. At produxit etiam in ſcenam personas allegoricas, ſola ipſius imaginatione productas, quarum nullum erat inter Graecos Numen. Ita quidem in Prometheo vincto Prologum agunt κρατος et βια, robur et Vis, et cum reliquis personis colloquuntur. Et hujusmodi quidem allegoriae nullum reperitur exemplum apud Sophoclem et Euripidem, neque tamen hanc ob causam condemnandus esse videtur Aeschylus, quod ſequentes Tragici tali allegoria prorsus abstinuerint. Primum enim haec unica est fabula, in qua talis αλληγοριας exemplum deprehenditur, ex quo ſimul perspicitur, quantam adhibuerit cautionem in ea usurpanda; deinde vero, quod praecipuum est, hac libertate allegoricas ex ſuo ingenio personas fingendi, egregie poterat uti, quum nihil faceret inusitati, universa ni-

mirum religione allegoriis innixa, neque ulla hinc potest ratio reddi, quae potuisset impedire Poëtam, quo minus allegoricas personas pro arbitrio multiplicaret, easque ficut reliqua Numina in fcenam introduceret. Facile autem exinde etiam ratio potest deduci, cur nostris quidem temporibus abstinendum sit in fabulis hoc ἀλληγορίας usu.

§. 14.

Sunt vero adhuc alia Aeschyli in rem tragicam merita, quae quidem externam fpectant tragoediae formam, in qua quoque emendanda fumma cum laude mirificoque cum fucceſsu verfatus est. Nam quum videret hic vir, quanti momenti in Tragoediis fit apparatus externus, huic etiam operi opitulante magistratu manus admovit. Horatius his totam rem verficulis complectitur:

> Post hunc (fcilicet Thespidem) personae, pallaeque repertor honestae
> Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis
> Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Patet hinc Aeschylum indumenta atque calceamenta herois bus apta invenisse, pulpitisque histriones fuperimposuisse, ut alti ficut heroes graderentur. Agatharchum Athenis primum Aeschylo theatrum extruxisse narrat Vitruvius L. 7. Theatra, quae antehac ex trabibus frondibusque arborum confecta erant mox fiebant ampla, lapidea, multo apparatu ornata, atque hoc imprimis notandum est, Graecos nullis pepercisse sumtibus, multamque operam collocasse in constituenda scenae σκευοποιΐα. Partes vero theatri Graeci hae erant. I. Scena, σκηνη, in qua actores compare-

-bant et fabula agebatur, nos Theatrum vocamus, inepte quidem. II. Κοιλον f. Θεατρον in quo consistebant et sedebant spectantes: III. Orchestra, Ορχηςρα, locus inter scenam et theatrum medius, in quo consistebant mimi et Saltatores. Proscenium, Προσκηνιον, (λογειον, pulpitum) anterior erat scenae pars et elatior orchestra; in hunc locum prodibant actores partes suas peracturi. *) Patet porro Aeschylum induxisse primum diverbia; Aristoteles nimirum hanc in rem in supra jam laudato loco ita loquitur: Των υποκριτων πληθος εξ ενος εις δυο πρωτος Αιχυλος ηγαγε και τα τυ χορυ ηλαττωσε, και τον λογον πρωταγωνιςην παρεσκευασε. Histrionum numerum ex uno videlicet in duos Aeschylus primus auxit; chorum imminuit, sermonemque primarum partium instituit. Ex hoc Aristotelis loco perspicitur, duos histriones ab Aeschylo fuisse constitutos, qui integram peragerent fabulam, quorum quidem alter fuerit πρωταγωνιςης, alter δευτεραγωνιςης. Huic vero Aristotelis sententiae adversari videntur fabulae Aeschyli, quae adhuc supersunt. In his enim omnibus praeter Chorum plures quam duo comparent personae, quamvis numerus personarum ceteroquin sit perexiguus. Quo pacto itaque conciliari potest hic locus cum ipsis Aeschyli fabulis? Duplici quidem modo videtur tolli posse haec contradictio. Prior modus hic est,

---

*) Plura qui scire desiderat de Graecorum σκηνοποιΐα adeat Casaubonum de Satyrica Graecorum poësi, Scaligeri poëticen; et Potteri Archaeologiam cum notis Cel. Rambachii P. 1. L. 1. Cap. 8. ubi sufficienter et perspicue tota res traditur.

ſi videlicet statuamus, plures quidem in fabulis fuisse personas (προσωπα) ſed duos tantum histriones. (ὑποκριτας) qui ſustinerent personas. Unus itaque histrio plures agebat personas, atque hoc in ſe plane non absonum esse recentiorum probat consuetudo, cui hoc praeterea accedit, quod actores Aeschyli personis uterentur, quibus effectum est, ut nunquam ſe decipi ſpectantes ſuspicarentur. Attamen hanc interpretationem variae premunt difficultates, quibus vix elabendum esse arbitror. Primum quidem insunt Aeschyli fabulis ſcenae, in quibus non duae, ſed tres perſonae colloquuntur; exempli loco possumus allegare primam Actus tertii ſcenam in Choephoris, in qua Orestes et Clytemnestra colloquuntur, quorum colloquio intervenit etiam Electra. Deinde etiam actio debuisset interrumpi, nec ejus potuisset ſervari continuitas, ſi is qui scena abibat actor, ſub alia iterum persona rediret. Ut itaque hae difficultates, ad quas responderi nullo modo potest, evitentur, rem ita concipiendam esse puto. Utebatur ſane Aeschylus, ſi fides habenda est Aristoteli, duobus tantum histrionibus, fabulasque ſuas tanta disponebat ſimplicitate, ut pluribus ipsi non opus esset. At post ejus obitum filii ipsius Euphorion nempe et Bion fabulas Patris aliquantum immutarunt, majoremque ipsis varietatem indiderunt, dum personas adeoque etiam actores multiplicarent, ita, ut ſimplicitati tamen actionis nil detraherent. Atque inter has a filiis Aeschyli immutatas fabulas referendae ſunt illae, in quibus insolens personarum numerus comparet, verbi causa Supplices, Choephori. Hanc vero Hypothesin non esse temere effictam, ſed magna potius probabilitate

etiam probatur exinde, quod constet, filios Aeschyli fabulas patris post ejus obitum egisse et Euphorionem quidem fabulis paternis quater vicisse. Notum est, Athenienses plebiscito cavisse, ut ex mortuis poetis solius Aeschyli fabulae recitarentur. Huic vero honori notam addidere, quum juberent eas nonnisi castigatas de integro in scenam referri. Hoc ab ejus filio Euphorione factum est, qui sine dubio personas etiam multiplicavit, ut populo, qui jam coeperat simplicitatem Aeschyli fastidire, eo magis gratificaretur. Ita quidem facillime mihi videtur conciliari posse Aristotelis sententia cum Aeschylicarum fabularum indole. Nollem tamen contradicere, si quis putet, deperditas Aeschyli fabulas duobus tantum histrionibus constitisse, adeoque Aristotelem in laudato loco in universum affirmare, quod de potiori tantum parte valeat. In conjecturis enim non decet esse pertinacem.

§. 15.

Sunt adhuc duo, quae invenit Aeschylus ad dignitatem Tragoediae augendam, quorum continuus postmodum usus fuit apud sequentes Dramaticos. Prius est illud, quod caedes e scena removerit; alterum vero quod personarum usum docuerit. Duplex certe fuit ratio, quae movebat Aeschylum, ut caedes e scena tolleret; quarum prior haec est, ne spectantium animi atrocitate rei ob oculos positae nimium concitarentur. Hanc vero rationem non omnes agnoscunt Critici, inter quos nominandus est celeb. Humius, cujus verba legenda sunt *in den Grundsäzen der Kritik*, III. *Theil*, 22. *c. p.* 307 — 310. Quicquid autem op-

ponat Humius, id tamen exploratum esse videtur, caedis aspectum terribiliorem omnibus et atrociorem esse quam ejusdem nuncium. Neque tamen illud inficias ibo, Aeschylum forsan priorum Tragicorum exemplo motum fuisse, ut caedes e conspectu tolleret, quod videret eos propter nimiam rerum propositarum atrocitatem poenas dedisse Magistratui. Hujus quidem rei exemplum in ſuperioribus dedimus § 18. in nota. Altera vero ratio eademque gravior hujus a ſequentibus etiam tragicis receptae consuetudinis haec est: ne constaret, non ſerio ſed ſimulate agi. Quum enim violentae actiones, ſi in ſcena gerantur, id efficiant, ut fraudem ſubesse ſpectator credat, ideoque omnis ſpectaculi vis in animum evanescat, hac potissimum ratione ductus videtur Aeschylus caedes e ſcena ſustulisse *). Verum enim vero quamvis caedes e ſcena auferret Aeschylus, curate tamen prospexit, ne ſpectantium affectus debilitarentur. Non enim perinde est, qua ratione ſpectator de tragico eventu fiat certior, ſed cautus Poeta diligenter providebit, ut, ſimulac patefiat eventus, vehementissimi terroris vel commiserationis affectus in animis ſpectantium assurgant. Exempla ſunt in promtu. In *Χοηφόροις* Egisthus quidem intra ſcenam occiditur, ſed moribundi

---

*) Horatius eandem rationem profert in Arte poëtica, ita dicens:

- - - - - - Non tamen intus
Digna geri, promes in Scenam: multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus:
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem:
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

clamor auribus tamen percipitur. Eodem modo peraguntur caedes in reliquis etiam Tragoediis ab Euripide et Sophocle confectis; ita nimirum in Electra Euripidis et Sophoclis Clytemnestrae clamor auditur in ſcena, quamvis ipſa ſit oculis ſpectantium ſubducta. Ab hoc autem veterum Tragicorum more, quem tanquam legem ſecuti ſunt, ſaepiſſime receſſerunt recentiores Tragici, imprimis Angli et qui morem Anglorum ſequuntur, noſtrates. An recte fecerint, videant alii; neque tamen judicent, niſi antea diligentius inveſtigaverint diverſas hodiernae artis dramaticae rationes, easdemque cum rationibus veterum comparaverint. Id vero notatu dignum eſſe exiſtimo, eandem regulam quae ſuaſerat priſcis, caedes e ſcena removere, ſuaſiſſe recentioribus, ut easdem in ſcena peragerent, ne viderentur aliquid in actione celare, quod ſimulationis vel fictionis ſuſpicionem poſſit afferre. Itaque quod veteribus videbatur illuſioni obeſſe, idem recentioribus videbatur eandem adjuvare. *)

*) Sunt recentiorum Tragoediae ubi caedes narrantur; ſunt ubi conſpiciuntur. Interdum rei natura ſecum fert, ut narretur caedes, ſi nimirum mortis genus ita ſit comparatum, ut repraeſentari nequeat, ut. e. g. apud Euripidem in Hippolyto, ubi Phaedra ſe ipſam ſuſpendit, et in Tragoedia illa anglicana, quae inſcribitur Comes Eſſex; in qua Comiti ex Reginae mandato caput reſecatur. Plerumque tamen ex ipſa fabulae diſpoſitione dijudicandum eſt, utrum expediat caedem oculis exponere, an factam narrare. Liceat hic allegare palmariam Germanorum Tragoediam a celeberr. Leſſingio confectam, cujus inſcriptio eſt Emilia Galotti. In hac pater filiam necat. Caedes peragitur in ſcena; potuiſſetne intra ſcenam peragi? Recte quidem, ſi parcere voluiſſet Poeta tenellis muliercularum animis. At voluit

§. 16.

Tamdem etiam personas (*Masken*) invenit Aeschylus teste Horatio, quarum postea usus non in Tragoedia et Comoedia graeca tantum sed et romana invaluit. Vix sane perspicitur, cur veteres tum Graeci tum Romani personis istis ab Aeschylo inventis semper fuerint usi, quibus certe ars dramatica magis impeditur, quam adjuvatur, nisi

---

potius nece puellae ob oculos posita id efficere, ut vividius sentirent femellae mortem minus esse terribilem quam pudicitiae jacturam. Haec autem ratio, quae moralem proprie Tragoediae finem spectat, heic non sufficit. Principalis ratio desumenda est ex Oeconomia fabulae. Mors puellae non ita est praeparata, ut augurari vel praevidere eam possis; decernanda enim erat tum demum Patri, quum animo ipsius vehementissimis affectibus lacerato nulla amplius superesse videretur spes filiae turpitudini eripiendae. Attamen in hac filiae morte tragica fabulae evolutio ponitur. Ultima demum scena, in qua Pater cum filia colloquitur, horridum prodit patris consilium filiam ferro in libertatem vindicandi. Rogat filia mortem, non resistit pater, transfigit filiam. Quid inde? Debebeat sane caedes in scena peragi, nisi tota fabulae οἰκονομία esset destruenda, nisi poëta vellet aliquid ponere vero prorsus absimile. Si enim caedes facta esset intra Scenam, defuisset aliquid, ex quo potuisset explicari, illud nempe patris et filiae colloquium, quod morte puellae finitur. Videtur itaque causa, cur recentiores ut plurimum peragant caedes in scena, ex Oeconomia fabula um repetenda esse, quae quidem longe est diversa ab Oeconomia fabularum veterum. In his enim tragicus eventus jam sub initium fabulae patet; (ita v. c. Orestes simulac prodit in scenam, matris necem meditatur) in fabulis autem recentiorum tragici eventus tardius et occultius praeparantur, atque in serie inopinatarum contingentiumque actionum continentur.

constaret, quanta sit autoritas consuetudinis, et quam sollicite caverint antiqui, ne quid a majoribus traditum immutaretur. Non feces Thespidis tantum, sed et personae Aeschyli infantiam artis dramaticae indicant, neque tamen eo tempore, quo jam altius haec ars evecta erat, personis abstinuerunt histriones. Itaque, quamvis ignoscamus Aeschylo, quod in emendanda arte dramatica non omne punctum tulerit, vix tamen ignoscere possumus sequentibus Tragicis, quod incommoda cum Personarum usu conjuncta vel parum senserint, vel quod cognitis istis incommodis personas tamen retinuerint. Affectus in dramate potissimum sunt exprimendi; hi vero non gestu vel motu corporis vel voce tantum, sed vultu maxime constant; animi est, ut ait Cicero in Orat. omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Quum itaque personae vultum tegerent, patet hinc, quanta fuerint earum incommoda. Neque huic incommodo satis fuit prospectum, quod larvas pro ratione personarum mutaverint, talesque adhibuerint, quae aetati, caracteri animi, et affectibus personae essent quam maxime accommodatae. Tali nempe persona pingi quidem potest animi caracter quiescens, non autem caracter in fervore actionis constitutus, qua diversi affectus magna saepe celeritate sibi succedunt. Neque tamen nulla plane fuit personarum utilitas. Primum enim eo inserviebant, ut viri feminarum partes possent agere, quod saepe factum fuisse testatur Aulus Gellius Noct. Attic. I. c. 7. n. 5. Deinde etiam vox actoris poterat intendi, quod necessarium erat eo maxime tempore, quo fabulae sub dio agebantur, vel Theatra nondum erant fastigiata. Hunc

usum praestabat verbi causa στομα και χηνος μαμμεγα, os magnum hiscens, quod nominat Lucianus de Saltat. n. 27. cujus ceteroquin aspectus debebat esse foedissimus. Illud denique non est tacendum, veteres, quum vultu adfectus pingere minus possent, eo majorem dedisse operam, ut illos gestu, motu, totoque corporis habitu eo significantius exprimerent, quem in finem plurimum conferebant exercitia athletica ab ineunte aetate instituta, quibus corpus reddebatur agillimum atque ad motus omnes recipiendos peridoneum. Neque hoc quisquam negabit, qui novit, quantum fuerit inter Graecos artis mimicae et imprimis χειρονομιας studium, quanta ejusdem perfectio. *)

§. 17.

Aeschylo, quem genuina Tragoedia parentem habet, successerunt Sophocles et Euripides, qui hoc opus magis adhuc illustrarunt atque perfecerunt. Horum certe virorum opera summam Tragoedia Graecorum consecuta est perfectionem, illudque egregie consummatum est, quod Aeschylus fuerat auspicatus. Nec illustrium Virorum famae, quam apud coaevos Posterosque demeruerunt, quidquam videtur detrahi, quamvis statuamus, eos in exco-

*) vid. Athenaeus L. I. Τελεστης ορχηστοδιδασκαλος πολλα εξευρηκε σχηματα, ακρως ταις χερσι τα λεγομενα δεικνυουσας, ουτως ο τελεστης Αισχυλου ορχηστης ουτως ην τεχνιτης, ως τε εν τω ορχεισθαι τους επτα επι Θηβας, φανερα ποιησαι τα πραγματα δι ορχησεως.

lendae Tragoediae studio mirifice fuisse adjutos felicibus Aeschyli conatibus, quibus in castiganda re tragica antehac erat versatus. Hunc certe virum imitabantur tanquam Magistrum, ejus fabulas intuebantur tanquam insignia exemplaria, illas adhibebant, et in usus suos convertebant tanquam artis dramaticae praecepta, quae postea demum ab Aristotele summo Graecorum Philosopho ex fabulis praestantissimae hujus Virorum trigae hausta atque in Poëtice tradita sunt. Primum enim eadem argumenta *) in fabulis retractabant, quum nimirum celeberrimarum tantummodo Graeciae familiarum casus et miserias in scenam producerent, ex quibus optimae secundum Aristotelem finguntur Tragoediae; deinde vero eandem etiam simplicitatem in argumentis elaborandis sequebantur. Servabant ut Aeschylus unitatem loci et temporis, ita quidem ut actionis durationem ad diei naturalis spatium restringerent; Chori rationem prout jam ab Aeschylo fuerat factum, ita disponebant, ut per intervalla actionis caneret, ne prorsus interrumperetur actio, actoresque tamen respirandi tempus haberent, denique communem Tragoediae caracterem semper exprimebant; quum tales modo ob oculos ponerent res gesta, quae terrorem injicerent et commiseratione essent

*) Ita quidem praeter allegatas fabulas cohaerent atque ad unum genus referri debent Phoenisse Euripidis ejusdemque Supplices, Sophoclis Antigone, Oedipus, et Aeschyli septem ad Thebas; Hercules furens Euripidis et Sophoclis Trachinienses; Euripidis Orestes et Aeschyli Eumenides. Unus idemque Poëta plures saepe de uno argumento fabulas scripsit. Huc pertinent tres Aeschyli fabulae, Agamemnon, Choëphori, Eumenides.

dignae. In Oeconomia tamen fabularum vel in disponendis earum argumentis quaedam apparet diversitas; heic enim Sophocles et Euripides plus artis majoremque forsan ingenii vim demonstrarunt. Quamvis autem in illis fabulis, quae circa idem argumentum versantur, quod Aeschylus jam pertractaverat, res aliter disponerent, ne servi viderentur esse imitatores Magistri, luculenta tamen deprehenduntur vestigia, quod suis fabulis res ab Aeschylo inventas, a quibus Oeconomia fabulae pendet, inseruerint, licet ceteroquin alia sit Oeconomiae ratio et quidem felicius instituta. Illustre exemplum obvium nobis est in Electra Sophoclis, quod hoc loco non potest silentio praeteriri. Et optandum sane esset, ut aliquis in re tragica versatus, omnes diversorum Tragicorum fabulas, quae de iisdem argumentis agunt, inter se compararet, earumque Oeconomiam strenue subjiceret examini; tum demum certius posset definiri, quisnam altero esset praestantior tum in inveniendo tum in disponendo, et quantopere universae artis dramaticae studium hac disquisitione adjuvetur, non opus est, ut moneam. Duo maxime sunt, in quibus convenit Electra Sophoclis cum Aeschyli Choëphoris, somnium nempe Reginae mortem ipsi praesagiens, quo perducitur, ut inferias ad jugulati mariti tumulum mitteret, deinde autem ficta mors Orestis, qua egregie praeparatur interitus Tyrannorum. Adeone imitatus est Aeschylum Sophocles! Ne sic quidem male. Quis enim crediderit, Sophoclem temere quidquam fuisse relaturum in fabulam ab ipsomet confectam ex oeconomia fabulae alius cujusdam Poëtae, nisi bene perspexisset, heic Aeschyli vestigia premenda esse, si quidem

vellet et hoc argumento fabulam efficere, cui nil deesset ad perfectionem. Magis itaque laudem meretur haec imitatio quam vituperium. Euripides contra, qui prorsus aliam in eodem argumento effinxit Oeconomiam fabulae, ex suo ipsius ingenio manantem, felicius certe instituisset eandem, nisi cavisset nimium, ne quid ab alio videretur imitatus esse; si magis fuisset industrius, ut fabulae vim magicam conciliaret, quam ut ea reprehenderet, quae ab Aeschylo vitiose ipsi videbantur esse posita; (vid. §. 11.) Quum vero hujus loci non sit, universam utriusque fabulae Oeconomiam explicare, unum tamen hic adjiciamus, ne quis putet, injuriam Euripidi a nobis esse factam. Quam frigidus apud Euripidem est αναγνωρισμος inter fratrem et Sororem, qui ab alia persona perficitur; quam parum est vero simile, ut frater tantopere desideratus diu colloquatur cum Sorore, atque tamen dissimulet, quamvis ipsi Sororem adesse constet? Denique quam importuna videtur esse temeritas Orestis, qui solus audet Egisthum rure sacrificantem et satellibus stipatum aggredi? Haec omnia certe ab Aeschylo et Sophocle melius instituuntur. Sed redeundum est ad id, a quo orsi sumus et videndum, quam ingeniose et judiciose Sophocles Aeschylum fuerit imitatus in ea, quam nominavimus, fabula. Fingit uterque somnium Clytemnestrae immissum; mittit in utraque fabula propter illud somnium inferias Regina, ut metum liberaret manesque mariti placaret. At diversum est in utraque somnium. Id quod ab Aeschylo *) narratur, directe portendit Reginae necem,

*) vid. Coephori, v. 525 — 530.

Sophoclis *) non item; imago apud Aeschylum est horrida, minus quidem horrida apud Sophoclem, at metu tamen plenissima. Ex priori somnio nulla relinquitur Reginae spes salutis conservandae, ex posteriori non omnis collabitur spei solatium. Ipsa Regina in precibus, quas ad Apollinem fundit v. 640. sqq. eo se consolatur, quod in utramque partem possit explicari somnii portentum. Itaque apud Sophoclem eo terribilior est Reginae secuta caedes, quo plus ipsi reliquum fuerat spei ex ancipiti somnio. Magis adhuc autem innotescet Sophoclis ingenium, si spectemus alterum, in quo imitatus est praeceptorem, fictum videlicet nuntium de morte Orestis. Hac Aeschyli fictione usus est ita, ut ex ea scenas effingeret affectuum plenissimas, fabulaeque Oeconomiam longe redderet aliam. Apud Aechylum quidem Orestes statim a Sorore agnoscitur, atque tum demum, quum jam esset agnitus, cum Sorore deliberat, velle se peregrinum simulare, Tyrannisque per dolum de filii Orestis morte referre, ut nihil timentes eo certius sint interituri; sed quanto pulchrius haec omnia disponuntur a Sophocle. Ita vero rem peragit. Orestes ejusque Paedagogus, cum primum prodeunt in Scenam, statim secum deliberant, quid ipsis agendum sit ad removendas difficultates, quae Tyrannorum caedi obstabant. Conveniunt, mortem Orestis nunciandam esse Tyrannis, ne quidquam relinqueretur, ex quo futuri mali nasci posset metus. Abit tum Paedagogus, exponit Clytemnestrae filii mortem, atque ut eo magis persuaderet Reginae de veritate nuntii,

*) vid. Electra v. 420 — 425.

copiose refert de loco, tempore, atque omnibus quae mortem praecesserant, tandemque se testem oculatum fati lamentabilis fuisse affirmat. Dicit nimirum Orestem tristi quodam fato occubuisse, quum interfuisset ludis pythicis, istamque narrationem, quam Paedagogus profert, ita instituit Poëta, ut pingere magis videatur quam describere. In hoc etiam maxime videas Poëtae studium, quod talem finxerit mortis causam, quae mortem non tantum efficeret maxime gloriosam, tantoque viro dignissimam, sed quae gratior etiam esset spectantibus, ad hosce ludos frequenter confluentibus, quoniam honorificentissimum videbatur, si quis Victor inde discedebat. Nuncius ad Reginam defertur praesente Electra, cujus tenerrimus erat erga fratrem affectus at insanabile adversus Tyrannos odium. Atque in hac potissimum viraginis animi charactere depingenda summam collocavit Industriam Sophocles, egregiumque divini quod a Natura acceperat Ingenii specimen reliquit. Accepto itaque tristissimo mortis nuntio, Electra primum ictu quasi fulminis concussa ad lacrymas et querelas devolvitur, tum vero animo iterum collecto vindictae consilium restaurat, nulloque adjuvante sola Patris mortem ulcisci decernit, quam fratrem antea ulturum speraverat. Has dum volveret animo cogitationes, intervenit Orestes dissimulans, quisnam esset, urnamque fratris falso defuncti manibus tenens; dixerat enim antea Paedagogus, mox affuturos esse, qui cineres misere defuncti Juvenis asportarent. Hoc flebili aspectu iterum perculsa novos vehementioresque sentit dolores, complectitur urnam, lacrymis humectat eandem, et bonis tenerrimique affectus plenissimis verbis dilectos fratris ci-

neres prosequitur. Hac re soror a fratre agnoscitur, qui percepto sororis amore ardentique sui desiderio Electram complectitur, fratris adventum ipsi congratulatur, statimque vindictae consilium exponit. Quam longe differt haec fratris et sororis recognitio a Sophocle disposita, ab ea, quam Aeschylus elegerat, quam diversa est utriusque fabulae oeconomia, quamvis in utraque mors Orestis referatur? In utraque quidem fabula naturaliter dispositus est ἀναγνωρισμός, verum Sophoclis esse παθητικώτερον omnes vident. Quo major enim nostra est commiseratio, eo major etiam exisit voluptas ex felici rerum conversione. Quo magis dolemus Electram fratris fatum conquerentem, eo magis posthac laetamur; eo vividius est commune gaudium de fratre in vitam quasi revocato.

§. 18.

In eo itaque tres Graecorum Tragicorum Principes convenire vidimus, quod communem hanc et primam sequerentur legem, ut actionem proponerent *unam* et *simplicem*, quamvis duo posteriores oeconomiam nonnihil variarent, eamque ad excitandos Tragoediae convenientes affectus aptiorem redderent. Est vero adhuc aliud, quod a bono Poeta dramatico requiritur, in quo quidem altera Dramatis virtus primaria consistit, ut nimirum personarum characteres ita pingantur, prout in ipsa natura apparent, ut ita loquantur et agant personae, prout isti caracteri maxime est consentaneum, quem Poeta tradidit personis ab ipso in fabulam introductis; ut adeoque mores

(ἤθη, ſententiae (διάνοιαι,) et dictio λέξις,) ſi cum Aristotele loqui velimus, huic fini ſint accommodata. Hanc utramque virtutem, quae cernitur tum in disponenda fabula, tum in pingendis characteribus, Sophocleis maxime fabulis inesse omnes fatentur, quam ob rem Sophocles etiam a plerisque Tragicorum ſummus habetur. Superat enim in disponendo Euripidem, Aeschylum contra in exprimendis et pingendis characteribus. Septem ejus, quae ex magno numero ſuperſunt, fabulae his virtutibus ita ſunt instructae, ut quaevis possit regula (κανών) bonae omnibusque numeris absolutae Tragoediae censeri. Contra vero omnibus, quas Aeschylus agentes inducit, personis rudis quaedam inest et incomposita asperitas, ipsi vero actioni quaedam vehementia; characteres personarum ſingularum nimium ſibi ſunt ſimiles, in iisdem nempe cauſis aequali modo loquuntur et agunt, quamvis pro ratione characterum in eadem re magna judiciorum appareat diverſitas. Multo ſtudiosius hac in re versatus est Sophocles. Hic enim non tantum ſollicitus fuit, ut personae loquerentur et agerent, quae loco rebusque convenirent, ſed illud maxime prospexit, ut pro ratione characteris, quem prae ſe ferebant, actiones ſuas et orationes instituerent. Hinc manavit Sophoclis varietas, quam ſequebatur in fabulis componendis; ut nimirum pro ratione characteris personae diversa ſentirent et agerent, ut ex ipsarum actionibus et verbis definitum characterem possis cognoſcere. Eodem ſtudio effinxit etiam *Euripides* personarum characteres, quamvis alias in pingendo ſequeretur leges. Hanc

utriusque Poëtae differentiam in pingendis characteribus ita Aristoteles in Poëtica describit; Sophoclem homines fingere, prout eos esse oporteat, Euripidem contra, prout ſint; Σοφοκλεα μεν οιους δει ποιειν, Ευριπιδην δε, οιοι εισιν. Putarunt aliqui, Aristotelem his verbis ad personarum *mores* respexisse, mentemque Philoſophi hanc fuisse, quod nimirum Sophocles personas ſuas *ſine vitiis*, Euripides contra easdem *cum vitiis* pinxerit. Hanc vero explicationem falsam esse facillime apparet. Primum quidem ipsi characteres contradicunt, quos deprehendimus in fabulis Sophoclis; personae enim Sophoclis non majori praeditae ſunt perfectione morali, quam personae Euripidis, nec vitiorum humanorum expertes ob oculos ponuntur. Deinde etiam res de qua ſermo est, adversatur huic interpretationi. Loquitur enim Philosophus de characterum pictura. Jam vero *Character* personae non in eo ſolum ponitur, quod vitioſitatem vel virtutem in agendo vel ſentiendo manifeſtat, ſed complectitur potius omnia, quae ſentit, cogitat et agit persona, quamvis exinde nec vitium nec virtus proprie possit cognosci. Melius itaque placet *Hurdii* explicatio in Commentaria de arte poëtica Horatii, quam citat multis verbis celeb. *Leſſingius* in Dramaturgia. Haec autem, ut paucis dicam, eo redit, Sophoclem in pingendis characteribus ea expressisse, quae pluribus ſint communia, imagines ſuas ad ſimilitudinem plurium ita composuisse, ut Pictorum more ea, quae in pluribus ſeparata inveniuntur, conjungeret atque in unum quasi colligeret; quum contra Euripides consueverit, characteres ad

ſimilitudinem ſingularium hominum effingere, imaginesque ſuas ita instituere, ut non ad certam hominum classem, ſed ad hunc vel istum hominem videantur esse referendae. Dictionis vero genus, quod Sophocles est ſecutus, insignem ſpirat gravitatem et ſublimitatem, quamvis alienum ſit ab Aeschyli grandiloquentia, et Euripidis copioso, oratorio et ſententioso dicendi genere. Unde etiam factum est, ut *Sophocleum Cothurnum* in proverbium abiret. Neque hoc est praetereundum, Sophoclem frequenter esse *φιλυπερβατον*, trajecti verborum ordinis amatorem, quum contra Euripides potius ſit *φιλοσυνθετης*, i. e. concinnam amet verborum compositionem. Quum itaque pari ſtudio uterque in excolenda Tragoedia versaretur, uterque nobili laudis ſtimulo incensus palmam alteri ſtuderet praeripere, uterque quamvis in diversis excelleret, non ſoli Sophocli, ſed et Euripidi consummatae Tragoediae gloriam tribuendam esse arbitror. At perspicitur etiam exinde, quam difficile ſit ſtatuere, utri palma ſit concedenda. Sunt enim in quibus vincat Sophocles, ſunt, in quibus vincatur. Et Euripides quidem vincit affectibus ciendis et ſententiarum gravitate; Sophocles autem ſublimitate dictionis et *οἰκονομιᾳ*. Ipse Quintilianus, in Instit. L. X. C. I. in quo dicendi genus a tribus Graecorum Tragicis usurpatum examinat, non ausus est, quidquam ſtatuere, ne alterutri videretur injuriam facere. Haec autem ſunt ejus verba: „Sophocles et „Euripides opus (Tragoediae) longe clarius illustrarunt; „quorum in dispari dicendi via, uter ſit poeta melior, in„ter plurimos quaeritur. Idque ego ſane, quoniam ad

„praesentem materiam nil pertinet, injudicatum relinquo.“ Quum vero multum tamen intersit hominis in hoc literarum genere versantis, ſcire, quibus in rebus Tragicorum uterque praestet, liceat nobis adhuc aliqua monere, ex quibus ipse lector deinceps judicium formare poterit.

§. 19.

Praeter personarum characteres, de quibus jam diximus, duo sunt, in quibus Sophocles et Euripides inter ſe possunt conferri, οικονομια, fabulae dispositio, et λεξις, dictio. Huc pertinet locus Aristotelis in Poëtica C. 13, qui ita ſe habet; και ο Ευριπιδης, ει και τα αλλα μη ευ οικονομει, τραγικωτατοςγε των ποιητων φαινεται. „Et Euripides, licet alioqui non bene disponat fabulam, maxime tamen tragicus Poëtarum esse videtur. Duo hic proponit Philosohpus, unum, in quo vitupetat, alterum, in quo laudat Euripidem. Utrumque ſingulatim inquiramus. Primum itaque dicitur Euripides in diſponendo vitiosus; inquo autem haec vitiositas conſistat, Aristoteles hoc loco non indicat, loquitur enim cum hominibus, quibus Euripidis fabulae ſatis erant notae. Et, qui parum in his versatus est, facile animadvertet, quaenam ſint dispositionis vitia, quae carpi poterant ad Aristotele. *) Primum οικονομιας vitium ad

*) Unicum vitiosae οικονομιας exemplum adfert Aristoteles sub initium L. III. Ethic. ubi reprehendit, quod in Alcmaeone (deperdita fabula) causas caedis maternae adferat minus probabiles. Nos, quum fabula non amplius extet, judicare

eoque est hoc, quod fabulis Euripidis *minus* insit *actionis*, quam Sophocleis, quod plus narretur, quam ob oculos ponatur. Facile quidem largior, hoc non esse vitium oeconomiae *qua talis;* ita enim in Carmine Epico singulae actionis partes optime possunt cohaerere, quamvis in eo narrentur omnia; Liceat hinc nobis, ut eo circumspectius loquamur, distinguere inter *materiam* et *formam* oeconomiae. Materia scilicet in utroque Poëmatis genere est eadem, intelligimus enim sub ea *internum actionis nexum*, qui nunquam potest sine vitio immutari; sed *forma* oeconomiae potest esse diversa. Alia videlicet est in *Epopoea*, alia in *Dramate*. In hoc repraesentatur, in illo narratur actio. Itaque in Dramate summa lex est, quaecunque possis sub ipsum aspectum revocare, ne narres. Id enim efficit, ut spectator extra se quasi rapiatur, ut non auribus et animo, sed oculis rem intueatur, sibique persuadeat, se non actionis imitationi, sed ipsi interesse actioni. Alterum vero, quod Euripides adversus oeconomiam commisit vitium, magis spectat materiam, atque hoc est; quod non raro in fabulis *unitatem*, quam vocant, *temporis* violaverit. Non enim tantum sufficit, ut actio internum habeat nexum, ut sit probabilis, sed ut loco etiam et tempori sit accommodata, ut talis potissimum fingatur, quae possit intra definitum, quod nec breve nec longum nimis esse debet, temporis

---

non possumus, an recte hoc loco carpatur Euripides; sunt autem quaedam in Poëtica, in quibus Aristoteles praeter rationem carpit Euripidem. Verum haec proferre jam non vacat.

ſpatium geri. Jam vero quidem in fabulis Euripidis multa geruntur momento temporis, gestaque narrantur, quibus gerendis vix totus dies vel plures adeo ſufficiunt. Quo pacto hoc Euripidis vitium possit excusari, mox videbimus, cum de tribus unitatibus verba faciemus, ubi etiam aliqua hujus vitii exempla in medium proferentur. Festinamus jam ad alterum, in quo quidem Euripides laudatur ab Aristotele, quod nimirum ſit τραγικώτατος. Hanc Philosophus laudem tribuit Euripidi, prout ex toto hujus loci nexu apparet, hanc praecipue ob causam, quod plurimae ejus Tragoediae habeant tristes Conversiones atque exitus, eandem vero laudem ſimul quoque referendam esse ad λέξιν Euripidis, patet ex collato Quintiliani loco, quem ſupra allegavimus, in quo leguntur haec: „In affectibus vero (Euripides) cum omnibus mirus; tum in iis, *qui miseratione constant*, *facile praecipuus.* Itaque ſi Aristoteli et Quintiliano fides est habenda, in eo maxime excellit Euripides, quod copiosus sit in inveniendis eventibus tragicis, quod ejus fabulae talia contineant πάθη, ex quibus facile nasci ſolet commiseratio, et quod ſciat, mira quadam peritia hunc commiserationis affectum dictionis ſuae gravitate in animis aliorum excitare. Verum non negaverim, hanc ejus dictionem a multis etiam improbari. Illud enim, nec inique, ut videtur ei vitio vertunt, quod nimis ſit in dicendo copiosus, et ſententiis densus, uno verbo, quod ejus dictio magis accedat oratorio generi. Talem, ajunt dictionem, vitioſe adhiberi in Dramate, minus illam convenire homini affectibus con-

citato, neque affectus constare copiosa verborum congerie, sed brevitate potius et verborum pondere, et quae hujus generis sunt alia. Haec quidem omnia recte dicuntur, sed utrum recte ad Euripidem referantur, vehementer dubito. Namque copiosum illud dicendi genus, quod Euripides est sectatus, nunquam alienum est a gravitate tragica, nec dignitatem et praestantiam Tragoediarum ejus imminuit. Certum quidem est, Euripidem hoc dicendi genus in scholis Rhetorum et Philosophorum familiare sibi reddidisse, adeoque illud hanc maxime ob causam adhibuisse, quod in eo felicissime versaturum se cognoverat. Quum enim sciret, neminem displicere magis, quam qui omnibus velit placere, eam dicendi rationem secutus est, qua ipse erat imbutus, et quam videbat a sapientioribus probari. Novimus etiam, Socratem Craecorum sapientissimum solius Euripidis tragoedias frequentasse. Et profecto si Poëta inconstantia multitudinis judicia semper voluissent sequi, neque quidquam ex suo ingenio facere, nihil unquam eximii potuissent in medium proferre. Ita v. c. reprehendebant generatim tragicos, quod sibi ipsis arrogarent, crebris inusitatisque verborum transpositionibus uti; *) neque tamen illud impediebat, quin confluerent ad spectacula, magnamque exinde voluptatem caperent. Studiose igitur Euripides eo, quod reprehenditur, dicendi genere usus est, quoniam

*) Arist. in Poëtica: ετι δε Αρειφραδης τες τραγωδες εκωμωδει, οτι α εδεις αν ειποι εν τη διαλεκτω, τετοις χρωνται, οιον το δωματος απο αλλα μη απο δωματος και το σεθεν.

maxime accommodatum erat fini, quem sibi in conscribendis Tragoediis proposuerat, ut omnium videlicet virtutum semina ac principia animis hominum instillaret, morumque et vitae sapienter instituendae praecepta traderet; quam ob rem Philosophus Theatri merito appellatur. Talis itaque quum esset ejus finis, magnam illud habet excusationem, quod interdum fuerit in tradendis doctrinis vel praeceptis nimius, vel quod eadem non aptissimo semper loco posuerit. Neque tandem *solus* Euripides in hoc vitium incurrit, sed in Sophoclis etiam fabulis passim deprehenduntur loca, quae censuram eandem merentur. Annon ipsi *Chori* Tragoediarum, qui quidem maximam lyricae Graecorum poëseos partem constituunt, in quibus itaque summi et vehementissimi loquuntur affectus, ita sunt comparati, ut mentem potissimum erudiant ac instruant, animum emendent, salutariaque praecepta tradant, uno verbo, ut vitia carpant, virtutemque homini commendent. Altiora certe apud veteres spectabat Poësis, nec ad oblectationem, sed ad usum vitae magis videbatur inventa, unde factum est, ut in tradendis morum vitaeque institutionibus poëtica uterentur *lingua*, quod crederent, eas hac ratione facilius et firmius imprimi, adeoque animum ad amplectendam virtutem certius incendi atque inflammari posse. Unum adhuc in Euripidis gratiam liceat mihi dicere adversus eos, qui peccasse eum arbitrantur, quod interdum personae ejus in affectu constitutae declamarent. Saepe fieri potest, ut quis vehementissimo affectu correptus multis utatur verbis ad exprimenda animi sensa, ut ad declamationes, generalesque rerum contemplationes devolvatur, quae vero semper cog-

natae sunt illis affectibus, e quibus originem traxerunt. Hanc itaque personarum affectionem si pingat Poëta Dramaticus, nihil hic inesse vitiosi puto, nisi ubivis eam adhibeat et imitetur, vel tales sistat declamationes, quae ex praesenti affectu nunquam solent exsistere. Hoc autem caute providisse Euripidem, fabulae satis superque docent. *)

§. 20.

Superest aliud, in quo magis reprehensione dignus videtur Euripides, *prologorum* nempe usus Quamvis enim, in Sophoclis et Aeschyli fabulis eorum jam appareant vestigia, Euripides tamen longe fuit studiosior, ut fabulis suis Prologos praefigeret. Omnes videlicet ejus fabulae Prologos habent praeter *Rhesum* et *Iphigeniam Aulidensem*. Illud autem maxime spectavit in Prologis, ut argumentum totius fabulae spectatoribus delinearet, atque ita eos ad ipsas res gerendas praepararet. Neque vero solum in Prologis res in fabula ipsa propositae delineantur, sed etiam narrantur ea, quae antecedunt actionem fabulae, quibus tum personae tum res ad fabulam pertinentes magis illustrantur. Patet hinc, Prologos Tragicos cum fabula quidem cohaerere; neque vero talem eorum nexum esse, ut abesse nequeant salva fabulae integritate. Contra vero Prologorum comicorum alia est ratio; hi enim triplicis sunt generis, nec eorum materia cum ipsa fabula cohaeret. Alius nempe explicat Poëtae consilia, ut in *Adelphis* Terentii, qui

*) Egregium exemplum rebus, loco, ac tempori convenientissimae declamationis deprehendimus in Electra Euripidis v. 383. seqq. quod allegasse sufficiat.

quidem in Comoediis suis plane Graecos imitatus est, alter est commendatitius, et exorat Auditorum benevolentiam pro Poëta et fabula, ut in *Hecyra*, tertius denique refellit adversariorum objectiones, ut in *Andria*. Hoc vero discrimen inter Prologos tragicos et comicos jam nos nihil attinet, quum ostendendum nobis sit, qua in re Euripidis Prologi reprehensionem mereantur. Primum itaque objicitur, Euripidem prologis suis ea voluisse compensare, quae in ipsa fabularum oeconomia desint. Atque haec objectio non omni caret specie, quum Aristoteles, quem citavimus, ipse dicat, Poëtam nostrum in oeconomia fabularum reliquis Tragicis inferiorem esse. An vero credendum est, tam ineptum fuisse Euripidem, ut talem fabulis suis medelam sit allaturus, quae deterior fuisset ipso vitio? Neque etiam fabulis ejus hac medela erat opus. Quicquid enim in oeconomia earum deest, id non ad internum actionis nexum, non ad filum actionis propositae, prout antecedenti paragrapho demonstravimus, sed ad alias leges referri debet, quae quidem salva fabulae unitate et integritate violari possunt. At objiciunt iterum, in eo maxime peccare Prologos Euripidis, quod res in fabula gerendas quasi anticipent, atque ita spectatorem ea voluptate priuent, quae capi soleat ex novis et inopinatis eventibus, eorundemque avida exspectatione. Id vero magis in virtute quam in vitio ponendum esse, perspicitur exinde, quod hujusmodi inexspectatis rebus facilius obruatur spectator quam moveatur, quod res subitaneae, quarum causae vel ignorantur, vel non statim in oculos cadunt, magis offendant spectatorem quam delectent; quod contra affectus

per Tragoediam excitandi eo certius et vehementius prorumpant, quo longius et certius personarum infortunia sint a spectatoribus praevisa. Eodem modo Celeb. *Lessingius* in Dramaturgia Prologos Euripidis defendit, cujus verba huc transferre lubet, ut ipsum audiamus, acutissime hac de re disserentem. *) Equidem facile concesserim Les-

*) *Dem Zuschauer soll alles klar seyn; er ist der Vertraute jeder Person. Diesen braucht der Dichter nicht zu überraschen. Seine Personen überrasche er, so viel er will. Schon Euripides beobachtete diese Regel, und aus diesem Gesichts-Punkt lassen sich seine Prologen, worin er den Gang des ganzen Stüks seinen Zuschauern zum voraus bekannt macht, gar wohl vertheidigen. Er verstand hierin die Absicht der dramatischen Kunst besser als die Neuern, die ihn darüber tadlen. Alle Stüke des Euripides sind auch ohne Prologe vollkommen ganz. Streichet z. E. vor dem Jon den Prolog des Mercurs, vor der Hecuba den Prolog des Polydors weg, sind beide darum im geringsten verstümmelt? Behält nicht alles den nemlichen Gang und Zusammenhang? Bekennet so gar, ihr Liebhaber der Ueberraschungen, dass die Stüke nach eurer Art zu denken, desto schöner seyn würden, wenn wir aus den Prologen nicht wüssten, dass der Jon, den Creusa will vergiften lassen, der Sohn dieser Creusa ist, dass Creusa, die der Sohn vom Altar zu einem schmählichen Tod reissen will, die Mutter dieses Jon ist; wenn wir nicht wüssten, dass an eben dem Tag, da Hecuba ihre Tochter zum Opfer hingeben muss, die alte unglükliche Frau auch den Tod ihres lezten einzigen Sohnes erfahren solle. Euripides sah gewiss, so gut als wir, dass sein Jon ohne den Prolog bestehen könne; dass er ohne ihn ein Stük sey, das die Ungewissheit und Erwartung des Zuschauers bis ans Ende unterhalte; aber eben an dieser Ungewissheit und Erwartung war ihm nichts gelegen. Denn erfuhr es der Zuhörer erst im fünften Akt, dass Jon der Sohn der Creusa sei, so ist es für ihn nicht ihr Sohn, sondern ein Fremder, ein Feind, den sie im dritten Akt aus dem Weg*

fingio, Euripidem nihil in eo commisisse vitii, quod non studuerit, inopinatis rebus in admirationem rapere fpectantes, quod fuas potius fabulas ita disposuerit, ut res gerendae ftatim paterent, facilique et expedito ordine fibi fuccederent; nihilominus tamen recte dubitari potest, an ipsi fuerit opus istis Prologis ad huncce finem obtinendum. Si enim argumenta fabularum fpectantibus antea jam fuerunt cognita, *fuperfluum* fane fuscepit laborem, dum in Prologis exponeret ea, quae dudum inter omnes constabant. Atque hanc rerum in fabulis propositarum fcientiam nemini Civium defuisse, exinde manifestum est, quod omnes fabulae circa *paucas*, *domesticas*, *maximeque tritas* res gestas, versarentur, quarum ignorantia cum civili turpitudine fuisset conjuncta. Idem testatur fequens *Antiphanis* locus, ab Athenaeo fub initium libri fexti citatus, cujus latinam versionem ab Hugone Grotio factam huc transscribam.

„Scilicet Tragoedia
„Felix Poëma est. Nam principio cognitum
„Argumentum omne fpectatori est, antequam
„Verbum hiscat aliquis. Nomen tantum dicere
„*Poëtae* fatis est. Oedipum praescripsero:
„Jam reliqua per fe norunt. Pater est Lajus
„Jocasta Mater: tum qui nati et filiae;
„Quid fecit, quid patietur: Si promiserit
„Alcmaeona allus, ipsi dicent *pueruli*
„Hic ille est, qui interfecit matrem insaniens etc.“

---

räumen will; fo ift es für ihn nicht die Mutter des Jon, an der fich Jon im vierten Akt rächen will, fondern bloſs eine Meuchelmörderin. Wo follten aber alsdann Schreken und Mitleid herkommen?

§. 21.

Quaenam initia fuerint et incrementa Tragoediae graecae, quibusve fummorum Virorum studiis aucta fuerit et amplificata, hactenus fuit explicatum. Patet hinc fummum florem fuisse fub Euripide et Sophocle; quorum *aemula* in eodem genere ftudia rem tragicam perfecerunt. At post mortem horum flos ille fensim caepit decrescere. Quamvis enim extinctis hisce Viris per longum tempus publice agerentur eorum fabulae, nullus tamen prodiit post eos Poëta Tragicus, qui posset Euripidi et Sophocli vel ex parte tantum comparari. Toto pene feculo post, temporibus nimirum Ptolemaei Philadelphi inclarescebant quidem feptem tragici, qui Plejadis nomine fignabantur, atque inter quos eminet *Lycophron*, cujus adhuc fupersunt quaedam; verum fortunati isti artium literarumque liberalium progressus tum temporis jam cessaverant, rarius apparebant magna inter Graecos ingenia, magis tum ftudebant Graeci eruditione multarumque rerum fcientia excellere, quam novis ingenii moliminibus ac fpeciminibus famam fibi comparare, ut paucis dicam, libertatis jactura jam tum coelestes illos in animis Graecorum ignes extinxerat, qui tot insignia et immortalia artis et ingenii opera inter veteres Graecos produxerant. Haec tristis rerum Conversio pertinebat inprimis etiam ad artem Dramaticam, aberant fabulae a pristina dignitate et fimplicitate, invaluerat obscurum, tumidum et Parenthyrsi plenum dicendi genus, quod in Lycophronis fcriptis luculentissime cernitur, fpectatores magis delectabantur fplendida fcenici apparatus pompa, quam propositae actionis gravitate, frequentabant fpecta-

cula tanto furore, ut non facultatum modo jacturam saepe facerent, sed graviora quoque vitae negotia negligerent, neque tandem eo confluebant, ut sapere discerent et virtutem amare, ut amore patriae omnique honestate civili animos implerent, sed ut otiosum tempus suaviter tererent. Ex hac luxuria et inertia tandem plena sequebatur morum corruptio, negligebantur rerum seriarum actiones, agebantur in scena dissolutissimae Comoediae, varia *mimorum* genera, et *lascivae saltationes*, theatra non amplius resonabant egregiis, pulchris virtutemque spirantibus sententiis, sed obscenis turpibusque dictis, quibus bonus quisque debebat offendi. Hac tristi artis dramaticae depravatione factum est, ut ad magnas res moliendas obtorperent animi, ut natio Graecorum, ex qua quondam tot illustres et magni Viri prodierant, jam apud Romanos victores, qui quidem eandem in publicis spectaculis lasciviam imitabantur, in summum abiret contemtum ac ludibrium. Mirum inde non est, primos Christianos Patresque ecclesiae tantopere a spectaculis publicis abhorruisse,[1] ut inventa Diaboli eadem censerent, eumque Apostatam, *Christianae* religionis hostem fideique proditorem pronunciarent, qui frequentaret haec spectacula. Praeter hanc alia etiam fuit causa, quae primos movit Christianos, ut communionis suae socios spectaculis Gentilium interdicerent, quod videlicet haec spectacula *sacra* erant, atque ad *religionem* maxime spectabant. Atque hinc luculenter apparet, cur *αποϛασιας* macula recte notaverint eos, qui nulli ducebant religioni, illis interesse. Ex iis jam, quae de rei tragicae decremento diximus, perspicitur, ejus flo-

rem minus fuisse diuturnum, neque unquam postero tempore vel a Graecis vel a Romanis pristinam dignitatem eidem fuisse restitutam. Romani certe, servi Graecorum in omni fere artium et scientiarum genere imitatores, Tragoedia fere carebant. Quamvis enim *Seneca*, cujus tantum fabulae tragicae adhuc supersunt, scriberet tragoedias, Graecis tamen Tragoediae Magistris nec in inveniendo nec in disponendo nec in dicendo par fuit. Idem non solum graecae Tragoediae *formam*, in suis fabulis expressit, sed *eadem* quoque argumenta tractavit, nec domesticas res gestas exposuit. *) At quo arctius fuit temporis spatium, intra quod florebat res tragica, ipse tamen flos eo fuit excellentior. Namque haec, in qua floruit, aetas felicissima fuit Graecorum, ea nempe, quae inter bella Persica defluxit et libertatis jacturam, quae sub Alexandro M. accidit. Per hanc aetatem mirifica omnes artes et scientiae ceperunt incrementa; inclaruerunt maximi heroes, summi Philosophi, Poëtae atque artifices. Nec inficiandum est, magnos hosce omnium literarum atque artium progressus multum quoque contulisse ad augendam amplificandamque rem tragicam. Admiranda certe est fecundia ingenii illustrium Tragicorum, quorum merita in rem tragicam hactenus enumeravimus. Sophocles enim teste Suida 75 vel ut alii volunt 92, et Euripides 123 fabulas edidit; et quamvis longe plurimae jam sint deperditae, recte

---

*) Tragoedia, quae inscribitur Octavia, non est Senecae, sed incerti cujusdam Auctoris. Non enim poterat mortem Octaviae describere, quum ante hanc vita excessisset. Atque haec unica est, quae *domesticum* tractat argumentum.

tamen ex illis, quae adhuc ſuperſunt, judicare nobis videmur, reliquas etiam tantorum Virorum ingenio non fuiſſe indignas.

§. 22.

Accedimus nunc ad alteram tractationis noſtrae partem, in qua conſiderandum nobis eſt, quaenam fuerit *Tragoediae graecae indoles* et *forma*, ejusdemque in rempublicam *influxus*, et cum religione publica *conjunctio*. Sed quum paginarum anguſtia hanc non capiat materiae molem, ſubjungemus aliquot tantum obſervationes generales, ex quibus dijudicari poterit, in quo vetus Tragoedia differat a nova, et quale utrique ſtatuendum ſit pretium.

§. 23.

In explicanda Tragoediae graecae forma Ducem ſequamur Ariſtotelem, qui in Poëtica completam ejusdem theoriam tradidit. Atque hic Tragoediam vocat μιμησιν πραξεως τελειας και σπουδαιας, ου δι επαγγελιας, αλλα δι ελεου και φοβου περαινουσαν την των τοιουτων παθηματων καθαρσιν; imitationem actionis ſeriae et perfectae, quae non narratione, ſed miſericordia et terrore perficiat affectuum horum purgationem. Hac definitione Philoſophus indicat tum *formam*, tum *finem* Tragoediae. Primum itaque dicit illam imitationem actionis σπουδαιας, hoc eſt, ejus, quae calamitates (παθη) contineat, cui inſit το φθαρτικον και οδυνηρον, ut in

aliis locis mentem suam explicat; atque hoc modo Tragoediam distinguit a Comoedia, cui inest τo γελοιον ridiculum, i. e. αμαρτημα και αιχος ανωδυνον και ε φθαρτικον, vitium vel turpitudo, quae non est conjuncta cum doloribus internis animi vel conscientiae, nec cum externis calamitatibus et miseriis. Porro vocat eandem τελειαν perfectam, talem nimirum actionem, quae habeat *principium*, *medium*, ac *finem*. Denique addit, Tragoediae argumentum non peragi *narratione*; sed ipsa actionis vel rei gestae *repraesentatione*; atque hoc modo distinguit etiam Tragoediam ab *Epopaea*, quum in hac Poëta, in illa vero ipsae loquantur personae. Haec de forma Altera definitionis pars complectitur *scopum* ac *finem* Tragoediae *moralem*, qui quidem in eo ponitur, ut *commiserationem* et *timorem* producat, atque affectuum horum productione eosdem purget. Luculenter ex verbis Philosophi patet, hanc purgationem non referendam esse ad illos affectus, qui in Tragoedia ob oculos ponuntur, in quibus constitutae sunt personae tragicae; sed ad illos potius, qui in animis spectantium cientur, nimirum ad commiserationem et timorem. Ipsam vero affectuum horum purgationem in eo ponit Philosophus, ut, quod nimium est vel deest in utroque affectu, discamus repetita contemplatione calamitatum in Tragoedia propositarum vitare, ut videlicet, quod spectat ad timorem, intuentes majora mala, in quae olim incidisse perhibentur heroes, nostra facilius feramus; ut humanae sortis memores futura fata nec perhorrescamus, nec ea leviuscula tantum pute-

mus; ut adeoque auream istam, quae sapientis est, mediocritatem teneamus, in expectatione malorum tranquillitatem, in tolerandis vero calamitatibus constantiam servemus; tandemque caute ac pruvide vivamus, ne nostra culpa incidamus in hujusmodi infortunia. Eodem modo explicari debet commiserationis purgatio ex mente Philosophi, quae in eo sita est, ut per commiserationem in Tragoedia excitatam *recti* definiantur commiserationis *limites*, ut nimirum discamus miserari sortem eorum, qui non sua culpa infelices facti sunt, atque eo quidem gradu, quem mali gravitas poscit, ut ex una parte nec alieni simus a sensu mali peregrini, nec ex altera parte ultra moveamur, quam oportet, uno verbo, ut eo gradu, qui sapientem decet, doleamus infortunia bonorum, quae nulla vel levi tantum culpa sunt contracta. Utrumque vero hunc affectum numquam posse disjungi, sed *omni* potius convenire Tragoediae, patet ex eo, quod Aristoteles hanc Tragoediae *generatim* consideratae vim esse dicat, ut excitet ἐλεον και φοβον; si enim hos affectus separari posse in Tragoedia existimasset Philosophus, tum ponere debebat ἐλεον ἠ φοβον. Quum vero tamen distingueret ἐλεον et φοβον, manifestum est, differre utrumque affectum, neque sub hoc φοβῳ intelligendos esse istos terroris motus, qui omnem praecedunt commiserationem, eamque semper ingrediuntur. Commiseratio itaque refertur ad personas tragicas, quae patiuntur; *timor* contra ad eos, qui calamitates vident. Luculenter hoc patet ex his Philosophi verbis, in quibus dicit: ἐλεος ἐςι μεν περι τον

αναξιον δυστυχεντα, φοβος δε περι τον ομοιον. Commiseratio versatur circa eum, qui indigne patitur, at timor circa *similem*. Adeoque φοβος nil aliud est, quam commiseratio *ad nos relata*, timor, qui ex similitudine nostra cum personis tragicis oritur, nos iisdem quoque malis expositos esse. Hunc timorem, qualem descripsimus, semper in tragoedia commiserationi esse adnexum, exinde apparet, quod commiseratio locum habere haud posset sine hoc timore. Verum quidem est, *primos commiserationis motus*, quos Aristoteles φιλανθρωπιαν vocat, sine hoc timore existere posse; verum exinde non efficitur, commiserationis *affectum*, qui in Tragoedia obtinet, separari posse ab hoc timore; quum eo accedente necessario etiam debeat augeri atque intendi commiseratio. Ex hac theoria facilime intelliguntur regulae generales, quas Aristoteles in omni Tragoedia sequendas esse statuit. Tria nimirum dicit esse vitanda, ut suum Tragoedia finem possit consequi, hoc est, excitare commiserationem et timorem. Primum est hoc: *Ne calamitates bonorum in Tragoedia proponantur*; ου γαρ, addit φοβερον, ουδε ελεεινον τουτο, αλλα μιαρον; hoc enim esset atrox, nefandum. Scilicet hoc casu nihil esset, unde constaret nobis de causa calamitatis, nulla posset reddi ratio, cur bonus Vir in tanta incidisset mala; quum vero menti humanae contrarium fit, effectus cogitare, quorum nullas videt rationes, necesse est, ut exinde nascatur animi perturbatio, et sensationum pugna, in qua quidem hoc casu nec timor nec commiseratio, sed sensus quidam obscurus iniquitatis

et indignitatis dominetur necesse est. Alterum est hoc: *Ne pingatur secunda malorum fortuna*: ὅτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας ἄγειν εἰς εὐτυχίαν (ἀτραγῳδότατον γὰρ τοῦτ᾽ ἐστι πάντων; οὐδὲν γὰρ ἔχει, ὧν δεῖ; οὔτε γὰρ φιλάνθρωπον, οὔτε ἐλεεινὸν, οὔτε φοβερόν) hoc enim quam maxime adversatur Tragoediae, nihil habet eorum, quae conveniunt eidem, neque enim habet τὸ φιλάνθρωπον (humanum,) nec miserabile, nec terribile. Haec quidem regula per se intelligitur. Tertium autem est hoc: *Ne valde malorum adversitates pingantur*; οὐδ᾽ αὖ τὸν σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταπίπτειν, τὸ μὲν γὰρ φιλάνθρωπον ἔχοι ἂν ἡ τοιαύτη σύστασις, ἀλλ᾽ οὔτε ἔλεον, οὔτε φόβον; nec vald malus ex felicitate in infelicitatem recidat. Talis enim Conversio τὸ φιλάνθρωπον quidem habet, sed nec commiserationem nec timorem. Rationem Philosophus statim subjungit in iis verbis, quae jam citavimus in hoc paragrapho. Quartum itaque restat, in quo solo bonae ac genuinae Tragoediae caracter cernitur, si scilicet Virum ante oculos ponat nec valde bonum, nec valde malum, cujus adversitates non a casu quodam fortuito, sed ex ipsius actionibus derivantur, ita tamen, ut non ex gravi quodam scelere, sed ex vitio quodam existant, quod humana daparum cavet natura, cui itaque facile veniam damus. Ad hanc vero normam Graecoru n Tragoedias esse confectas, vel ex eo perspicitur, quod Poëtae tragici, si quidem atrocia facta in scenam producant; qualia v. c. sunt parricidia, ea non ex *voluntate* patrantis *libera*, sed ex *fato* quodam.

vel Numinis vindictam exercentis praecepto derivent. Multo amplior *recentioris Tragoediae* campus est, in qua tum *adversitates optimorum*, tum *sceleratissimorum* hominum *fata* ac *paenae* ob oculos ponuntur, in qua atrocissimae saepe et funestissimae res cumulantur, ut admiratio, stupor, atque horror in animis spectantium existat, quamvis ceteroquin institutio moralis ac emendatio animi prorsus negligatur. Si vero concedamus etiam, scelestorum poenas in recentiorum Tragoediis propositas hanc in se vim habere moralem, ut intuendo eorum miserias deterreamur ab iisdem criminibus vel vitiis, quae tantorum malorum fuerunt causae, in plurimis tamen fabulis illa *similitudo*, quam Aristoteles postulat, deest, sine qua terror ille nunquam fieri potest salutaris vel ita efficax, ut affectus nostros purget, eosdemque in ordinem redigat. *)

§. 24.

Quamvis autem statuamus, quaedam in recentiorum Tragoediis, quae regulis aristotelicis adversantur, vitiosa esse, minime tamen hujus Philosophi auctoritatem ita sequimur, ut nullam Tragoediam judicemus bonam, quae non exacte ad regulas illas esset accommodata. Manifestum potius

*) *Aesthetica* fabulae *pulchritudo* semper distinguenda est ab usu morali. Summa Tragoediae potest inesse pulchritudo aesthetica, quamvis ejusdem utilitas moralis admodum sit exigua. Id in plurimis magni Shakespearii fabulis cernitur, ex. gr. in fabulis, quae inscribuntur *Richardus* III. et *Macbeth*, quarum tota moralis utilitas in eo ponitur, ut detestemur illa humanae naturae monstra, quorum infanda crimina oculis sistuntur.

est, *usum* Tragoediae *moralem* regulis istis justo arctius circumscribi. Primum enim vi definitionis Aristoteles moralem Tragoediae usum restringit tantummodo ad purgandos affectûs commiserationis et timoris, qui per Tragoediam excitantur, neque illum extendit ad purgationem istorum quoque affectuum, qui in ipsa Tragoedia occurrunt; atque hanc ob causam talia quoque constituit Tradoediae πάθη, in quibus uterque ſemper affectus conjunctus esse debet, quae itaque non ex criminibus vel vitiis in habitum degeneratis et libere commissis, ſed ex talibus vitiis proficiscuntur, quae ex imbecillitate humanae naturae et praecipitantia committuntur. Ita vero certe moralis Tragoediae usus nimium restringitur, qui tamen multo latius patet. Tragoedia vitae humanae est ſpeculum, adeoque omnia animi humani vitia, quatenus ex illis mala proveniunt, cadere in eam possunt, timoremque gignere, qui quemvis ſerio de ſalute ſua cogitantem impellere potest ad exuendam illam, quae in Tragoedia pingitur, vitiositatem, vitaeque rationem rectius instituendam. Illud autem, ut jam monuimus, in his Tragoediis maximopere cavendum est, ne proposita vitia ita in immensum augeantur, ut non amplius in naturam cadant humanam; namque hoc modo omnis tolleretur moralis utilitas, propterea quod *ſimilitudo* deficeret. In hac igitur Tragoediae ſpecie dominatur affectus timoris, quamvis commiseratio non prorsus exclusa sit, quamobrem a Cel. Homio haec Tragoedia ſensu eminentiori vocatur *moralis*. *) Superest altera Tragoediae ſpecies, quam Homius vocat

*) *Grundsäze der Critik, III. Theil.* c. 22. p. 277. 278.

patheticam, in qua maxime dominatur affectus *commiserationis*, licet ex ea similiter *timor* non prorsus absit. Atque haec iterum latissime patet, complectitur enim omnes adversitates tristesque eventus, quae in vita humana solent accidere non ex hominum culpa; sed ex causis externis; incognitis, nullo acumine praevidendis. Haec itaque Tragoediae species a priori differt, quod *calamitates innocentium* hominum, illa vero *poenas vitiosorum* depingat. In hac autem Tragoedia, ut Cel. Homius etiam monet, exitus plerumque fit laetus, quum videatur indignum, virtutem scelere vinci, oppressaeque virtutis aspectum vix quisquam sustineat.

§. 25.

Vidimus jam, quam late pateat moralis Tragoediae utilitas, si tantummodo respiciatur ad effectus illius, commiserationem scilicet et terrorem. Neque vero tantum Tragoedia affectus et vitia humani animi purgat et corrigit; sed *mentem* quoque *instruit* atque *erudit*, quum admirabilem illam diversitatem morum, studiorum atque moliminum maximorum Virorum ob oculos ponat, quum tot memorabiles vitae humanae scenas et inexpectatas rerum vicissitudines pingat, tandemque nos doceat, quales in his fortunae lusibus sese gesserint summi priscae aetatis Viri. Tanta quum insit dramaticae poësi doctrinae vis atque copia, ratio facile perspicitur, quae movit Aristotelem, ut majorem censeret utilitatem *dramaticae poëseos*, quam ipsius *historiae*. Haec enim severioribus legibus adstricta ea tantum recenset, *quid* fecerint homines; illa vero li-

berior est, et depingit potius, quid facere *debebant*, atque in hunc finem multa demit, addit, immutat. *) Huic accedit et illud, quod historia praeteritas res ex longinquo tantum sistat, haec autem eas praesentes reddat, atque hoc modo multo fortius afficiat animum. Imo vero dramatica Poësis melius videtur instruere, quam *vita communis et quotidiana experientia*. In vita enim humana plerumque ea tantum animadvertimus, quae geruntur ac fiunt, rationes vero atque causas factorum ignoramus; et quum tanta sit inter homines simulatio ac dissimulatio, ut raro dicant, quid sentiant, saepissime etiam accidit, ut vel acutissimus Vir arcana consilia, quae in actionibus ipsorum delitescunt, vix possit perspicere. In Tragoedia vero secus res se habet; haec enim nil habet occulti, abditissimi recessus humani animi in ea recluduntur, spectatores omnium personarum amici quasi sunt et familiares, nullaque actio suscipitur, cujus rationes et consilia non sufficienter antea fuerint declarata. Verum etiam, si moralem Tragoediae utilitatem solam spectemus, plus efficaciae in Tragoedia ad deterrendos a scelere homines inesse,

*) Verba haec sunt: τούτῳ διαφέρει, τῷ τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν, τὸν δὲ οἷα ἂν γένοιτο; διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. Ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. In eo differunt historia et Poësis, quod illa narret quae facta sunt, haec quae fieri debeant. Hinc etiam Poësis plus habet philosophiae et industriae quam historia. Poësis enim magis *universa*, historia magis enunciat *singula*.

quam in ipsa vita communi, exinde manifestum, quod in vita externus saepe splendor internam vitiosorum hominum turpitudinem tegat et miseriam, quod externa malefactorum supplicia vel in hac vita plane desint, vel saltem sero soleant existere; in Tragoedia vero turpis malorum facies, et infelix fortuna omnibus pateat, poenaeque statim sequantur peracta crimina. Haec de Tragoediae utilitate ac scopo dixisse sufficiat. Copiosius hanc Tragoediae utilitatem persecutus est celeberrimus *Sulzerus* in pulchra commentatione *über den Nuzen der dramatischen Dichtkunst*, ex qua quaedam huc transtulimus. Atque ad hunc Tragoediae *usum doctrinalem*, qui maxime cernitur in instruenda hominis mente acutissimus hic, quem nominavimus, Philosophus potissimum respexisse videtur in eximio universalis Theoriae artium elegantiorum articulo, in quo Tragoediae formam atque indolem explicavit. Quatuor ibi constituit Tragoediae species, quarum prima pingit *mores* s. *Caracteres* attentione dignos, altera *affectus* vehementes, tertia magnos *conatus* ac *molimina*, quarta denique gravioris momenti *casus* atque *res gestas*. Prima igitur hanc habet materiam, ut proponat actionem, per quam tales inclarescunt caracteres, qui vel admirationem et venerationem, vel odium atque horrorem excitant. Huiusmodi Tragoediae exempla Philosophus nominat Antigonen Sophoclis, in qua crudelis Tyranni Creontis Caracter depingitur, et Aeschyli Prometheum, quibus fabulis adiungi possunt Sophoclis Philoctetes, Euripidisque Alcestis, Supplices et Heraclidae; altera tales proponit actiones, in qua fatales sistuntur vehementium affectuum consecutiones,

ex. gr. irae, odii, vindictae, amoris aliorumque. Ad hanc ſpeciem referri debent Euripidis Medea, Hippolytus, Hercules furens, Sophoclis Ajax flagellifer, etc. tertia Tragoediae ſpecies tragicos vel triſtes ſiſtit caſus et eventus, qui ad magnos vel multos homines pertinent, gravesque et memorabiles efficiunt mutationes, e quibus maxime diſcitur aequam ſervare mentem rebus in arduis. Plurima hujus ſpeciei exempla inter Graecorum Tragoedias deprehenduntur. Quarta denique ſpecies *magna* proponit *molimina et conatus*, ut ex. Gr. Electra, Iphigenia in Tauris aliaeque; atque haec potiſſimum prudentiam docet in agendo, quae vitam reddit tutam et jucundam, omnesque ſiſtit illas virtutes, in quibus animi magnitudo et induſtria cernitur. Verum ſingulis hiſce Tragoediae ſpeciebus, quae quidem universum ejus ambitum complectuntur, ineſſe debere univerſalem Tragoediae characterem, ſcilicet commiſerationem atque timorem, per ſe intelligitur. In omni Tragoedia, cujuscunque ſit generis, contineri debent *adverſitates*, niſi velimus abuti Tragoediae nomine, quamvis ceteroquin neceſſe non ſit, ut exitus ſemper ſit triſtis. Atque hoc quidem in altera et tertia, quam Sulzerus conſtituit, Tragoediae ſpecie faciliime cernitur, quae ne cogitari quidem poſſunt ſine triſtibus rerum converſionibus, in reliquis vero ſpeciebus caracter ille non ſtatim cernitur. Poſſent quidem magni caracteres magnique conatus pingi ſine adverſitatibus, quod autem extra Tragoediam eſt. Verum, quamvis id quidem fieri poſſit, melius tamen eſſe, ſi picturae caracterum et conatuum magnorum adverſitates jungantur, vix quisquam dubitabit. Virtus enim maxime

cernitur in superandis ac tolerandis adversitatibus, iisdemque humani animi vires magis acuuntur; idem quoque obtinet in magnis conatibus, quorum summa vis cernitur in removendis maximis *impedimentis*. Optimum vero est illud, si actio ad diversas referatur personas, quarum aliae bonae sunt, aliae vero malae, ita quidem, ut eadem actio, quae bonos in fine reddit felices, malos simul reddat infelices. Atque hanc catastrophen videmus in Electra et Choephoris, quibus in fabulis Orestis et Electrae conatus ad opprimendos Tyrannos finem consequuntur ipsis quidem laetum, Tyrannis autem funestissimum.

§. 26.

Sunt adhuc permulta, quae ad internam Tragoedia indolem pertinent, de quibus Aristoteles in Poëtica specialim praecipit, fabulae nimirum dispositio μυθος vel συστασις πραγματων, quae continet δεσιν et λυσιν turbas rerum et solutionem, περιπετειαν, conversionem rerum in contrarium, αναγνωρισιν, recognitionem et diversa παθων genera, eorumque variam constitutionem; tum vero *mores* ἠθη, λεξις dictio, διανοια sententiae, οψις apparatus scenae, et μελοποιια Musica. Haec autem omnia singulatim recensere, non est hujus loci. Subjungemus igitur aliqua tantum de Tragoediae graecae forma, in quibus maxime differt recentior a veteri Tragoedia.

§. 27.

Memorabilis haec veteris et recentioris Tragoediae est differentia, quod Graeci praeter unitatem actionis, *loci* etiam atque *temporis*, quas vocant, *unitates* exacte servaverint, summamque generatim secuti fuerint actionis *simplicitatem*. Tales nempe proponebant actiones, quae ad certum quendam locum erant restrictae, nec mutationem illius postulabant, quarum etiam duratio vera non multum recedebat ab isto tempore, intra quod in scena gerebantur. Atque haec actionis simplicitas cum dignitate ac gravitate conjuncta, quam graeci Tragici studiose sequebantur, hunc summum praestabat usum, ut spectatorum attentio semper in capite rei propositae defigeretur, ut actio nunquam interrumperetur, tandemque verum actionis tempus non restringeretur ad tam minutum temporis spatium, quod falsitatem quandam prodit, nec raro illam veritatis speciem, quae in omni Dramate requiritur, spectantibus prorsus adimit. Equidem facile concesserim, unitatem loci ac temporis non absolute necessariam esse in dramate, sed eam quandoque violari posse salva actionis unitate. Quamvis enim necesse sit, ut quaevis actio habeat locum, in quo geratur, et tempus, intra quod geri debeat, animus tamen in contemplatione actionis ita potest ab utroque abstrahi, ut nec locus nec tempus perspicue ipsi obversetur. Potest itaque fieri, ut locorum diversitas ac interrupta temporis continuitas actionis unitati plane non obsint. Verum et hic modus tenendus, multaque cautione in hoc negotio versandum est. Si enim actio, quod quidem in plurimis recentiorum Tragoediis accidere solet, complicatior est,

multisque eventibus referta, atque ita per longa temporis ac loci spatia protenditur, tum saepe fit, ut loci mutationes multiplicentur, ut per saltum quasi spectantes ex praesenti loco in disjunctissimum transferantur, atque ita etiam temporis mensura, cujus ratio semper est habenda, prorsus negligatur. Duplex vero exinde nascitur vitium, primum, quod laedatur *probabilitas* quae potissimum requiritur, ut finis Tragoediae *illusio* scilicet spectantis obtineatur; alterum, quod rerum inferatur *confusio quaedam*, si nimirum res tot turbis et vicissitudinibus misceantur, novique eventus ita cumulentur, ut vel attentus spectator non amplius possit ordinem, nexum, rerumque cohaerentiam plene perspicere. Hac vero ratione Unitati quoque actionis magnum infertur detrimentum. Atque his vitiis laborare multa recentiorum Dramata, (quae quidem ceteroquin pulcherrima sunt, si spectemus affectuum picturam et mirabiles rerum consecutiones) nemo nescit. Has igitur ob causas statuimus, Tragoediam veterem praestare recentiori, quod illa praeter Unitatem actionis, temporis etiam ac loci unitatem servet, haec vero in servanda temporis ac loci unitate multo sit negligentior.

§. 28.

Ratio, propter quam Graeci in Tragoediis exactam loci et temporis unitatem servarunt, repetenda est ex usu et fine *Chori*, qui Tragoediae graecae peculiaris fuit. Quum enim huic Tragoedia primam deberet originem, et antiquissimae fabulae solo constarent Choro, ita ut actio tantummodo ἐπεισόδιον esset, etiam postero tempore, quum

jam perfectior fieret Tragoedia, haec mansit consuetudo, ut in omni Tragoedia locum haberet Chorus. Haec autem erat ratio Chori, ut nihil ad ipsam actionem conferret, sed tantum rei gerendae spectator esset et testis, ut a nullius staret partibus, sed suum tantummodo de rebus, quae acciderent, judicium ferret; quam ob rem, si vel omnes Choros ex fabulis deleas, in eo tamen, quod actionem constituit, nihil prorsus deesse deprehendes. Primum itaque hanc ob causam Chorum adhibuerunt Graeci in Tragoediis, quod crederent, nullam magni momenti actionem geri posse sine testibus. Verum exinde etiam ratio perspicitur, propter quam Chorus per totam actionis seriem ab initio usque ad finem debebat adesse, neque unquam poterat scenam relinquere. Quae cum ita se habeant, necesse profecto fuit, ut actio ad unum locum atque ad tempus non nimis diuturnum restringeretur. Absurdissimum enim fuisset, locum mutare, cum tamen immotus in eodem loco consisteret Chorus. Quamvis autem perpetua Chori praesentia actionem restringeret ad unum locum, majora tamen commoda cum usu Chori erant conjuncta. Ita enim *continuitas* actionis servabatur, quae ad spectatores commovendos quam maxime requiritur. Scilicet Chorus actionis intervalla carminibus excelsissimis explebat, quae ex praesenti materia semper erant hausta, adeoque affectus per actionem jam excitatos in spectantium animis magis adhuc confirmabant; ut taceam, quantopere hoc modo tota ludi festivitas et pompa fuerit aucta. Neve quis dicat, actionem interrumpi, quod actores non semper in conspectu agerent, namque idem etiam in

Dramate recentiorum desideratur, in quo post quemvis actum scena clauditur. Neque vero necesse est, ut personae semper agant coram; satis est, si finguntur intra scenam in actione progredi, quod autem dici potest de utroque Dramate tum veteri tum novo. *) Itaque tamen in eo iterum praeferenda est, vetus Tragoedia recentiori, quod in illa locus actionis nunquam subductus fuerit spectantium oculis, et quod cantu Chori per actionis intervalla peracto, affectus spectatorum non modo conservati, sed animi etiam ad novos affectus recipiendos convenientissime praeparati fuerint. Neque vero negaverim, quaedam ex hac Theatri graeci constitutione fluxisse incommoda, quod locum fingebant *unum*. Sed statuimus etiam, haec non tanta fuisse, ut majora hujus instituti commoda everterent. Plura hanc in rem exempla recenset Celeb. Homius *in den Grundsäzen der Critik*, P. III. C. 23. p. 341 — 343. adjicitque, inconvenientissimum esse, quod personae praesente Choro arcana consilia secum communicent, quae alioqui testes excludant. **)

*) Neque semper abeunt personae Choro canente, sed saepius una vel altera remanet, et cum Choro colloquitur. Exempla sunt in promtu.

**) Placet aliqua huc transferre.

Im Hippolyt des Euripides wird die kranke unglückliche Phaedra aus ihrem Pallast auf den Ort der Handlung gebracht, und daselbst von ihrer Wärterin genöthigt, die Ursache ihres Leidens in Gegenwart des Chors zu entdeken. Eben so wird auch Alceste kurz vor ihrem Tode auf den Ort der Handlung gebracht. In der Iphigenia in Tauris wird in Gegenwart des Chors eine geheime Verschwörung zwischen dem Orest und seiner Schwester verabredet, etc.

Illud vero non amplius absonum et inconveniens videbitur, si cogitemus, Chorum omnibus personis fuisse *familiarem*. Neque etiam Euripides in Alceſtide importunius rem instituit; adfert enim probabilem causam de Alcestidis egressu. Ipsa enim ante obitum vult adspicere solem, jubetque ut ex regia in publicum deferretur. Hoc desiderium nihil continet insitati, quoniam communis ferebat opinio, hominem post mortem ad loca detrudi caliginosa.

§. 29.

Verum etiam in constituendo actionis tempore veteres magis fuerunt solliciti, ut probabiliorem ejus mensuram adhiberent. Diligenter enim prospexerunt, ut verum actionis tempus non multum transgrederetur illud, intra quod eadem actio in ſcena peragebatur, in quo consistit *unitas*, quam vocant, *temporis*. Statuerunt itaque, hujusmodi actiones in Tragoedia adhibendas esse, quae *diei unius* ſpatio absolverentur, quod videbant, hoc temporis ſpatium ſine offensione ſpectantium facile posse reduci ad mensuram trium vel quantuor horarum, quas actio ſcenae complectitur. Huc ſpectat Aristotelis in Poëtica praeceptum, qui dicit; *μηκοσ υπο μιαν ηλιυ περιοδον ειναι, η μικρον εξαλλαττειν*, actionis longitudinem constare una ſolis conversione, aut parum transgredi. Attamen hanc legem, quam Aeschylus et Sophocles ſtudiose ſecuti ſunt, Euripides majori utens libertate non raro transgressus est, ſicut ſupra §. 19. diximus, cum de vitiis oeconomiae fabularum Euripidis verba faceremus. Duo hujus vitii exempla indicat cel. Homius in ſupra laudato loco, quibus

adhuc alia quaedam adjiciamus, in quibus vitium evidentius patet. *) Veruntamen etiam hoc Euripidis vitium facile potest excusari, praesertim in iis fabulis, quarum res gestae unico die concluduntur, quod fit in fabulis, Hippolyto, Iphigenia et Electra, quas in nota allegavimus. Quum enim non videatur improbabile, totius diei res gestas ad trium vel quatuor horarum mensuram reducere,

*) *Die Beispiele, welche Home anführt, sind folgende:*

Im Hippolyt wird dieser Prinz am Ende des vierten Akts verbannt, und im ersten Auftritt des fünften erzählt ein Bote dem Theseus mit allen Umständen, wie er von einem Seeungeheuer getödtet worden. Diese Begebenheit erfoderte mehrere Stunden, in der Vorstellung aber ist sie auf die Zeit eingeschränkt, die der Chor mit seinem Gesang zubringt.

In der Iphigenia zu Tauris möchte der Gesang eine halbe Stunde betragen, die Begebenheiten aber, die sich in dieser Zeit zugetragen haben sollen, konnten kaum in einem halben Tage zu Stande kommen. Denn der Bote berichtet, daſs zwischen den Schiffleuten des Königs, die den Orest einholen sollten, und den Schiffleuten des Orests ein Gefecht, und hernach ein Sturm entstanden sey, der das Schiff der Fremden bald ans Land, bald wieder zurükgetrieben habe, biſs sie endlich nach Anrufung der Götter glüklich davon gekommen wären.

Diesen Beispielen will ich noch einige beifügen, in denen die Verlezung dieser Regel noch auffallender ist.

In den B i t t e n d e n *verläſst Theseus die Bühne, um von Athen nach Theben zu gehen, und die grausame Thebaner zu bestrafen, weil sie den erschlagenen Argivern noch immer das Begräbniſs versagten. Nach dem Zwischen-Gesang des Chors erscheint sogleich ein Bote, der den Sieg des Theseus berichtet, und bald hernach Theseus selbst mit den Leichnamen der getödteten Fürsten.*

nec illud offendet spectatorem, sis res in actione contentae, quae per aliquot horas geri possunt, ad minutius temporis spatium reducantur. Neque etiam in reliquis, quas allegavimus fabulis, in quibus hoc vitium evidentius apparet, quod actio ad majus temporis spatium extenditur, temeritatis accusari potest Euripides, sed ejus industria potius laudem meretur, quod malebat negligere unitatem temporis, quam graviores violare leges dramaticas. Debebat enim, verae temporis mensurae rationem habiturus, aut locum mutare et violentas actiones in conspectum pro-

---

In den Heracliden rüstet sich Demophon zum Krieg gegen den Euristheus; kaum aber ist der Zwischen-Gesang des Chors geendigt, so erscheint schon derjenige Herold, der kurz zuvor zu den Waffen gerufen hatte, wieder, und verkündigt den Sieg des Demophon und der Heraciden über den Euristheus.

In der Andromache, worinn der Schauplaz Argos ist, entführt Orest die Hermione, und begibt sich mit ihr nach Delphos, um daselbst den Neoptolem zu tödten. Nachdem er die Scene verläßt, so erzält der Chor dem Peleus, welcher erscheint, die Absicht der vorgenommenen Reise des Orests, und die heimliche Entführung der Hermione. Kaum ist dieser Zwischengesang geendigt, als ein Bote erscheint, der mit vielen Umständen die Ermordung des Neoptolem in dem Tempel zu Delphos erzählt.

Man kann auch noch die Electra des Euripides hieher rechnen, wiewohl die Verlezung der Einheit der Zeit in diesem Stük nicht so auffallend ist, als in den vorhergehenden. Orest verläßt die Scene, um den Egisth, der sich auf einem Landgut in der Nähe von Argos aufhielt, zu ermorden. Nach geendigtem Gesang des Chors erscheint ein Bote, der die Ermordung des Egisth mit so vielen Umständen erzählt, die sich während der kurzen Zeit des Gesanges unmöglich konnten zugetragen haben.

ducere, quod a natura Tragoediae graecae fuisset quam maxime alienum, aut actionis intervalla frigidis, quae nihil ad rem faciunt, scenis explere, adeoque actionis unitatem, quae prima dramatis lex est, violare. Itaque, quamvis Euripides temporis unitatem non semper servaret, satis tamen functus est officio Poëtae dramatici, si rem suam ita instituit, ut spectatores in actionem intenti de tempore non amplius cogitarent.

§. 30.

Superest, ut explicata Tragoediae graecae forma ac indole dicamus etiam de fine illius *politico* ac *religioso*. Quum vero amplam hanc dicendi materiam hae non capiant paginae, veniam nos consequuturos esse speramus, si ea, quae huc pertinere videntur, brevissimis tantum indigitemus, eo quidem consilio, ut quantum etiam hic praestet vetus Tragoedia recentiori, clarius illucescat. Primum itaque de fine illius politico, deinceps autem de fine religioso singulatim verba faciemus.

§. 31.

Graecorum Tragoediam civiles potissimum habuisse rationes, eoque praecipue spectasse, ut magnum caperent animum cives, ut patriae amorem ac libertatis studium alerent, ut abhorrerent a Tyrannide, omnesque, quae Civem ornant, virtutes exercerent, ex iis, quae jam proferentur, statim apparebit. Scilicet Tragoedia non pendebat a cura et institutione hominum privatorum, neque res erat ad oblectandos et occupandos divites et otiosos inventa, sed ad omnes potius spectabat

cives, singularique Archontum et Magistratus tutela ac moderamine regebatur. Nulla poterat in publico agi Tragoedia, nisi antea fuisset a publicis Judicibus, quibus hoc negotium erat datum, probata. Sumtus ad agendas Tragoedias necessarii ex aerario publico erogabantur, nec quidquam praetermittebatur, quod splendorem ac pompam augere posset; optimis tantum civibus licebat feriis hisce ludis interesse, prodigi vero, aere obligati, atque omnes generatim dissoluti cives abstinere illis jubebantur; publica proponebantur Tragicis Poëtis praemia, in eumque finem certamina instituebantur tragica v. §. 1. Vocabantur Poëtae tragici διδασκαλοι Doctores, ex qua compellatione perspicitur, quantam Graeci putaverint dignitatem ac gravitatem inesse Poëtarum tragicorum studiis; hinc manavit etiam vulgaris et communi usu recepta dicendi formula: τραγωδιαν διδασκειν, tragoediam docere, tandem etiam actores scenici in magno erant honore, ita ut Poëtae tragici non dubitarent, eorum partes agere; atque ut ipsi etiam publica negotia et magistratus possent capessere, cujus rei exempla profert Cicero in L. 4. de Republ. *). Neque tandem licebat Athenis in theatro saltare aut personam agere peregrino, qui enim contra fecisset, ei mulcta mille nummum fuit irrogata. Ex his jam intelligi posse arbitror, quantum Tragoediae graece fuerit in republica momentum, quod autem magis adhuc confir-

*) Aeschines Atheniensis, vir eloquentissimus, cum adolescens tragoedias actitavisset, rem publicam capessivit. Aristodemum tragicum item actorem maximis de rebus pacis ac belli legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt.

interna Tragoediae indole rationes nostras

Hoc itaque primum memoratu dignum est
menta Tragoediarum non ficta, sed *vera* pro
eademque non ex historia peregrina, sed ex do
patriae monumentis hauserint. Quantum domesti-
argumentorum selectu Poëtae tragici profecerint,
cumque hoc modo patriae amor ac libertatis, quo ci-
vium singuli flagrabant, studium fuerit amplificatum, quan-
ta denique accesserit dignitas institutis ac moribus patriis,
quae sancte pieque semper servabantur, facile quivis vide-
bit, quem non fugit, quam magnifice Graeci statuere con-
sueverunt de suis rebus, et quam sollicite caverunt, ne
peregrinorum morum contagione inficerentur. Neque hoc
mirum esse videtur. Nihil enim usitatius est, et naturae
convenientius, quam ut fortius animos commoveant ea,
quae nobiscum conjuncta, quam quae vel tempore vel lo-
co disjuncta sunt et remota, adeoque nihil ad nos pertine-
re videntur. Quum itaque civilis iste sensus, qui ad om-
nes Graecos manabat, atque ex quo ardens ille amor Pat-
riae vehemensque ejus fluebat desiderium, primaria videa-
tur fuisse causa, propter quam Tragici domestica tantum
in fabulis argumenta tractabant, idem certe sensus iterum
hoc modo mirifice debebat intendi atque augeri. Quum
enim in Tragoediis priscae aetatis heoruum fata ac fortunae
agerentur, sanctae quoque atque a Diis repetitae origines
civitatum graecarum, quas heroes isti condiderant vel auxe-
rant, eorundemque in rem publicam merita in memoriam
civium revocata, horumque animi tum admiratione tum
aemulandi studio impleti sunt, ut ipsi quoque patriam pro

viribus juvare ſtuderent. Ex eo igitur politicus priscae Tragoediae finis praecipue cognoscitur, quod non privatorum hominum ſed Regum, Heroum, ac Virorum Principum casus et fortunas depingat, calamitates autem et fata hominum humiliori loco natorum prorsus excludat. Atquae haec Tragoediae graecae ratio hunc ſummum praestabat usum, ut cives maximarum adversitatum aspectu, quae ad ſummos tantummodo Viros pertinebant, ex quibus multorum ſalus pendebat, ut, inquam harum adversitatum aspectu discerent minores adversitates in minoribus, vilioribusque familiis obortas despicere, ut igitur hujusmodi tantum eventibus commoveri ſese paterentur, in quibus reipublicae ſalus vel detrimentum verti videbatur. Hunc nisi politicum finem constituissent Tragici in exarandis tragoediis, nulla posset reddi ratio, cur privatorum calamitates nullam ſuppeditaverint ipsis materiam, qua recentiores Tragici potissimum utuntur hac adducti verissima ratione, quod externa personae dignitas nihil conferat ad commiserationem, ſed quod potius illa ex magnitudine mali nascatur, quod quemvis innocentem premit, qui arctissimo humanitatis vinculo nobiscum conjunctus est. Ex tota igitur Tragoediae graecae indole elucere existimamus, usum illius inprimis fuisse civilem, Poëtasque ex rationibus maxime politicis Regum et Magnatum infortunia in ludis tragicis proposuisse. Ita ſcilicet captabant civium animos tyrannidi infensos, et libertatis ſtudiosos; ita ſemper infensiorem reddebant tyrannidem, cum declararent, quanta malorum moles principatum premat, ita maxime hortabantur cives, ut aequalitatem inter ſe ſervarent, et quivis

egregie de patria meritus magnifice de se suisque studiis sentiret, quum his exemplis eos docerent, Reges etiam atque Magnates esse homines, humanis infirmitatibus, vitiis malisque obnoxios, quamvis externus splendor ea interdum occultat. Ut haec nostra magis adhuc comprobetur sententia, quasdam fabulas commemoremus, in quibus illud consilium perspicue cernitur. Exemplo sit Sophoclis *Antigone*, in qua fabula crudeles ac detestandi mores Tyranni Creontis pinguntur, et infelix fratrum de imperio certamen ob oculos ponitur; eadem quoque fabula Sophocli praefecturam Samiorum conciliavit, non quod inter reliquas Poetae fabulas inventione vel pulchra dispositione excelleret, sed quod reipublicae usibus quam maxime esset accommodata, quam ob rem etiam saepissime fuit in Theatro repetita. Atque huic fabulae adjungendae sunt Aeschyli fabulae, quae inscribuntur *Septem ad Thebas* et *Supplices*, quarum prior de eodem argumento agit, altera autem tristes proponit eventus, ex infelici imperii certamine inter Danaum et Egyptum obortos. Huc referenda est caedes Egisthi, qui horrido scelere Agamemnonis videlicet caede regnum Argivum occupaverat, quam tres Tragicorum Principes proposuerunt in fabulis, quarum in hac tractatione saepe jam mentionem fecimus. Quid dicam de *Persis* Aeschyli, quibus Poeta popularis triumphos gentis suae ac victorias de Persarum gente reportatas celebravit, animos popularium nobili virtutis bellicae studio implevit, eosdemque ad tuendum praestantissimum libertatis munus excitavit? Quid denique memorem de *Supplicibus* et *Heraclidis* Euripidis, in quibus Poeta virtutes priscorum civitatis At-

ticae Regum Thesei et Demophontis in memoriam Civium revocavit, patriaeque laudes decantavit, ut amorem et pietatem civium in patriam magis magisque confirmaret? Hae fuerunt rationes, quae movebant Tragicos, ut quavis data occasione in Tragoediis sancta patriae instituta civibus in mentem revocarent, cujus rei supra jam §. 17. memorabile exemplum ex Electra Sophoclis adduximus. Nusquam vero clarius apparet haec civilis Tragoediae ratio, quam in *Choris* actibus fabularum interpositis. Hi enim non modo docebant et monebant spectantes, dum saluberrima ipsis ex Tragoediae materia desumta traderent praecepta, adeoque moralem rei propositae usum statim redderent praesentem, sed praeterea quoque sanctas fabulas, quibus antiquissima rerum in patria gestarum monumenta continebantur, cantu comprehensas populo exponebant, qui avidissimis auribus hosce cantus excepit, edidicit, iisdemque in communi quoque vita usus est. Quantam haec popularia carmina vim atque efficaciam habuerint, inde perspicitur, quod non modo Atheniensium plurimi post cladem Siculam sustentati fuerint, quum canerent ista carmina, sed quod ipsa quoque *urbs Athenarum* propter illa post Lysandri expugnationem a destructione fuerit servata. *) Superest adhuc discrimen

*) Haec narrat Plutarchus in Vita Niciae et Lysandri, cujus verba in latinum *sermonem conversa*, haec sunt;

„Fuerunt et nonnulli Euripidis causa conservati. Nam „praeter ceteros Graecos desiderarunt ejus versus et ii, qui „Siciliam incolebant. Quod si qua specimina horum adferrent „rent ii, qui quotidie appellebant, ea ediscebant, laetique „inter *se* communicabant. Memorant, plures, qui sospites

memoratu dignissimum inter veterem Tragoediam et recentiorem, quod, quum maxime ad praesentem materiam pertineat, non plane silentio potest praeteriri. Recentiores nempe Tragici corruptum seculi genium sectantes *amorem* constituunt principem in plerisque Tragoediis affectum, qui totam pervadit atque animat fabulam, atque ex quo turbas tristesque conversiones plerumque derivant. Hujus autem amoris, quem dominari videmus in fabulis recentiorum, ne ullum quidem vestigium in Tragoediis veterum Graecorum apparet. Neque alia est ratio, quam quod inscii prorsus erant istius amoris, qui ex inordinata phantasia oritur, totum animum implet, omnesque cogitationes expellit, quae cum imaginibus animo obversantibus non cohaerent. Mollem hunc atque otiosis hominibus convenien-

---

„domum reversi sunt, Euripidem benigne salutasse ac praedicasse, alios fuisse manumissos, quod, quae ipsius carmina tenuerant memoria, Dominos ea docuissent; alios „palantes post pugnam fuisse cibo et potu adjutos, quum „versus ejus canerent. Neque id novum est: Quia Caunium „navigium ferunt, quum litori appelleret siculo prementibus „navibus praedatoriis, siculos primo non recepisse; tandem „rogatos, nossentne cantica Euripidis, ubi scire ostenderunt, tum applicare navigium permisisse."

In Lysandri Vita haec Plutarchus:

„Nonnulli referunt eum (Lysandrum) proposuisse in concilio sociorum de redigendis in servitutem Atheniensibus. „Quo tempore thebanum Erianthum suasisse, ut urbem so„lo aequarent, agrum relinquerent desolatum. Post tamen, „quum epularentur una Duces, atque inter pocula Phocen„sis quidam ex Euripidis Electra ingressum Chori caneret; „fractos omnes fuisse, ac rem censuisse indignam tam cla„ram talium alumnam Virorum delere et exscindere urbem."

tem Graeci amorem feliciter ignorabant, quod mores eorum ac virilia studia fastidirent eum ac aversarentur, longeque dispar apud illos esset feminarum conditio. Neque enim mulieres graecae gaudebant istis praerogativis, quas nostra politior aetas feminis concessit, tantumque Graeci aberant ab urbanitate seculi nostri, quam cernimus in congressu bellorum hominum cum feminis, ut potius despicerent feminas justoque iniquius et injuriosius de illis statuerent. Itaque ea fabularum loca, in quibus Euripides feminis detrectat, non ex odio viri privato, sed ex vulgari quadam consuetudine explicanda esse puto. Namque et in reliquorum quoque fabulis passim inveniuntur loca feminis inimica; e quibus unicum nominabo, Chorum scilicet ex Aeschyli Choephoris post actum fabulae secundum, quo nil potest de toto muliebri genere acerbius dici, praesertim, quod cantus ab ipsis feminis peragitur. Facile jam perspicitur, Graecos propterea amoris adfectu in Tragoediis abstinuisse, quod indignum gravitate tragica judicarent, uri herdem et infelicem reddi feminarum amore, qui viros saepe facit effeminatos, inertes, atque ad magnas res moliendas prorsus ineptos. Neque tamen Graeci omnem e Tragoedia excludunt amorem, quoniam insanum hunc, stolidum, viroque indignum amorem abesse ea jubent. Prostant potius in Euripidis fabulis tum recti tum illiciti amoris exempla, e quibus salutares et egregiae possunt peti doctrinae. Et libidinosi quidem atque impuri amoris exemplum deprehendimus in *Phaedra*, quae vero in pudorem versa tandem ipsa sibi mortem consciscit; recti vero et admiratione digni amoris exemplum invenimus in *Alcestide*, pro marito mo-

riento, quo insigni conjugalis amoris specimine proposito Euripides satis compensavit injuriam mulieribus illatam.

§. 32.

Religiosum Tragoediae graecae finem, de quo pauca adhuc in fine tractationis nostrae dicenda sunt, arctissimo cohaerere vinculo cum fine illius *politico*, ex eo jam intelligitur, quoniam tanta fuit apud Graecos reipublicae conjunctio cum religione publica, ut nullum esset institutum civile, quod non pertineret ad religionem, neque sanctitatem suam et auctoritatem unice ex ea repeteret. Ita, verbi causa, ut ex plurimis unum modo proferamus exemplum cum hac nostra materia connexum, *ludi* isti *celebres* et publici, quos ab initio nostra dissertationis nominavimus, vocabantur (ἱεροὶ) *sancti*, quod in honorem Deorum v. heroum essent instituti, quanquam primarius eorum finis non esset religiosus, sed potius *civilis*. Idem vero valet etiam de ludis scenicis, inprimis de Tragoedia, quam praecipue religiosam fuisse e sequentibus rationibus luculentissime apparet. Primum enim hoc intelligitur ex origine Tragoediae, quae, ut supra diximus nata est e choris, vel sacris hymnis, in honorem Deorum et praecipue Bacchi decantatis; deinceps autem Tragoediae etiam, cum jam essent perfectae, in honorem et cultum *Liberi* agebantur festis quidem diebus quater quovis anno redeuntibus, scilicet in festis illis, quae appellantur *Dionysia*, *Lenaea*, *Panathenaea*, et *Chytrae*, unde etiam Tragoediae vocabantur τετραλογίαι, quod per annum quater fuerint re-

petitae; *) porro scenae quoque vel loca, in quibus agebantur haec fabulae, erant templorum instar sacra, quod in his arae fuerant constitutae Liberi, Apollinis et Heroum, in quibus offerebantur sacrificia. Verum Tragoediae graecae sanctitas clarius adhuc ex interna ejusdem indole et natura cognoscitur, id quod breviter jam declarabimus. Primum quidem Tragici *Deos* introducebant in scenam; qui personas alloquebantur, multumque ad actionem ipsam conferebant. Neque hoc insolens videri poterat Graecis; quum Mythologiae vel Theologiae eorum quam maxime esset consentaneum, quae Deos fingebat ad similitudinem hominum taliaque de Diis praedicabat, quae in naturam quoque humanam licet exaltatam cadere possunt. Huic accedit et illud, quod Tragici fabularum argumenta ex istis fabulosis temporibus desumerent, quibus propria erant Deorum hominumque commercia. Verum quam caute etiam hac in re processerint Tragici, quantoque studio prospexerint, quid sanctitati ac majestati Deorum detraherent, exinde intelligitur, quod Dii nunquam compareant in *medio* fabulae, in quo negotiorum turbae miscentur, nec colloquia et sermones conserant cum hominibus, praeterquam in *fine* fabulae, si scilicet haec aliter solvi non possit, nisi Dei cujusdam interventu, vel e coelo per machinam descensu,

*) Hujus compellationis origo hinc recte desumitur, quod ante Sophoclem in festis illis quatuor fabulae recitatae fuerint, inter quas erat Drama satyricum, partim ut varietate spectantes delectarentur, partim ut Poëtis certaturis uberior esset occasio, in arenam descendendi. Post Sophoclem vero non plures quam duae uno eodemque die fabulae sunt actae.

quod quidem duplici modo potest accidere, si vel dicenda sunt praeterita, sed ignota; vel futura, quae ab homine praesciri nequeunt, exponenda. Solus Aeschylus, ut in reliquis, ita etiam hic solutior fuit, quum Deos inducat per totam fabulae seriem colloquentes cum hominibus prout videmus in Prometheo, qui colloquitur cum *Mercurio*, quamvis hoc loco res et fabulae argumentum ita videatur poscere. Neque vero solum Deos Tragici sequentes, si opus erat, adhibuerunt ad fabulam solvendam, sed *Euripides* eosdem quoque in scenam induxit sub initium fabulae, nimirum in *Prologis*, qui plerumque a Diis peraguntur. Quum enim fabularum actiones maxime fierent ex decreto vel voluntate cujusdam Numinis, convenientissimum certe fuit, a Diis peragi Prologos; quoniam in his vel praeliminaris fabulae conspectus traditur, vel ea, quae actionem fabulae antecedunt, narrantur, e quibus haec demum plene potest intelligi. Atque hoc itidem probat sanctitatem Tragoediae, quod in illis etiam fabulis, in quibus Dii non comparent, omnia tamen ex *impulsu*, consilio, vel *mandato* Numinis cujusdam gerantur. Ita verbi causa in fabula Electra caedes Egisthi et Clytemnestrae Apollinis jussu peragitur, quamvis ipse Deus non compareat, quoniam ab Oreste rem cognoscit spectator. Et haec omnium fabularum tragicarum est ratio, ut, quaecunque in illis eveniant, sub auspiciis divinis eveniant. Itaque, cum Tragoedia Graeca nihil aliud proponeret, quam sanctas fabulas ab antiquitate traditas, quibus universa religio nitebatur, nemo sane dubitabit, eam inprimis fuisse religiosam, atque in hunc finem publica magistratus auc-

toritate institutam, ut populo receptae religionis capita et principia eo efficatius traderentur, atque in mentem revocarentur. His recte consideratis, non mirabimur, si quaedam in Tragoediis deprehendimus, quae impia videntur, et rationi sanae contraria. Neque enim haec offendebant animos Graecorum, quibus *allegorica methodus* maxime familiaris erat, quae sub his involucris praestantissimas tamen doctrinas recludebat. Multo minus theologia gentilis metienda est ex theologia christiana, quae divino revelationis lumine est collustrata. Quamvis autem Tragici ex rationibus politicis ita loquerentur de Diis, prout communis ferebat hominum opinio, et publica religio praecipiebat, interdum tamen in fabulis curarunt, ut multitudinis superstitionem minuerent, ipsique puriora et saniora de rebus divinis judicia instillarent. Atque hoc inprimis factum est ab Euripide, qui dignus Socrate discipulus omnem navavit operam, ut in fabulis suis melius erudiret atque instrueret populum in iis, quae ad religionem pertinere videbantur. Duos ex multis eosdemque illustres, qui huc spectant, locos proferam, in quibus Euripides tum fraudes augurum et haruspicum vanitatemque auspiciorum ridet, tum insanam sui temporis theologiam eludit, quae Diis hominum sceleratissimorum crimina affingebat, atque ita turpissimis actionibus virtutis speciem praetendebat. *)

---

*) In Euripidis Helena v. 750. sqq. haec leguntur:

Εγω ταδ', ὦναξ, αλλα τοι τα μαντεων
Εσειδον, ως φαῦλ' εστι, και ψευδων πλεα.
Ουδ' ην αρ' υγιες ουδεν εμπυρου φλογος

His consideratis intelligemus, quantum Tragoedia momentum, quantum habuerit usum in corrigendis falsis hominum de religione judiciis, inprimis quum plebi Philosophorum scholas non frequentanti omnis fere alia deesset occasio,

---

Ουτε πτερωτων φθεγματ', ευηθες δε τοι
Το και δοκειν ορνιθας ωφελειν βροτους.
Καλχας γαρ ουκ ειπ', ουδ' εσημηνε στρατω
Νεφελης υπερ θνησκοντας ειδον φιλους.
Ουδεν γε, αλλα πολις ανηρπασθη ματην.
Ειποις αν, ουνεχ' ο θεος ουκ ηβελετο:
Τι δητα μαντευομεθα, τοις θεοισι χρη
Θυοντας αιτειν αγαθα, μαντειας δ' εαν.

etc.

Haec erunt: at, o Rex auguria vidi, quam falsa sint et mendaciorum plena. Neque quidquam inest sani in ardente flamma, nec in volucrum vocibus; sane desipiunt, qui putant, aves prodesse mortalibus. Calchas non dixit, nec significavit populo; sed amicos video pro nube morientes. Ita res est, frustra jacet urbs diruta. Dixeris forsan, sic Numinis stetisse voluntatem! Quid ergo auguramur? Diis nos oportet sacra facere, ac rogare bona, valedicere auguriis.

Alter locus, qui extat in Euripidis Jone v. 442. et sqq. hic est:

Πως ουν δικαιον, τους νομους υμας βροτοις
Γραψαντας, αυτους ανομιαν οφλισκανειν;
Ει δ', ου γαρ εσται, τω λογω δε χρησομαι,
Δικας βιαιων δωσετ' ανθρωποις γαμων,
Συ και Ποσειδων, και Ζευς δ', ος ουρανου κρατει.
Ναους τινοντες δ' αδικιας κενωσετε.

meliorem rerum divinarum cognitionem sibi comparandi. Jam vero scribendi finem facimus, quum satis ea videantur esse declarata, quae in hac tractatione proponere nobiscum constituimus.

Ταις ηδοναις γαρ της προμηθιας παρος
Σπευδοντες, αδικειτ', ουκετ' ανθρωπους κακους
Λεγειν δικαιον, ει τα των θεων κακα
Μιμουμεθ', αλλα τους διδασκοντας ταδε.

An fas est, vos, qui leges scribitis mortalibus, ipsos iniquitatum reos esse? Utinam haec non ita sint; sed res tamen est dicenda; mortalibus vos poenas dabitis propter violentos concubitus, Tu Phoebe, Neptune; et Tu Jupiter, qui Coeles gubernas. Templa propter vestras iniquitates erunt desolata. Vos enim neglecta ratione in omnes ruitis voluptates; Non amplius homines accusare justum est, quod Deorum tantummodo imitamur flagitia, sed, qui docuerunt illa, Deos.

II.

DE VIRTUTIBUS HISTORIAE SALLUSTIANAE PROGRAMMA. 1785.

Affulget iterum Cives! tanquam salutare de coelo sidus dies auspicatissimus, quem redeuntem pia prece *publicoque* plausu salutat ager Wirtembergicus, quem inprimis ex antiquo eodemque pio more reliquae etiam, quae Patriam ornant, civitates literariae festiva congratulatione et gratiarum actione prosequuntur; dies, inquam Natalis Serenissimi Principis CAROLI Patriae Parentis Optimi, Statoris atque Rectoris Academiae nostrae Magnificentissimi. Quanquam vero multae sint atque graves causae, quibus ad pie concelebrandum CAROLI Natalem universa Patria, et quae in illa florent, literariae civitates excitantur, nobis tamen et plures et graviores esse laetandi causas, vos ipsi Cives! probe intelligitis. Quo propius enim atque arctius

vinculum literis nostris cum Principe Munificentissimo intercedit, quo plura itidem et luculentiora beneficia per praeteriti temporis decursum in hanc Academiam ab Eodem collata sunt, eo magis etiam nostri erit officii, laetitiam, qua redeunte Natali Serenissimi Ducis perfundimur, publice profitendi, animique gratissimi sensum pio et solemni ritu declarandi. Veneramur quippe Carolum rerum nostrarum Auctorem et Sospitatorem, Musarumque nostrarum non Patronum tantummodo, sed Apollinem, qui, quantopere amet et in sinu foveat hanc Academiam, proximo quoque anno manifestis speciminibus abunde testatus est. Et enim singulari studio atque providentia Caroli superiori anno factum est, ut ad ornandas atque amplificandas res nostras aliquot Viri docti in societatem literarum nostrarum pervenerint, et ut absoluto semestri academico ad alendam augendamque nostrorum in literis diligentiam Examina privatim instituta fuerint, quibus deinde publica successere, illustrissima Caroli praesentia, in quibus etiam nonnullis ex coetu Auditorum nostrorum, qui moribus et literis cultiores reliquis videbantur, honorificentissma ex Ipsius Principis manu praemia contigere. Quae omnia, uti praeclaram atque indefessam Principis Optimi sollertiam in juvandis et sustentandis rebus nostris declarant, ita et nostram reverentiam, gratiarum actionem, preces atque studia erga Munificentissimum Principem impensius exposcunt. Accedit denique ad crastinae lucis celebritatem illud potissimum, quod eodem die, quo sacra Caroli natalitia recolimus, ante hoc triennium, Academia nostra sacratissimo Principis nomi-

ne insignita, riteque et solemniter dedicata fuit. Quae cum ita sint, Cives! vos omnes atque singulos exhortamur, ut publicae panegyri crastina luce hora post meridiem IV. in Auditorio Academiae majori instituendae frequentes interesse, debitamque Carolo pietatem hac festiva occasione pro officii vestri ratione testari velitis, insimulque omnes, qui literis nostris bene cupiunt, in communionem pietatis atque precum nostrarum obsequiose atque decenter invitamus. Interpretabitur autem communem nostram reverentiam atque gratiarum actionem Vir Amplissimus Johannes Christophorus Schwab Logices atque Metaphysices Prof P. O Collega noster conjunctissimus oratione praemissa nostris temporibus haud forsan incongrua de praesentis aevi cultu literario, quam germanico idiomate publice recitabit.

Quum vero boni sit et recepti moris, in scriptionibus academicis, quae solemnitatis literariae causa instituuntur, ex literis aliquid praefari, non alienum duxi, si materia ex meis studiis publicisque lectionibus decerpta de virtutibus historiae Sallustianae nonnulla dissererem. Quod argumentum, quanquam pro angustia hujus scriptionis nimis amplum sit et copiosum, deponere tamen nolui; quoniam continuandae ejusdem materiae alia iterum dabitur occasio, et quia potissimum intelligebam, hujuscemodi expositione humanitatis studium in animis juvenilibus magis accendi, lectionemque Sallustianam effici posse fructuosiorem. Quantumvis enim in explicandis Veterum scriptis in eo primum operam nostram collocare debeamus, ut de genuina Auctoris mente singulisque sen-

tentiis rite nobis constet, attamen hoc negotio optimorum Auctorum lectio non absolvitur, sed praeterea opus est, ut ad ipsas res, quae tractantur, ordinemque, quo illae inter se cohaerent, probe attendamus, si quidem de vero cujuscunque Scriptoris pretio statuere, veramque utilitatem atque voluptatem ex ipsius scriptis percipere velimus. Quapropter illi mihi videntur haud exiguam literis humanioribus Auctorumque classicorum lectioni noxam adferre, qui in conquirendis verborum flosculis unice desudant; et in excutiendis castigandisque sententiis ita sunt moleste seduli, ut res ipsas, in quarum inventione atque distributione virtus Auctoris praecipue cernitur, quasi praetervolent, atque ita primarium, qui ex lectione Veterum capitur, usum literarum studiosis eripiant, qui quidem non in eo solum ponitur, ut ex ista lectione stili facultatem sibi comparent, sed ut sapere discant, et salubria vitae morumque praecepta prudentiamque civilem quandam ex istis fontibus hauriant. Hac igitur interpretum negligentia vel desidia, quae ab investigatione et contemplatione rerum ab Auctoribus propositarum abhorret, potissimum fieri arbitror, ut plurimi juvenes lectionem illam veterum scholasticam fastidiant, scholisque egressi veterum studio prorsus valedicant, quod in eorum scriptis nihil praeter verba invenisse sibi visi sunt. Equidem haud prorsus inutilem operam suscepisse arbitrabor, si hac mea qualicunque commentatione id efficere possim, ut in clariori luce ponatur virtus historiae Sallustianae, de qua jam optimi antiquitatis scriptores, qui post Sallustium vixere, egregie professi sunt. Ita v. c. Quintilianus; cujus auctoritas multum

apud nos valere debet, L. X. c. 1. n. 101. cum Romanorum scriptores in diversis generibus recenset, de Sallustio ita loquitur; „At historia non cesserit Graecis; nec opponere Thucydidi Sallustium verear etc. Idem L. 2. c. 5. Livium atque Sallustium inter se componens, ita de posteriore pronunciat“ et hic major est Auctor, ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Martialis item in Epigr. his verbis Sallustium depraedicat:

Hic est, ut perhibent doctorum corda Virorum,
Crispus romana primus in historia.

Quae testimonia eo magis confirmabuntur, si universam rationem historiae Sallustianae penitius introspiciamus, et virtutes huic scriptori proprias exinde derivemus. Intelligitur autem generatim historiae Sallustianae insignis virtus et praestantia tum ex ipsis rebus, vel ex materia, quam elaborandam sibi sumsit Historicus scriptor, tum ex modo, quo res istae ab eodem pertractantur. Primum enim ipsae res, quas in bello Jugurthino atque Catilinario Sallustius persequitur, ita sunt comparatae, ut gravitate sua mirifice sese commendent, et legentis animum quam maxime trahant. Sunt illae videlicet ex tali historiae romanae periodo depromtae, qua res romana in immensum aucta magnitudine sua laborare paullatimque labefactari coepit, in qua propter effusas opes in civitatem illatas avaritia priscam Romanorum virtutem jam inquinaverat, in qua denique magistratuum vitiis, civium corruptela, legumque contemtu libertas publica primum concussa atque imminuta, insimulque memorabilis illa rerum commutatio praeparata fuit, quam deinceps Octaviano summam imperii te-

respublica Roma...
...otione bell...
prim...

...es conferre posset. Nec
in historico scriptore
... plurimum confirma-
...aliae auctoris aeta-
...asi in conspectu
...n cuivis Scrip-
...memoriae pro-
...me fiat, ut
...m studio
...e scrip-
Sallu-
efa-

Civi...

...i civilis aucto...
...em illam historiam a ...
...s etiam innotescunt, quibus int...
effecta atque propagata, bellique postea
turati sunt. Quid dicam de bello Catilinai...
publicae vulnera magis adhuc in oculos nostros
e cujus historia cognoscere nobis licet, quantum ex
poribus Sullanis creverit reipublicae calamitas, et qua...
cito malorum atque vitiorum omnium pestis et contagio ad omnes paene cives pervenerit. Sistitur in ea videlicet nobis Catilina homo omnium conscelerātissimus, cui nefaria et cruenta ad evertendam rempublicam consilia agitanti quam plurimos licuit senatori ordinis homines genere atque opibus claros in suas partes traducere, et qui sine dubio incepta patrasset, nisi unius Ciceronis vigilantia ac industria conjuratio patefacta ac oppressa fuisset. Neque vero ista facinorosorum hominum exempla animum nostrum magnopere offendunt, sed potius in utraque historia recreamur aliquot optimorum Virorum adspectu, qui scelestis malorum consiliis cum felicissimo successu obviam ivere, vel, quae ab aliis male gesta erant, sua virtute reparavere. Hujusmodi quidem viri sunt in historia Catilinaria Cicero atque

Cato, qui conjuratorum supplicio rempublicam metu liberarunt, in historia autem Jugurthina simili ratione Metellus eminet, qui tum innocentia, tum belli usu atque disciplina militari rem romanam Calpurnii atque Auli socordia et avaritia vehementer adflictam in Numidia restituit. Ex ipsis itaque rebus, quas in opere Sallustiano contentas breviter artigimus, quum sufficienter intelligi possit, quantam haec historia vim habeat ad excitandam atque occupandam eruditi lectoris attentionem, eo magis dolenda est jactura eorum librorum, quos de turbis Sullanis belloque Sertoriano *) Sallustius exaraverat; qui libri, si adhuc extarent, optimum nobis exhiberent συςημα rerum per memoratu dignissimam reipublicae romanae periodum gestarum. Fragmenta enim, quae ad calcem editionum hujus Auctoris adjecta sunt, sitim nostram excitant, non restinguunt. His omnibus bene ponderatis jam in eo admirationem atque laudem Sallustius meretur, quod selegerit argumentum historicum necessitatibus aevi sui quam maxime accommodatum, in quo elaborando non modo summas ingenii vires experiri, sed etiam vitia civitatis ostendendo multum ad erudiendos

*) Ex pluribus veterum testimoniis atque citationibus, et praecipue ex versibus *Ausonii* in Idyllio XXXII, quorum Clericus in vita Sallustii meminit, intelligitur, Sallustium praeter bellum Catilin. et Jugurthinum sequentes edidisse historias: 1) Historiam rerum Romanarum per 12 annos gestarum, ab initio belli Marsici usque ad extremam dictaturam Sullae; 2) Historiam belli Sertoriani, quod sub finem vitae Sullae coepit A. U. C. 674 — 681, 3) Historiam tumultus ab Lepido atque Catulo excitati. A. U. 687. Conf. ipsum Sallustii testimonium in praefat. belli Catil. c. 4.

commonendos atque corrigendos cives conferre posset. Nec minus Sallustii fides, quae quidem, in historico scriptore primum spectanda est, ex hac causa plurimum confirmatur, quod rerum, quas commemorat, aliae auctoris aetatem haud multum excedant, aliae vero quasi in conspectu ipsius gestae sint. Equidem haud ignoro, non cuivis Scriptori, qui res suo loco atque tempore gestas memoriae prodit, omnino fidem esse habendam, cum saepissime fiat, ut hujus generis scriptor vel metu, vel spe vel partium studio a vero dicendo abstrahatur. Ab his vero vitiis, quae scriptis historicis magnopere detrahunt, immunem fuisse Sallustium, si vel ipsius Auctoris testimonio, quod in praefatione belli Catilinarii (c. 4.) continetur, credere nolimus, interna Sallustianae historiae conditio attenta lectione perspecta affatim nos edocebit. Deprehendimus quippe tum in Catilinaria tum in Jugurthina historia liberalem quandam in judicando audaciam, quae a veritatis studio nunquam abhorret, et neque gratia, neque invidia commaculatur. Sallustius certe nusquam dubitat, de malis, quae suo tempore rempublicam premebant, libere profiteri, perstringit idem pro re atque loco vitiosos clarissimorum civium mores, ignaviam eorum, superbiam, imperandi lubidinem, licentiam atque avaritiam; *) et quamvis ipse facta sua vitaeque rationem, quam sequebatur, dictis haud exaequaret, **) exinde tamen veritati eorum, quae ab

*) Hac pertinent egregia illa loca, in quibus civitatis mores pro temporum diversitate tanquam in speculo exhibentur. Cf. B. Cat. c. 6 — 14. B. J. c. 41 — 43. c. 3, 4.

**) Testimonia veterum de vitae Sallustianae probris tanta

eo dicta vel praecepta erant, nil decedebat. Equidem haud negaverim, Sallustium ex taedio amissae dignitat senatoriae permotum fuisse, ut Senatorum vitiis minu parceret, facile concesserim, historiam egregii viri nonnihi ex animi sui colore traxisse; (v. praefat. belli Catil. item que belli Jugurth.) at nunquam tamen adversa Sallusti fortuna eo valuit, ut in scriptis suis asperitatis et malevo

sunt, tamque gravia, ut frustra quis laboraret, si ex propo sito illa confutare velit. Sunt tamen nonnulla, quae ad ex cusandum Sallustium adduci cum ratione possunt. Primum enim illa crimina, quae ex declamatione personati Ciceronis in Sallustium proferuntur, vel plane efficta, vel ex consilio ignoti scriptoris supra veritatem elata videntur. Certe, si liceret ex hujusmodi declamationibus vanorum Rhetorum argumentari, quanta, si dis placet, labes atque infamia ex altera declamatione, quae Sallustii nomen mentitur, ipsi Ciceroni, cujus virtutes omnis antiquitas veneratur, adspergenda esset? Quae de turpi adolescentia Sallustii ex Horatii Sat. 2, L. 1. et ex Auli Gellii L. 17, c. 18. qui quidem ad Varronem scriptorem gravissimum provocat, adferuntur, his quidem refragari non ausim, sed dicendum etiam est, hanc adolescentiae labem Sallustium ex sui temporis communi more traxisse. Neque audiendi sunt veteres Grammatici qui teste Scholiaste Horatii Sallustium propter insanos atque turpes amores Senatu ejectum tradunt, quum contra e Dionis histor. (L. 40. p. 150. ed Leuncl.) satis constet, Appium Pulchrum Censorem, hominem Caesari inimicissimum Sallustium cum aliis nobilibus propterea Senatu ejecisse quod Caesarianis partibus faveret. Quomodocunque autem de Sallustii adolescentia statuatur, illud certe ex scriptis illius quae insignem probitatem et expolitum ingenium prae se ferunt, apparere censeo, Sallustium omnem adolescentiam in voluptatibus sed potius in bonis artibus atque literis consumsisse. Magis illa Sallustium premunt, quae de virili[illegible]sius aetate Dio Cassius L. 43. his verbis tradidit; „Ca

lentiae signa proderet, vel ad convicia et criminationes delaberetur, quibus historiae dignitas quam maxime violatur.

Ceterum nec temporis ratio, intra quod scribebat, suadere poterat Sallustio, ut, quae sentiret, dissimularet, vel minus libere profiteretur. Et enim tum temporis cuivis civi liberum erat, aperte proloqui, et de rebus etiam civilibus ex animi sententia judicium ferre; simulatum contra illud atque occultum dicendi genus, quod postea invaluit, Sallustii aetas feliciter ignorabat. Itaque, quo minus Sallustio opus erat, linguam moderari, eo magis operam dabat, ne importuna atque intempestiva proferret. Quanquam igitur, ut historia placeat, et ad animum commovendum efficax sit, id praecipue exigatur ab historico scriptore, ut de rebus gestis, quas proponit, non temere, sed pro rerum natura liberaliter ac modeste judicet, ex eodem tamen jure illud etiam requiritur, ut ab omni partium studio alienus sit, quidem lectoribus fidem facere voluerit. Historicum scriptorem neutri decet parti addictum esse, vel, si faveat alterutri, magnopere cavendum est ipsi, ne studium suum prodat, et orationem suspectam faciat. Prop-

---

Sallustio in Senatum reducto provinciam Numidiam tradidit. Ibi multa dona accepit, multa rapuit, et ab Numidis accusatus maximam infamiam retulit; quod, quum libros scripsisset, in quibus copiosa et acerba oratione invectus erat in eos, qui ex provinciis quaestum fecissent, rebus ipsis, quod scripserat, non expressisset. Itaque, quamvis a Caesare absolveretur, suis tamen scriptis ipse perennem sibi infamiam contraxit?" At nolo his longius immorari, quod memini, me non de Sallustii, sed de historiae Sallustianae virtutibus scribere aggressum.

terea historicum dicendi genus sit compositum, moderatum, et adfectuum expers. Qua cautione neglecta, scriptor historicus, si vel maximo veritatis studio teneatur, lectoribus tamen suspicionem quandam movebit; illiusque, quod bene et salubriter monuit, efficaciam ipse in animis legentium imminuet. Ita v. c. Sallustius, si in depingendis Catilinae moribus et factis ad exemplum Ciceronis orationem suam voluisset componere, haud quidem contra veritatem, sed inepte tamen et importune rem suam instituisset, quum aliud dicendi genus oratoria, aliud historica expositio desideret. Quapropter etiam Sallustius teste Quintiliano l. c. et Vellejo II, 36 in componenda historia optimum in historico genere Scriptorem inter Graecos Thucydidem secutus, et ex industria presso atque composito dicendi genere usus est, quod historicis rebus esset accommodatum, et dignitatem quandam atque gravitatem spiraret. Fuere tamen inter antiquos, qui hoc dicendi genus Sallustio exprobrarent. Ita v. c. apud Suetonium in libro de illustr. Gramm. c. 10. Asinius Pollio *) Sallu-

*) Ex citato loco rite conjici potest, Asinium hunc Pollionem, virum ceteroquin literatissimum Romaeque satis pollentem ex invidia adductum fuisse, ut Sallustianae dictioni obtrectaret, quod quidem ex Horatii L. II. Oda I. ad eundem Asinium scripta confirmari puto, ex qua intelligitur, Pollionem easdem res, quae Sallustius scripserat, retractasse, adeoque aemulum hujus viri extitisse. Ceterum arrogantem atque invidiosam ipsius naturam fuisse, tum ex loco quodam Suetonii in vita Octavii c. 43. tum maxime ex Suetonii Julio C. 56. apparet, ubi idem Pollio Caesaris Commentarios ab Cicerone et Hirtio laudatos reprehendit,

etiam reprehendit, quod antiqua verba et figuras colligere solitus fuerit, et obscuritatem dictionis atque in translationibus audaciam sectetur. Idem quoque sensit Augustus, qui apud Suetonium c. 86. M. Antonio *molestum* scribendi genus exprobrat, dicens: tuque dubitas, Cimberne Annius an Veranius Flaccus imitandi sint tibi, ita ut verbis, quae C. Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis, utaris? Verum his auctoritatibus parum effici arbitror, quum alii contra, nec minores hac in causa Judices Quinctilianus nempe et Seneca stilum Sallustianum laudent, quorum prior illud tantummodo praecipit, ut in causis agendis vitetur Sallustiana brevitas, quae in ipso virtutis locum obtineat, et qua nihil apud aures vacuas et eruditas perfectius esse possit; (v. Institt. Or. L. 4, c. 2. n. 45. et L. 10, 1, 32.) alter autem Ep. 114 id agit, ut ineptos homines, quibus ingenium Salustii deest, ab imitatione hujus scriptoris absterreat. Et profecto omnes, qui linguae romanae copia instructi Sallustii libros *legere* volent, facile mecum consentient, brevitatem istam perspicuitati non obesse, maximoque jure ad histo-

---

eosque parum diligenter parumque integra veritate compositos putat. Neque etiam Pollio justam habuisse videtur causam exprobrandi Sallustio obsoletam verborum structuram, nimiumque antiquitatis studium, si quidem Quinctiliano fides est habenda, qui LX, 1, n. 113. Pollionem judicat a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abesse, ut videri possit seculo prior. Plurima Veterum testimonia de Stilo Sallustii collegit J. G. Walch in hist. Crit. Lat. Ling. p. 587 — 594.

riam sallustianam transferri posse, tritum illud, quot verba tot pondera. Veritatis itaque studium, quod historiam Sallustii exornat, quum jam ex natura atque indole sermonis sallustiani eluceat, manifestius exinde cognoscitur, quod per universum opus non ex factione vel partium studio sed pro rebus ipsis judicia feruntur. Sallustius enim pro re atque loco suo patriciorum tantummodo atque nobilium depravatos mores, sed vitia quoque vulgi atque Tribunorum plebis exagitat, (v. ex. gr. B. J. c. 40. in fine, c. 33. 34. c. 73.) neque etiam, si asperius et copiosius contra nobilitatem insurgit, id ex privato scriptoris consilio, sed exinde derivari debet, quod plura apud nobilitatem et graviora facinora invenerat, et quod ab his primum exorsa lubido ad plebem postea manaverat. Potissimum vero exinde veritatis studium sancte ab Sallustio cultum intelligitur, quoniam ex ipsa Viri egregii historia demonstrari potest, eum ab ira, odio et adulatione invictum animum gessisse. E pluribus veterum testimoniis, *) atque ex illa imprimis declamatione, quae Salustio adscribitur, scimus, haud mediocres ipsi cum Cicerone inimicitias fuisse. Quae tamen haud eo valuere, ut in restinguenda conjuratione Catilinaria virtuti atque industriae Ciceronis detraheret, sed praeclare potius ac honorifice de eodem sentiret. (vid. B C. c 26, 28, 29, inprimis c. 31, 48, 49) Ex altera vero parte Sallustius, ut supra jam ex ipsius vita monuimus, Caesaris partes sequebatur, atque eo quidem tempore, quo bellum Catilinarium scribebat,

*) vid. Asconius Pedionus in Ciceronis Milonianam.

praecipue videtur operam navasse, ut in amicitiam Caesaris, qui tum jam in republica plurimum valebat, receptus amissum honorem recuperaret, quod etiam postmodum accidisse, ex Dionis Cassii libro 42 compertum est: Licet vero Sallustio quam maxime cavendum erat, ne Caesari displiceret, tantum tamen ab turpi adulatione abfuit, ut potius historiae Catilinariae nonnulla de Caesare intexeret, quae in malam partem trahi facillime poterant. Ad hoc genus meo quidem judicio referenda ſunt illa, quae B. C. c. 49. continentur, praecipue vero Catonis Oratio in Senatu habita Caesarique adversa C. 52. denique insignis illa inter Catonem, atque Caesarem c. 54. instituta comparatio, qua Caesaris virtuti plus detraxisse quam addidisse Sallustius videtur. Satis jam pro angustia hujus ſcriptionis de Sallustianae historiae virtutibus, quantum ex dilectu rerum et ex consilio atque animo ſcriptoris judicari potest, dictum puto, reliqua, quae de ipsa arte historica, quam Sallustius in tractatione atque ordine rerum adhibuit, moneri possunt, in aliud, quod dabitur, tempus differam.

III.

DE RATIONE VETERUM IN HISTORIA TRACTANDA PROGRAMMA. 1786.

Superiori anno, quo nobis contigit, ex hac publica tabulà Faustissimos Serenissimi Caroli, illiusque, cujus *Ipse* Parens atque Conservator est, Academiae *Natales* indicere, Vosque, Cives! ad publicam atque piam ſacratissimi hujus diei concelebrationem exhortari, prolusionis loco nonnulla *de virtutibus historiae Sallustianae* vobiscum disputavimus, atque in hac materia ita fuimus versati, ut, quae ad illustrandum hoc argumentum tum ex ipso rerum delectu tum ex consilio atque industria Scriptoris peti poterant rationes, eas vobis declararemus. Quanquam vero hoc idem argumentum ita sit comparatum, ut vel pluribus ſcriptiunculis academicis materiam ſuppeditare possit, praesertim ſi per partes atque ſingulatim exponere velimus de ipsà arte historica, quam Sallustius adhibuit;

tamen, ut aliqua varietate animi lectorum relaxentur, decrevimus, hac eadem ſuavissima atque laetissima opportunitate publice disserendi oblata, materiam ſeligere genethliacae festivitatis prodromum, quae conjuncta esset cum illa priori materia, et ex qua deinceps de ſtudiis Veterum historicis rectius judicum ferri posset. Cogitanti quippe mihi de arte historica Sallustii, forte lubuit attendere, quasnam rationes atque leges in historia conscribenda ſecuti fuerint Veteres, quanam methodo usi, qualia habuerint tum adjumenta et praesidia, tum impedimenta et obstacula in hac arte tractanda, quibus denique virtutibus Opera Veterum historica luceant, quibus vitiis laborent; deinde etiam videre, quid Recentiores in hac arte profecerint, quomodo eam tractaverint, auxerint, emendaverint. Quibus consideratis id efficitur, ut eo facilius de meritis tum Veterum tum Recentiorum in Historiam absque invidia vel gratia recte et aequabiliter judicari, justumque utrisque pretium statui possit. Itaque *de modo Veterum historiam pertractandi* ſcripturus hoc argumentum ita ſummatim complectar, ut primum *origines* atque *incrementa* Historiae apud Veteres Graecos praecipue et Romanos paucis attingam, tum ostendam, quid in Veterum libris historicis *desiderari* possit, deinceps *causas excusationis* adferam, denique, in quo ſcripta Veterum historica *excellant*, habito ſemper ad Recentiores respectu, strictim exponam, libereque profitear.

Admodum vilia et exigua, ut reliquarum artium, ita etiam historicae artis initia fuisse, ex genio ſeculorum barbarorum, et ex indole ferarum gentium, quae nec praete-

rita curant, nec futura prospiciunt, facile quivis intelligit. Quamvis enim unaquaeque natio a fordibus immanitatis primum repurgata et ad aliquam humanitatis fpeciem efformata naturali quodam instinctu feratur ad memoriam rerum fuarum posteris transmittendam, plura tamen obstare folent his moliminibus, atque in his potissimum fcriptionis ignorantia. Constat quippe, apud omnes antiquitatis populos praecipua ipsorum facta, et fata per os atque linguam propagata, omnemque rerum gestarum fcientiam carminibus fuisse comprehenfam, rudibus quidem et inconditis, fed quae insignem vim haberent ad animos juniorum capiendos, et plurimum conferrent, ut res istae decantatae eo firmius animis audientium inculcarentur, et in ipsorum memoria haererent. Cum vero priscae nationes paulatim coepissent ad majorem cultum elevari, tum multiplicatis rebus gestis, et accensis hominum studiis ad ea notanda, quae acciderant, carmina ista, quibus *olim* omnis res historica continebatur, non amplius videbantur fufficere ad memoriam praecipuorum folummodo casuum atque fortunarum conservandam. Igitur reperta et confestim per manus tradita fcribendi ratione primariae res gestae primum coeperunt literis consignari, tabulisque incidi, quae tanquam publica eventuum clarissimorum documenta atque monumenta exstarent. Haec quasi artis historicae rudimenta, quamvis exilia, viam tamen muniebant ad purgandam atque poliendam hanc artem, qua tum ad utilitatem, tum ad oblectationem generis humani nil dici fingique potest excellentius. Tabulae enim istae publicae, quibus inscriptae erant res gestae, hunc praecipuum

praestabant usum, ut, quum ante inventam scribendi rationem tum ex fallaci hominum memoria tum ex eorum fingendi studio genuinae rerum gestarum veritati plurimum detraheretur, jam illae sine corruptela et a fabularum fuco intaminatae ad posteritatem transferrentur. Quamvis autem Tabularum et priscorum Annalium ope, qui publica autoritate a magistratibus et pontificibus confici et curari solebant, veritati rerum ibi consignatarum vehementer esset consultum atque provisum, permultum tamen temporis defluxit, donec historia in modum artis perpetuis praeceptis ordinatae veniret. Scilicet apud Graecos et Romanos, cultissimos antiquitatis populos Historiae disciplina per longa aetatum intervalla inornata constabat congerie et quasi farragine factorum sine lumine, nexu atque ordine in Annalibus repositorum. Vetustissimi certe et Graecorum et Romanorum Annales, prout ex ipso Historicorum Veterum testimonio et ex fragmentis, quae adhuc supersunt, colligi potest, nullo pro gravitate rerum gestarum selectu et discrimine adhibito, quae facta erant, summatim tantummodo et cum brevi notatione temporis horrido quodam dicendi genere recensebant, atque ita erant digesti, ut ad chronica medii aevi scripta quam proxime accederent. Cum primum vero Philosophia, reliquarum omnium scientiarum dux atque magistra, mentes hominum occupavit, historia quoque philosophiae lumine collustrata collectas maculas eluere, et ad nitorem quemdam atque dignitatem efflorescere coepit. Jam illi Veterum, qui in consignandis rerum gestarum monumentis operam suam collocabant, eas rationes atque leges sequebantur,

ut non modo vera a falsis ſolertius discernerent, ſed praecipue res gestas, non temporis modo, ſed ipsarum rerum ratione habita, justo et lucido ordine digererent, causas earum atque eventus tum propiores, tum remotiores diligentius notarent, ad naturalem factorum nexum curatius attenderent, mores hominum, quos praecipua gestarum rerum instrumenta esse videmus, luculentius depingerent, ſermonem denique ad majorem puritatem, perspicuitatem et elegantiam componerent, atque ita his omnibus artibus historiae pragmaticam illam vim conciliarent, ſine qua nullus esse potest hujus disciplinae usus, nulla jucunditas. Harum fere legum in tradenda Historia ſtudiosos fuisse bonos Veterum historicos, nemo ſane negaverit audacter, qui in eorum ſcriptis historicis vel mediocriter est versatus. Habemus e Graecis Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Arrianum, aliosque, e Romanis Livium, Sallustium, Tacitum et alios, quos omnes ſcimus, quanquam diverso itinere, in eo occupatos fuisse; ut historicam artem ornarent atque amplificarent; et haberemus certe plures; nisi et hominum et temporum injuria tot egregia Opera, quae ad historiam ſpectabant, deleta fuissent atque penitus abolita. — Verum quamvis historici veteres ſua laude omnino privari nequeant, in pluribus tamen eos haesisse, et praesertim ab ista ſublimiori arte historica Recentiorum multum abfuisse, attentus atque eruditus Lector facile animadvertet, nisi nimio Veterum ſtudio et amore abreptus fuerit atque occaecatus. Collatis enim rerum gestarum ſcriptoribus veteris et recentioris aevi ſtatim illud apparet, Historiam apud Veteres arctis

et angustis limitibus fuisse circumscriptam. Antiquiores nimirum Historici plerumque sui tantummodo populi suique temporis res narrant, morum, naturae, indolis aliarum gentium, nisi propior intersit necessitudo, prorsus incuriosi; neque etiam, sive universam suae gentis historiam complectantur, sive illius tantum particulam describant, ita in exponendis rebus versantur, ut, quae de studiis, moribus, cultu suae gentis passim tradidere, ea certis intervallis iterum colligant et conjungant; quae tamen res non lectoris modo memoriam mirifice adjuvat, sed etiam efficit, ut universam descriptae gentis indolem intueri, et veram illius quasi effigiem animo signare possit. Praeterea illud in libris Veterum historicis desiderari posse existimo, quod in summa ubertate earum rerum, quae quidem ad rei publicae administrationem vel ad rem militarem spectant, ceterarum fere omnium eodem jure ad Historiam pertinentium inopia laborent; quod expectationem Lectoris de moribus, publicis et privatis institutis, ritibus, vectigalibus, et religionibus plura scire cupientis saepissime fallant, vel omnes illas res notatu quam maxime dignas, quae leg gentium animos erudire et oblectare possunt, ita leviter attingant, ut, quo pacto illae cum summa reipublicae cohaereant, vix ac ne vix quidem appareat. In ipsa porro commemoratione mutationum, quas respublica est perpessa, ipsa quidem facta expromunt, et in conspectum lectoris deducunt, reconditas autem causas, instrumenta et adminicula, quibus aliqua reipublicae conversio effecta est, vel plane silent, vel ita exponunt, ut plenius ea pernoscendi haud raro desiderium Lectoribus relinquatur. Veteres prae-

terea historici, prout ex ipsorum scriptis intelligitur, id sibi persuasisse videntur, magnas tantummodo, graves et ad universum populum spectantes res esse, quae fundum Historiae constituant, et materiam huic disciplinae suppeditare possint. Quapropter illi in historia tractanda raro ad singulares casus minutasque res descendunt, quas tamen ad indolem gentis propriam penitius declarandam, vel ad gravioris momenti casus illustrandos permultum nonnunquam conferre in aprico est. In quo autem vel optimi Antiquitatis Historici quam maxime peccant, hoc est, quod in recensendis rebus gestis ad ordinem temporum illiberalius sese attemperent, quae quidem methodus ceteroquin haud improbanda, hoc tamen habet incommodi, ut gravissimarum rerum compages, quae legentium animos trahit, quasi dilaceretur, et pragmaticus ille, quem vocant, factorum nexus, e quo res historica suum praecipue lumen petit, paene intercidat. Denique etiam in eo laborare videntur Veteres Historici, quod in fontes, e quibus hauriunt, non sollicite inquirant; de rebus, quas commemorant, praesertim vetustioribus vel temere statuant, vel productis etiam testibus nihil ipsi judicent, sed lectoribus judicium relinquant. Quae consuetudo, uti res, quas narrant, suspectas facere videtur, ita etiam Scriptores in suspicionem adducit, defuisse ipsis vel ingenium vel industriam, ut varia plurium Auctorum testimonia de iisdem rebus inter se componant, aequa lance ponderent, et exinde, quid verum vel verosimile sit, definiant *).

---

*) Ne quis putet, injuriam a me fieri Veteribus Historicis,

Quae Veterum Historicorum vitia, quum libere professus sim, vereor, ne in eorum invidiam incurram, qui

---

e pluribus unum tantummodo proferam exemplum *Dionysii Halicarnessensis*, qui in Archaeologia sua Romana de Originibus Urbis disserens ex more loquacium et subtilium Graecorum omnes Antiquorum fabulas mira diligentia congerit, lectorem fatigat, neque tamen expositis plurimorum Auctorum sententiis, quale cuique pretium statuendum sit, definit.

Melius sapere videntur Recentiores, qui in tradendis rebus dubiis, antiquitate obscuratis selectum inter testes faciunt, potiores tantum nominant, eosdem sub examen vocant, et ponderis magis, quam copiae testium rationem habent. —

Generatim illud in studiis Veterum historicis deprehendisse mihi videor, eos haud libenter universalem historiam fuisse aggressos, sed intra suae gentis, vel sui temporis limites plerumque substitisse, et in iis, quae ad aliorum fidem narrari debebant, sententiis testium per saturam fere exquisitis pronunciasse. Habemus certe in Veteribus perpaucos, quos constat, in Historia universali conscribenda vires exercuisse, *Herodotum* quippe, *Diodorum Siculum* et e Romanis *Trogum Pompeium*, cujus libros nunc deperditos Justinus excerpsit, (vid. praefat. Justini). Neque *Livium* inter hos reponere ausim, quum ille tantum universam rem romanam a primis initiis usque ad suam et Augusti aetatem excutiat. Eo largior contra messis Historicorum extitit, qui graecas et romanas res sua aetate gestas calamo copiosius perstrinxerunt, quorum opera, si adhuc extarent, magnam molem efficerent. Floruit nimirum ars historica inter Graecos maxime a felici aetate Periclis cum reliquis scientiis usque ad Alexandrum M., atque post hunc Alexandriae inter Ptolemaeos; inter Romanos autem a fine bellorum Punicorum, potissimum vero septimo atque octavo Seculo ab urbe condita. Haec enim fuere secula, quae tum cla-

antiquitatis praejudicio capti tanta Veteres religione suspiciunt atque venerantur, ut illos omnes disciplinas ad

rissimorum facinorum, tum magnorum etiam Virorum proventu abundarent, quibus, quum ipsi multa magna fecissent, plurimum intereat, ut in publica sentiendi atque dicendi libertate suas et reipublicae res ad posteros transferrent. In illa felici ingeniorum exercitatione factum est, ut Romani deinceps etiam ad illud historiae genus se accingerent, quod vitam illustrium Virorom privatam, eorumque res gestas complectitur, quod ad informandum atque delectandum Lectorum praecipuum habet momentum, et in quo illa reponi atque suppleri solent, quae in Historia populi apte et convenienter expromi nequeunt. Hanc historiae tradendae rationem biographicam v. c. ingressus est *Cornelius Nepos*, et post illum *Suetonius*. Prior quidem, materiam scriptionis non e patria solum, sed e barbara quoque et inprimis graeca historia desumsit, vitasque excellentium hominum et Imperatorum ita exposuit, ut tales maxime e pluribus nationibus Viros seligeret, quibus aliqua naturae, ingenii vel fatorum similitudo interesset, eo consilio, ut nimirum Lectores illos Homines inter se componendi facultatem habeant. Dolendum est, intercidisse vitas Romanorum Imperatorum hujus praestantissimi Scriptoris calamo exaratas. Hujus egregii Biographi vestigia sine dubio postmodum secutus est *Plutarchus*, in Vitis parallelis, quae fortunae beneficio ad hanc nostram aetatem servatae sunt.

Defloruisse paulatim cum aliis artibus sub aetatem Caesarum etiam historica studia, e scriptis illius periodi historicis, quae nostram aetatem viderunt, notum est. Causas hujus rei multi attulerunt, atque ego, si locus pateretur, repeterem. Quanto intervallo istius aetatis Historici post antiquiores fuerint, si paucos, et inprimis *Tacitum* exceperis, exinde cognoscitur, quod illi fere Scriptores non sui populi suive temporis res ex ingenio, sed peregrinas historias ad exemplar aliorum, qui easdem jam tractaverant, scripserint, vel antiquiores Historicos excerpserint, in com-

supremam artis consummationem perduxisse temere sustineant. Sed fortassis erunt etiam, qui mecum sentient, qui imbuti Veterum lectioni in justa eorum admiratione vitia tamen illa, quorum jam mentionem fecimus, non detrectabunt, praesertim, quum haec vitia eo valeant, ut eruditam Lectoris curiositatem haud raro frustrentur, eumque cogant, multa, quae in disjectis Veterum librorum locis breviter et obscurius dicuntur, cum summa difficultate atque taedio conquirere. Quot sane lites literariae de multis et variis rebus fuissent interceptae, si placuisset Veteribus historicis, de rebus istis plenius atque distinctius exponere!

Ne autem nimium videar Antiquis detraxisse, (quod mihi minume vellem exprobrari hac aetate, qua Veterum studia in pluribus Germaniae Academiis languescunt, atque adeo romanae linguae usus edictis publicis proscribitur)

---

pendium redegerint, vel illustraverint. Exempla sunt in promtu. *Curtius*, bonus ceteroquin Scriptor, de cujus aetate non satis constat, res gestas Alexandri M. peregrinas, ab aliis Scriptoribus jam frequentatas edidit; idem, quamvis meliori causa fecit *Arrianus* scriptor graecus sub aetatem Adriani, Xenophontis, ut ipse fatetur, imitator. Reliqui fere omnes, quos habemus, Compilatores sunt et Epitomatores Veterum: ut *Florus* Livii, *Justinus* Trogi. Ad eandem Historicorum familiam referendi sunt *Vellejus*, *Aurelius*, *Eutropius*, aliique *miscellaneam* eruditionem historicam ostentantes, velut *Gellius* et *Valerius Maximus*, qui pro historia singulares casus et exempla virtutum vitiorumque tum peregrina, tum domestica undique arrepta in locos quosdam communes digessit; qua opera nil potest dici insulsius et a bono gustu remotius.

causas etiam *excusationis* nonnullas adferam, et *in quo* Veterum historica scripta prae recentioribus *niteant*, ostendam. In dijudicandis scriptis Veterum historicis, si quidem aequam adhibere censuram velimus, attendere nos oportet tum ad aevi antiquioris rationes, tum ad ipsa Scriptorum consilia, quae, in Historia conscribenda secuti sunt, et pro ratione temporis sequi debebant. Orbis videlicet antiquioris longe alia erat conditio quam recentioris. Nulla isto aevo vel exigua diversarum gentium erant commercia, neque provinciae et regiones longo intervallo disjunctae a negotiatoribus aut aliis hominibus curiositatis vel ingenii acuendi causa frequentabantur, neque etiam, quum in Orbe antiquo cultus ad unam tantum vel alteram nationem pertineret, vinculum quoddam aderat πολιτικον, quod plures inter se nationes moribus vel imperio diversas copularet. Quapropter etiam politissimae Antiquitatis nationes, Graeci et Romani, si quidem eas, de quibus parum constat, antiquiores exceperis, quae commercia faciebant, tanta laborabant exterarum gentium atque regionum ignorantia, ut ipsarum scientia geographica, cujus tamen summus usus est in historia, suis fere terrarum finibus concluderetur. Romani certe, prout omnis eorum vis in armis erat posita, ita etiam hanc scientiam armis prorogabant, ita quidem, ut, quae extra imperium sitae essent regiones, fere nescirent, atque ipsorum adeo imperium haud raro terrarum Orbis cognomento comprehenderent. Accessit ad hanc locorum inscitiam in utroque populo, eandemque auxit studium quoddam vehemens suarum rerum, quo sibi soli ita placebant, ut alias nationes despi-

cerent, barbaras eas vocarent, et propterea res earum negligentius curarent; quos magnos spiritus eo minus aliquis invidebit, quo certius constat, Graecos et Romanos legum praestantia, disciplinae severitate, morum humanitate, artiumque et scientiarum flore inter ceteras terrae gentes permultum eminuisse. Denique etiam illud ad excusandos Veteres Historicos non est praetereundum, caruisse illos omnibus praesidiis atque commoditatibus, quae nostra aetate tum ex arte typographica tum ex facili epistolarum commercio cum remotissimis gentibus ad juvandam artem historicam redundant, et quae efficiunt, ut Scriptor historicus recentioris aevi plurimarum rerum ad Historiam facientium scientiam facile sibi comparare, eandemque repente cum plurimis communicare possit. Ex his, quae diximus, quivis videt, quid impediverit Veteres, quo minus historiam tam subtiliter et artificiose tractaverint, vel universalis Historiae ideam animo conceperint. Neque etiam propter istas difficultates, quas exposuimus, liberum erat Veteribus, morem sequi recentiorum, qui in tranctanda *populi* alicujus historia, ut vana curiosorum hominum ingenia occupent, argumenta sua altius atque longius repetunt, ad peregrinas saepe res cum historia, quam tractant, laxius conjunctas dilabuntur, illis nonnunquam diutius immorantur, et varii generis comparationibus pro ingenio indulgent. At profecto Antiquis his artibus non erat opus, peregrinas res cum domesticis miscendi, quum ad utilitatem maxime civium historias componerent; quibus suae res unice placebant, qui non varietatis, sed veritatis maxime studio tenebantur, neque ea mente historias manu

si spectes formam regiminis et libertatis amorem, proxime ad Graecos veteres et Romanos accedunt); facile exinde intelligitur, nec penuriam rerum peregrinarum, nec brevitatem atque concinnitatem in tradendis patriae rebus Veteribus Historicis vitio esse vertendam. Haec potius bonorum antiquitatis Historicorum laus atque virtus est, ut verbosa minutarum rerum expositione animum non distrahant, sed eum potius in rebus gravioribus defigant, quas pro naturali earum nexu ita exponunt, ut universam rerum gestarum compagem attentus lector mente complecti facile possit. Atque hanc laudem inter omnes, quos habemus, Veterum Historicos maxime ad *Thucydidem* hujusque aemulum *Sallustium* pertinere, haud inficior. Denique, ut nil pratereamus, quod ad justam Recentiorum atque Veterum comparationem in rebus historicis aliquid conferre possit, fatendum etiam est, libros Veterum historicos in eo maxime nitere, quod ab ejusmodi Auctoribus ut plurimum fuerint profecti, qui, quum ipsi magistratus gererent, negotia publica tractarent, et militiam facerent, optime ac rectissime de rebus ad rem politicam vel militarem pertinentibus, exponere, ac judicare poterant. In Graecorum atque Romanorum gente omnes, qui supra plebem sapere volebant, praeter oratoria ac philosophica studia usu atque exercitatione scientiam administrandae civitatis atque rei militaris discebant. Quot itaque commoda Veteres ex illa scientia capere debebant in describenda historia, inprimis quum in ipsorum historia, ut jam diximus, pro indole istius aetatis maxime res atque turbae forenses, instituta publica, nec minus bella, praelia, urbi-

um expugnationes et hujusmodi alia recenseri soleant. Cui commodo ad juvandam Historiam apud Veteres etiam hoc accessit, quod gravissimae res in Graecorum atque Romanorum imperio publicis consiliis atque in conspectu quasi universae gentis agitarentur, singulisque liberum esset historiam tractantibus, ex suo ingenio de rebus gestis judicare. Ex his certe causis derivandae videntur illae virtutes, quas praeterea in Operibus Veterum historicis lucere animadvertimus, scilicet sincerum veritatis studium, judiciorum maturitas, et liberalitas quaedam experientia atque usu rerum temperata, quae nec a modestia nec a prudentia civili aliena esse solet. Ad has virtutes deinde etiam in Operibus Veterum historicis accedunt illae, quae a bono rerum ordine atque venustate sermonis proficiscuntur. Qui enim illa Opera sine partium studio, et scientia rerum quae ibi tractantur, satis instructus solerter perlustraverit, facile concedet, Veteres in tradendis rebus politicis atque militaribus perspicuitatem atque elegantiam cum brevitate et simplicitate dictionis felicissime conjunxisse. Neque est, ut has etiam virtutes in Veterum historiis obvias magnopere miremur, quum constet, Graecos atque Romanos omnem adolescentiam in bene dicendi studio, et in exercitiis Oratoriis consumsisse, quae solummodo viam parabant ad imperia militaria atque ad magistratus urbis capessendos. Quantam assiduum illud eloquentiae publicae studium apud Veteres vim habuerit in tradenda rerum gestarum memoria, hinc luculentissime elucescit, quod omnes Veterum Historici frequentes historiis orationes immisceant, et illustriores homines, quorum facta recensent, ad mo-

dum Dramaticorum loquentes inducant *). Haec fane methodus, quum res gestas repraesentet, hominesque, quorum praecipuum in historia momentum est, ita in conspectum nostrum deducat, ut eos agentes intueamur, loquentes audiamus; maximam non modo fuavitatem historiae adfert, fed vim quoque insignem ad animos lectorum commovendos. Recentiores quidem illam methodum hac potissimum ratione ex historia eliminasse videntur, quod arbitrarentur, eam veritati, quae prima lex fit Historiae, minus convenire. Verum, quid historicae veritati fictis istis Orationibus detrahatur, vix apparet; non enim necesse est, ut Orationes illae verae fint, et genuinae, fed ut loco, tempori atque hominibus conveniant. Deinde, quum in Historia faepius etiam necesse fit, ad conjecturas confugere, quid interest, fiquidem Historico fcriptori de consiliis atque moribus et actionibus hominum disputanti credere velimus, utrum ei fidem faciamus pro fe aut aliorum ore loquenti? Quum igitur dramatica illa methodus dignitati et veritati Historiae minime adversetur, hanc praeterea habet utilitatem, ut, quae alia ratione multis verborum ambagibus dicenda forent, hac methodo breviter et concinne dici queant.

At ne longius vos moremur, Cives carissimi! progre-

*) Ex hoc Veterum studio res olim gestas oculis legentium subjiciendi explicandus mihi videtur frequens usus *Praesentium* in *Verbis* vel *Infinitorum*, ut vocantur, *historicorum*, in quorum locum mos recentium linguarum *Imperfecta* plerumque reponit.

dimur jam ex officii nostri ratione, ad indicendam solemnitatem sanctissimam, cujus gratia superiorem commentationem praemisimus. Salutamus iterum atque deosculamur intimo, ut par est; animi adfectu Diem suavissimum, divinae providentiae beneficio reducem factum, diem, quo Deus nasci voluit Wirtembergiae, Carolum, Principem Civibus indulgentissimum, sapientissimum, in bonos beneficentissimum, literarum amantissimum, literatis amicissimum, Felicitatis publicae ex artibus literis atque moribus sustentandae atque amplificandae studiosissimum; atque inprimis pro salute, flore, incremento *Academiae Suae Carolinae* vigilantissimum. Quantum huic Tanto Principi Vos maxime, Cives carissimi! debeatis, multis verbis declarare nec necesse est, et, ut multo minus necesse sit, vestra facit humanitas, atque pietas. Si quidem, quod ab unoquoque Vestrum exspectari potest, intellexeritis, vitam humanam sine recta institutione solidaque doctrina nec fructuosam nec jucundam esse, sentietis ipsi, summam a Vobis reverentiam et gratiarum actionem deberi Principi, qui educationis atque institutionis vestrae curam admirabili solertia ita in se suscepit, ut, quae ad ornandum atque excolendum animum in literarum studiis bonisque moribus requiruntur, ea vobis omnia magnificis sumtibus pararet.

Gravissimas igitur et justissimas, tum Vos, qui discitis, tum nos, quibus docendi munus demandatum est, causas habemus, ut in communi plausu, quo per universam Patriam *Clementissimi Principis* dies natalis celebratur, nostram quoque venerationem *Tanto Principi* debi-

tam publico testimonio significemus, pro acceptis multis atque magnis beneficiis gratias agamus, et pro inconcussa *Munificentissimi Principis* salute, perennique Academiae ab Ipso conditae flore vota nuncupemus ardentissima. Quae, ut rite et ex more academico fiant, constitutus est Orator atque Interpres pietatis nostrae. Vir Amplissimus atque Doctissimus *Fridericus Ferdinandus Drück* Histor. P. P. O. qui votis pro incolumitate Principis Optimi persolvendis praemittet orationem praesenti aevo proxime accommodatam *de similibus mentis humanae erroribus in diversis seculis.* Cui orationi in Auditorio Academiae majori germanico idiomate recitandae, ut omnaes literarum nostrarum Fautores et Patroni interesse velint, enixe, decenter et officiose rogamus. Celebrabitur Actus in ipso Festo Natali hora post meridiem quarta.

IV.

DE METHODO PLATONIS PHILOSOPHIAM DOCENDI DIALOGICA.

PROGRAMMA. 1787.

Difficillima sane res est, de meritis alicujus Viri recte statuere, cui communis omnium seculorum vox divini prorsus ingenii et exquisitissimae doctrinae gloriam uno velut ore assignavit. Namque, si rationibus haud antea curatissime initis aliorum confirmaveris judicium, turpem prodes ingenii imbecillitatem vel inertiam, dum tibi ipsi non constet, quid judicandum sit; si contra recesseris, facile incurres in temeritatis suspicionem, vel summam iniquitatis infamiam. Itaque in definiendis magnorum Virorum meritis diligenti cautione atque circumspectione opus est, ne jactantius ea efferre, neve invidiosius detrectare videamur, justamque tum laudis tum vituperii mensuram adhibiamus. Hanc judicii curam et modestiam praecipue in *Platone*

tenendam esse arbitror, siquidem, quantum Vir ille ad Philosophiam sui temporis expoliendam contulerit, altius investigare voluerimus. Quis enim auderet contra totius antiquitatis recentiorisque aetatis consensum, et adversus gravissima eruditissimorum hominum testimonia *Platonem* aspernari; vel quis potius negaverit, philosophiam graecam huic immortali Viro plurimum debere, qui meliorem a *Socrate* sibi traditam Graeciaeque inlatam philosophiam admirabili studio perficere ac pervulgare conatus est, qui porro peculiarem condidit scholam, et nominis fama, et temporis, quo floruit, diuturnitate, et excellentissimorum qui eam honestarunt, ingeniorum affluentia celebratissimam. Quanquam vero facile largiamur, eximiam ingenii vim insignemque eruditionis copiam Platoni propriam fuisse, dubitari tamen potest, utrum mirae laudes, quas universa antiquitas in Platonis philosophiam congessit, rite pertineant tum ad ipsam doctrinam philosophicam, quam Plato in scriptis suis exposuit, tum ad methodum, qua in philosophia tradenda usus est.

Jam primum, quod ad ipsa dogmata Platonis philosophica attinet, necesse est, ut is, qui genuinum et aequabile de Platonis philosophia judicium ferre volet, ante omnia scripta Platonis ipse evolvat, et ex sana eorum interpretatione judicium suum derivet, quod quidem haud exiguas habet difficultates, quum Platoni familiare sit, allegoriis, figuris et adumbrationibus in dicendo uti, propria verba ad improprios sensus transferre, et communibus atque usitatis vocabulis novas subjicere significationes. Auget interpretationis difficultatem etiam illud, quod, quum Plato in

scriptis suis ore diverso et per alienas personas loquatur, in disputationis fervore atque opinionum pugna haud facile appareat, quaenam ubique vera sit hujus philosophi sententia. *) Heic vero inprimis cavendum erit interpreti, ne ex insulsis Neo-Platonicorum commentariis, qui veros Philosophi sensus turpiter depravarunt, eidemque varia opinionum monstra affinxerunt, interpretationem suam repetat, sed Platonem potius ex se ipso interpretetur, et nexu orationis probe considerato, genuinum scriptorum platonicorum sensum indagare atque eruere conetur. Deinde etiam, ut aequum constet philosophiae Platonis pretium, erit necesse, ut eam ex indole aetatis, qua floruit, metiatur, nec illam cum philosophia adultiori nostri temporis, quae quidem altiora ac laetiora incrementa cepit, sed potius cum doctrina atque praeceptis reliquarum Graeciae scholarum sedulo comparet.

Equidem lubens concesserim arduum hoc negotium, quod infinitam lectionem et instructissimum eruditionis apparatum desiderat, Viris in historia Graecorum philosophica

---

*) In hanc rem praecipue consulendus est liber Equitis Scoti *Jac. Geddesii*, qui inscribitur: An Essay on the Composition and Manner of Writings of the Ancients, particulary Plato. In hoc libro Vir Eruditissimus plurimum ad intelligentiorem Platonis lectionem contulit, dum meliorem dialogorum ordinem multo cum acumine constitueret, ostenderetque, quomodo Dialogi, alius ex alio nexi sint. Observat ibidem Cl. Autor, Platonem *suas* quidem sententias in Dialogis sub persona Socratis, vel Parmenidis, vel Timaei, vel denique Atheniensis aut Aeliani hospitis proferre.

versatioribus *Meinersio* ac *Tiedemanno*, qui quidem ex magna jam parte hac opera in peculiaribus libris ad hanc materiam spectantibus felicissimo cum successu defuncti sunt. Mihi vero pro meo ingenii modulo ac pro scriptionis hujus academicae angustia suffecerit, hac occasione laetissima, qua dies Natalis Serenissimi Caroli *Principis Philosophi* indicendus est, *de methodo Platonis dialogica* nonnulla proferre, quam tractationem ita instituam, ut in *causas*, quae Platonem ad sequendam hanc methodum compulerunt, adspersis quibusdam in platonicae Philosophiae genium observationibus, inquiram.

Variae mihi videntur fuisse causae, quae Platonem commoverunt, ut philosophiae praecepta per colloquia traderet, methodumque dialogicam perpetuae orationi praeferret. *) Primum enim Platonem propterea hanc elegisse methodum arbitror, ut Socratis optimi Praeceptoris exemplum sequeretur, a quo eadem methodo fuerat institutus. Quum scilicet discendo primum illam methodum sibi promtam reddidisset, intelligeretque, quantum illa adjutus fuerit in comparanda rerum philosophicarum scientia, fieri aliter vix poterat, quin eandem methodum ipse postmodum

*) Omnes Platonis libri, si exceperis *Apologiam Socratis*, hac methodo conscripti sunt. Atque haec consuetudo, per dialogos docendi, a Socrate ad Academiam translata, in hac schola postmodum eo usque valuit, ut quasi legis sanctionem nancisceretur. Hinc etiam libri *Ciceronis* philosophici ad mentem Academicorum compositi forma dialogica exarati sunt, quum in aliis libris, qui stoicis principiis nituntur, ex. gr. in *Officiorum* libris continua oratio locum habeat.

exprimeret, atque ad institutiones philosophicas fcripto consignatas ut meliorem fibique magis familiarem transferret. Constat, primum hujus methodi inventorem fuisse Socratem, a quo postea *Socraticae methodi* nomen accepit. Hic nimirum fummus Graeciae Philosophus, fi vel ingenium vel animum respexeris, a cujus ore Plato ftudiosissime pependit, et quem tutissimum vitae ducem fibi elegerat, hanc docendi rationem non modo judicabat opportunissimam ad erudiendos adolescentes discendi cupidos, verum etiam ad refellendos confutandosque Sophistas vana fcientia tumentes, qui tum temporis captiosis quaestionibus et falsae fapientiae illecebris optimorum juvenum animos irretire ac corrumpere conabantur. Igitur apud bonae frugis discipulos hac interrogatoria methodo Socrates eo quidem consilio usus est, ut ipsis viam ad meditandum panderet, et cognitionem eorum rectiorem, certiorem magisque perspicuam efficeret. Quum enim per interrogandi respondendique vices doceret Socrates, auditores ubique in rem praesentem deduceret, omniaque exemplis e vita communi desumtis illustraret, id assecutus est, ut discipuli in augenda atque ordinanda fcientia mirisfice adjuvarentur, ab iis, quae universim constant, ad fingula rerum, vel vicissim facile progrederentur, et e cognitis incognita ita invenirent, ut ipsi invenisse fibi viderentur. Huc referenda est Platoni faepius repetita Socratis fententia, homines, qui discant, non discere, fed *reminisci*, quam quidem fententiam, utrum in gratiam receptae methodi Socrates εἰρωνικῶς fimulaverit, an ex ea credita methodum fuam

derivaverit, vehementer ambigo. *) In refutandis etiam Sophistarum argumentationibus plurimum ex eadem methodo utilitatis cepit magnus Sophronisci filius.

Quum enim Sophistae in dicendo magnopere exercitati continuis plerumque orationibus uterentur, ut fucum facerent audientibus, et falsitatem dictorum, levitatem probationum, et conclusionum fallacias eo facilius occultarent, Socrates non perorando sed colloquendo eos aggressus est, qua quidem arte eos adegit, ut sententias prolatas perspicue enunciarent, diligenter definirent, nec digressionibus quaesitis in orationum latebras elaberentur. Jam vero talem iniit colloquendi rationem, ut primum ab iis ordiretur, in quae Sophistae ipsi consentiebant. Jum vero ex naturali rerum nexu atque ordine paulatim ad ea perveniret, quibus tota argumentorum a Sophistis prolatorum structura labefactata tandem corruebat. Ita quidem hujus methodi ope Sophistas coëgit, ut se ipsos confutarent, suisque armis se conficerent.

Sed ut ad Platonem revertamur, altera ratio dialogicae methodi, quam sequebatur, sine dubio haec erat, quod ipsi erat propositum, non philosophiam modo Praeceptoris sui, quem gratissimo animi adfectu suspiciebat, sed *formam* quoque philosophiae a summo hoc Viro expositae tanquam in speculo posteris exhibere, inprimis, quum Socrati rebus agendis semper intento nunquam vacaret,

*) Insigne hujus reminiscentiae exemplum profert Plato in Dialogo, qui inscribitur *Menon*. In eo Socrates ex mancipio Menonis prorsus ἀγεωμετρήτῳ solutiones problematum quorundam geometricorum interrogando elicit.

philosophiam suam ac philosophandi rationem literis consignare. In omnibus Platonis dialogis primas partes habet Socrates, reliquae personae audiunt ac respondent, et a Socrate vel edocentur vel refutantur, atque ob ignorantiam vel falsam scientiae arrogantiam in pudorem ac ruborem convertuntur. Neque tamen, ut a multis jam doctis Viris demonstratum est, putaveris, socraticae philosophiae imaginem in Dialogis Platonis fideliter expressam esse, quamquam socratica methodo sint conscripti.

Deprehenduntur quidem in scriptis Platonis primariae philosophia socraticae *) capita, sed, ut ferax Autoris ingenium fert, immutata, diversimode applicata, variisque additamentis aucta. Veriorem magisque sinceram philosophiae socraticae imaginem velut in compendio sistunt *Memorabilia Socratis* a *Xenophonte*, alio illius discipulo conscripta, qui sibi atque Praeceptori suo perinde ac Plato nominis immortalitatem scriptis paravit. Quum inter omnes Socratis discipulos Xenophon et Plato soli famam scriptis apud posteros meruerunt, reliquis ejus amicis in obscuritate versantibus, ea res admonet, ut mores, ingenium atque studia utriusque, quantum mihi licuit assequi, comparem. Utrisque idem fuit sensus pulchri atque boni vividus, idem veritatis ac virtutis amor integerrimus, ingenii venustas at-

*) Huc v. c. praeter illam, quam supra allegavi, sententiam de reminiscentia tanquam scientiae fonte referri debet tritum illud, sed verum Socratis ἀπόφθεγμα, primariam hominis sapientiam in eo consistere, ut sciat, quantum nesciat; sententia, in qua illustranda plures Dialogi Platonis mira cum venustate occupantur.

que elegantia par ſed alia alii. Xenophontis ingenio adjuncta erat quaedam temperantia, quies ac dulcedo, Platonis contra fortis quidam impetus, et vivida vis animi, omnia ſecum trahens; hic ſubtili acumine ad argutias nonnunquam tendente, ille ingenio magis populari rebusque gerendis apto pollebat. Xenophonti negotiorum atque armorum ſtrepitus, Platoni otium ac ſecessus Musarum magis placebat; ille non ſcriptis ſolum ſed rebus gestis inclarescere, hic a republica gerenda abesse malebat, ut ſtudiis totum ſe traderet. Uterque Socratis exemplo philosophiam ad usum humanae vitae accommodabat, utrique hoc erat propositum, ut virtutem animis civium instillaret, leges bonae educationis et reipublicae bene administrandae praecepta vulgaret, ſed quantum tamen discrimen inter ſcripta utriusque philosophi deprehenditur, et quam diverso tramite idem consilium prosequuntur?

Xenophon quidem, ſi ſpeculationibus immoratur, eam ſibi praescribit legem, ut ad praesentem rerum ſtatum respiciat, et praecepta ad indolem reipublicae Graecorum atque ad naturam hominum ſuo tempore viventium attemperet; ex adversa parte Plato, dum ſpeculatur, ingenio ſuo nimium indulget, et dum altius penetrare cupit, ad ſomnia nonnunquam et inania ſimulacra delabitur. Specie quadam ſummi boni tractus plus postulat Plato, quam humana patitur imbecillitas, atque dum naturam hominum non qualis ea communiter esse ſolet, ſed qualem ſibi mente conceperat, contemplatur, multa proponit, quae ſupra illam videntur esse posita. Nec raro etiam Plato abhorret a rerum veritate, dum ea, quae intellectus ſunt, ad ima-

ginationem transfert, eaque animi vi comprehendere studet, quae nec intellectui quidem satis patent, et limites illius transcendunt.

Qui penitius nosse voluerit hanc, quam notavi diversitatem utriusque Viri, hunc comparasse sufficiat libros Platonis *politicos*, atque inprimis eos, qui *de legibus et de republica* inscribuntur, cum *Cyropaedia* Xenophontis, ejusdemque descriptione *reipublicae Laconicae*. In libris de legibus v. c. multa tradit Plato ambigua, vel sinistrae interpretationi obnoxia, vel saltem regimini, ut inter homines esse potest, vix congrua, quamquam in iisdem libris plurima splendeant ingenii lumina, quae attentionem philosophici lectoris excitare possunt et meditationem alere: At quanto aliter in pari materia versatur Xenophon, ut omnia apud hunc Scriptorem ex naturali rerum atque hominum statu sunt deducta atque ad eundem revocata! Evolve librum de republica Laconica, et videbis, quanta diligentia atque arte virtutes Laconici regiminis depingat, illud innuens, ut vitia Atticae administrationis clarius ex opposito innotescant. Cognosces exinde operis utilitatem. Pariter se res habet in Cyropaedia, in qua conscribenda rerum civilium prudentissimus Autor non minus quam in descriptione lacedaemonii imperii ad praesentes aetatis atque nationis suae necessitates respexit, quamquam illud ab eruditis, qui in hunc librum commentati sunt, non satis hucusque fuerit intellectum. Etsi enim Xenophon *) in hoc libro perfecti numerisque omnibus

---

*) Cicero in Epistola ad Quintum fratrem de hoc libro ita judicat. „Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem

absoluti imperii exemplar proponat, ita tamen colores miscuit, ut illud ex communi hominum natura ductum, et ad eam expressum esse videatur. Ex hac jam comparatione utriusque Philosophi, quam hactenus persecutus sum, manifestum esse arbitror, philosophiam socraticam pressius exhiberi a Xenophonte, quam a Platone, divino caeteroquin ingenio, et intelligentissimo ac uberrimo gravissimae doctrinae Magistro.

Denique etiam dialogicae methodi usus in philosophia tradenda ex proprio Platonis ingenio explicandus videtur. Concesserat natura Platoni acrem et subtilem pulchri bonique sensum, florentemque ac fecundam imaginationem, quam ipse multa Poetarum lectione nutriebat. His facultatibus accedebat magna judicii vis, mirumque ingenii acumen, ad argutias captandas tanto magis pronum, quanto plures animo imagines obversabantur, et quo magis frequens erat Platoni, omnia, quaecunque intellectu conceperat, ad judicium sensus revocare. Hoc animi temperamentum, quod in Platone deprehenditur, effecit, ut ab ordine dogmatico, cui nescio quale quoddam frigus inest, et ab ista solida argumentorum compage ac structura, quae velut vinctum tenet ratiocinantem, abhorreret, et in philosophia tractanda ad amoeniores et solutiores dialogos deflecteret, in quibus, velut in aperto campo liberum se

---

scriptus, sed ad effigiem justi imperii, cujus summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim praetermissum in iis officium diligentis et moderati imperii.

efferre, ad episodia quaevis digredi, legentem pariter oblectare ac docere, et inprimis ingenii acumen, delicatumque omnis venustatis sensum ostentare poterat.

Omnia certe Platonis scripta haec ingenii ipsius lineamenta exhibent, virtutesque ac vitia praegnantis atque fedulae phantasiae referunt. Ubique enim Plato de virtutis ac sapientiae studio, de recta reipublicae administratione, liberorumque bona institutione ad felicitatem generis humani bene atque excellenter praecipit, verum optima illa praecepta per multos locos, ut disjecti membra Poëtae sparsa, nec in unum quoddam philosophiae corpus collecta sunt. In virtute praesertim commendanda ita apud Platonem pulcherrimae naturae vis effervescit, ut quemvis hominem scelere intactum rapiat in amorem virtutis, sed plus iste furor, quo insurgit, claritati interdum officit et luculentae rerum propositarum perspicuitati. A sermonis etiam proprietate contra philosophorum morem saepissime recedit Plato, oratorum vel poëtarum ore velut incitatus loquitur, crebris utitur imaginibus ac similibus, atque adeo fabulatum sacrarum involucris optima philosophiae praecepta proponit atque firmat. Quae omnia, quamvis insignem habeant gravitatem atque ad impellendum animum efficaciam, impediunt tamen, quo minus veros Platonis sensus absque omni oppositi formidine eruere possis. Neque propterea mirandum est, quod sequentes Philosophi, et qui postmodum extiterunt, recentiores Platonici in interpretando Platone misere fluctuaverint, suaque ipsorum absurda figmenta et inepta deliria ex systemate Platonis derivaverint. Vehementer autem est cavendum, ne propter hanc Platonis philosophandi

iis, qui in discenda philosophia adhuc versabantur, sed adultioribus, qui maturiori gaudebant judicio, suoque jam ingenio utebantur; neque, opinor, dubitari potest, in ipsa adolescentium institutione alia methodo usum fuisse Platonem, simpliciori videlicet et faciliori, a sophismatum spinis magis aliena, et ad internam rerum veritatem magis composita. Igitur ut placeret hominibus doctis, qui, quod cuivis planum est et expeditum, fere fastidiunt, necesse erat Platoni, ut talem sequeretur philosophandi rationem, quae cultiorum hominum animos exerceret, iisdemque aliquid explicandum relinqueret. Ad *materiam* porro Dialogorum platonicorum nihil aptius cogitari potest illa, quam Plato secutus est, dialectica subtilitate. Ad hanc quippe materiam, ut supra jam monui, hoc praecipue pertinebat, ut Plato ostenderet, quo pacto Socrates vel vanitatem Sophistarum eluserit, vel desidiam atque ignorantiam juvenum discentium contuderit. Plurimae enim personae, quae in Dialogis Platonis cum Socrate colloquentes inducuntur, ad duas fere classes referri possunt, vel ad Sophistas adrogantes, vel adolescentes sciolos, qui sibi sufficere videbantur, aliorumque doctrinam et institutionem spernebant. Adversus utrumque hoc hominum genus artes dialecticae plurimum certe valuerunt, ut videlicet Sophistae confutarentur, suis ipsorum armis vincerentur, atque ita autoritate sua apud civitatem dejicerentur, inertes autem ac scioli juvenes sophismatum laqueis constricti discerent, quantum esset, quod nescirent, atque hac ignorantiae suae scientia, ad meliora studia, quaerendosque bonos studiorum moderatores excitarentur.

His omnibus, quae de compositione Dialogorum platonicorum hactenus dicta sunt, rite pensitatis, facile intelligemus, Platonem non modo commode ac diligenter rem suam instituisse, quod Dialogos ad subtilitatem Dialectices effinxerit, sed summam quoque in illis elaborandis artem demonstrasse; imo vero cum universa antiquitate divinum hujus Philosophi ingenium venerabimur, qui primus rerum propositarum subtilitatem cum suavitate orationis conjunxit, et abstrusis ac jejunis demonstrationibus philosophicis, quae omnem venustatem videntur excludere, tam insignem gratiam ac jucunditatem conciliavit, ut Musas Platonis ore locutas fuisse Veteres communiter judicaverint.

Exposita hucusque Dialogorum platonicorum forma ac compositione itidem haud difficulter definiri poterit, quid hodienum de lectione atque interpretatione horum Dialogorum in Academiis sit censendum.

Exploratum quippe videtur, lectione Platonis juventuti studiosae insignem posse parari fructum, quum ea plurimum conferat ad sensum pulchri bonique excitandum, ad ingenium acuendum, judiciumque subigendum; at eandem etiam lectionem et Doctores literarum graecarum ac philosophiae scientia instructissimos, auditoresque ingenio pollentes et in philosophia aliquantum jam exercitatos desiderare, quis negaverit? Igitur, ut discentibus, forsan et docentibus, atque inprimis privatae eorum lectioni consulatur, qui studium Veterum Philosophorum amant, optandum esset, ut editio Platonis talis paretur, quae, eliminata versione *Ficini* latina, qua meo quidem judicio ad intelligen-

dum Platonem parum proficitur, nexum orationis fuccincte excutiat, filum dialogorum illustret, fophismata folvat, fallacias notet atque corrigat, et faltus denique argumentationum fuppleat.

Ingratum vero foret, fi filentio hoc loco voluerim praeterire; huic desiderio ex magna jam parte fatisfactum esse a Cl. *Tiedemanno*, Philosopho nunc Marburgensi, qui hortante Illustri *Heynio* Argumenta Dialogorum Platonis curatius exposuit in peculiari libro, recentissimae Platonis editioni Bipontinae clavis loco adjecto, quo quidem ad augendam hujus editionis praestantiam plurimum accessit.

Verum ne diutius videamur extra oleas vagari, rivos jam claudimus, atque ad illam festivitatem progredimur, cujus indicendae causa praesentem commentationem more academico praemisimus. Instat nimirum atque felicissimis auspiciis iterum recurret proxima Dominica Serenissimi Domini Ducis Caroli Gratiosissimi hujus Academiae Statoris atque Protectoris Dies Natalis fexagesimus, quem ut praesertim nostrae Musae laetissimo plausu excipiant, gratissimoque animi adfectu colant, pietas admonet, officium exposcit. Ecquis enim Vestrum, Cives! quibus non faluberrimo tantum imperio, fed paterna potius cura ac follicitudine Principis Optimi frui hactenus licuit, a debito pietatis ac reverentiae fensu ita est alienus, ut, quid fuarum partium fit, ignorare, vel fciens officio cognito possit deesse! Quis Vestrum hac fuavissima bene precandi occasione oblata non reminiscetur omnium eorum beneficiorum, quae in hanc Academiam Principis ipsius nomine insignitam filiaeque loco ab Ipso habitam, et in unumquemque

Vestrum a Carolo Munificentissimo collata sunt, et adhuc sine intermissione conferuntur; quis non devotissimas aget Principi gratias pro eximiis subsidiis, quae Vobis, ut cujusque fert necessitas, ad ingenii morumque cultum in hac Academia, magnificis sumtibus parata sunt; quis non laetabitur atque exsultabit de inconcussa valetudine et juvenili robore, quo vergens aetas Optimi Principis Dei munere adhuc sustentatur; quis denique Vestrum cessabit, pro perenni Tanti Principis incolumitate ardentissimas ad Supremum Numen preces fundere! Quem Vestrum fugit, quanto favore, cura, ac patrocinio Clementissimus Carolus priori etiam, ut superioribus annis Carolinam Suam fuerit complexus, quum praeter alia gratiae specimina Viros aliquot et doctrinae copia et ingenii elegantia insignes ad patrios penates atque ad munus in hac Academia gerendum evocaret, alterum nempe *Lud. Benj. Mart. Schmidium* antehac Professorem Scientiae Cameralis Heidelbergensem nunc Professorem atque Concionatorem Academiae gravissimum, alterum vero *Fridericum Jacobum Strohlinum*, Professorem jam Philosophiae in hac Academia meritissimum, qui, quum plures annos inter exteros versaretur, dexteritatem suam atque solertiam in educandis juvenibus luculenter demonstravit. Neque vero sufficit Optimo Principi, ut ad morum disciplinam et literarum institutionem probatissimis Viris, sub Ipsius auspiciis munere gravissimo defungentibus uteretur, sed eam prae se fert animi excelsitatem, ut Sui adeo muneris esse putet, ad virtutis optimarumque scientiarum studium Vosmet exhortari. Igitur, quum tot atque tanta Serenissimi Principis in hanc

Suam Academiam beneficia extent, eo impensius illud a nobis exquiritur, ut pietas ac veneratio nostra non intra animum solummodo consistat, sed publico quodam testimonio manifestetur, atque ita Carolina nostra sua se religione erga Principem Clementissimum exsolvat. Cujus rei causa instituta est publica panegyris, in qua vota pro Principe nuncupabit, verbaque ex more academico faciet *de influxu culturae scientiarum in rem militarem* Vir Spectatissimus ac Doctissimus *Jacobus Fridericus Roesch*, Ser. Domini Ducis Centurio Tormenti et Professor scientiarum militarium P. O. Cui solemnitati in ipso Festo Natali habendae, ut omnes literarum Patroni in honorem Principis interesse velint, suis, ut quemque decet, formulis rogamus. Celebrabitur Actus in Auditorio Academiae majori hora pomeridiana quarta.

V.

DE CLYPEO HOMERICO. PROGRAMMA. 1788.

Redit iterum, Cives! divinis auspiciis dies, qui patriae nobisque genuit Carolum, Principem Optimum, Conditorem atque Conservatorem *Carolinae* indulgentissimum ac munificentissimum: dies, cui unusquisque nostrum sincera animi adfectione cum *Horatio* adclamat:

> O Lux,
> Jure, solemnis mihi, sanctiorque
> Pene natali proprio, quod ex hac
> Luce Maecenas meus affluentes
> Ordinat annos. — —

Quanto jure haec olim a poëta Romano Maecenati suo adclamata vox nostra esse debet, hoc praesertim tempore, quo non solum ad celebrandam Principis Nostri nativitatem, sed ad recolendam quoque memoriam inaugura-

suam Academiam beneficia extent, eo impensius illud a nobis exquiritur, ut pietas ac veneratio nostra non intra animum solummodo consistat, sed publico quodam testimonio manifestetur, atque ita Carolina nostra sua se religione erga Principem Clementissimum exsolvat. Cujus rei causa instituta est publica panegyris, in qua vota pro Principe nuncupabit, verbaque ex more academico faciet *de influxu culturae scientiarum in rem militarem* Vir Spectatissimus ac Doctissimus *Jacobus Fridericus Roesch*, Ser. Domini Ducis Centurio Tormenti et Professor scientiarum militarium P. O. Cui solemnitati in ipso Festo Natali habendae, ut omnes literarum Patroni in honorem Principis interesse velint, suis, ut quemque decet, formulis rogamus. Celebrabitur Actus in Auditorio Academiae majori hora pomeridiana quarta.

V.

DE CLYPEO HOMERICO. PRO-GRAMMA. 1788.

Redit iterum, Cives! divinis auspiciis dies, qui patriae nobisque genuit Carolum, Principem Optimum, Conditorem atque Conservatorem *Carolinae* indulgentissimum ac munificentissimum: dies, cui unusquisque nostrum sincera animi adfectione cum *Horatio* adclamat:

> O Lux,
> Jure, solemnis mihi, sanctiorque
> Pene natali proprio, quod ex hac
> Luce Maecenas meus affluentes
> Ordinat annos. — —

Quanto jure haec olim a poëta Romano Maecenati suo adclamata vox nostra esse debet, hoc praesertim tempore, quo non solum ad celebrandam Principis Nostri nativitatem, sed ad recolendam quoque memoriam inaugura-

tionis Academiae nostrae a Principe conditae quae eundem *Conditoris* Sui natalem habet, idem Ipsius nomen gerit sacratissimum, piis caerimoniis accingimur, Cives Carissimi!

Igitur, quum jam Vobis indicenda sit publico quodam scripto festi hujus diei anniversaria solemnitas, mosque academicus jubeat hac festiva occasione decerpere aliquid ex literis humanioribus, quod oblectationem aliquam secum habeat, suaviterque occupare possit lectorum animos, haud absurdum vel a praesenti laetitia alienum esse existimavi, si lectionem aliquem ex antiquitate atque amoeniorem locum attingerem, et *de clypeo Homerico* nonnulla dissererem.

Neque vero me fugit, materiam hanc a praestantissimis Gallorum, Anglorum atque Germanorum ingeniis dudum jam ita esse occupatam, ut exhausta penitus ac excussa videri possit. Sed quamquam haec haud nescirem, idem tamen, quod deterrere me debebat, excitavit, ut retractarem hoc argumentum, in eoque ingenium qualecunque meum exercerem; experimentum facturus, num quid adjicere huic disquisitioni, et proferre in medium possim ita, ne paleas tantum lectoribus legisse videar. Versabor autem in tractando hoc argumento ita, ut, quantum paginae permittunt, ea breviter examinem, quae ab eruditis olim ad illustrandam hanc materiam prolata atque disceptata sunt; tum vero exponam, quid in describendo isto clypeo, si vim descriptionis poëticam nexumque imaginum philosophicum spectemus, Poëta divinus maxime fuerit secutus, diligentiorem autem loci ipsius singularumque imaginum,

in eo descriptarum explanationem in aliud quod dabitur, tempus rejiciam.

Locus ipse, in quo cl s iste, cujus jam rationem habemus, describitur, et qui tot eruditorum disceptationibus ansam praebuit, extat apud *Homerum* rhapsodia Iliados decima octava, et versibus plus quam centenis a. v. 478 — 607. comprehenditur. Fabricabatur clypeus, ut poëta rem exponit, precibus Thetidos a Vulcano pro Achille, cujus armatura post caedem Patrocli armis Achillis induti in manus Hectoris venerat, ut videlicet Heros iste novis ac splendidioribus armis instructus in pugnam hactenus per odium Agamemnonis omissam reverti, amici caedem ulcisci, victoriamque Grajis posset reducere.

Haec itaque clypei descriptio, quam deinde inter antiquos Poëtas suo licet ingenio aliaque rerum varietate secutati sunt *Hesiodus*, vel quis alius in scuto Herculis, et *Virgilius* in Aeneae clypeo, industriam, prouti constat, interpretum gallorum tam vehementer exercuit, ut illi in contrarias partes discederent, quarum altera *Homeri* descriptionem acerbius, quam pro gallica facilitate increpavit, altera autem haud minus flagrandi ardore causam Vatis prisci tuendam suscepit. *) Primaria quaestio ab in-

*) Aggressi praecipue sunt Homerum inter Gallos *Perrault*, *Terrasson*, *la Motte*, *Scaliger*; defendere contra eum adversus obtrectatores conati sunt *Dacier* in Observ. ad Aristot. Poët. ejusdemque Conjux erudita in Observ. ad h. l. *Dufresne* in libello: *Parallele du Bouclier d'Achille dans l'Iliade d'Homere et l'Iliade de la Motte*, maxime autem *Boivin* in peculiari libro Apologie d'Homere et du Bouclier d'Achille, Paris 1755. cui libro adjecta est delineatio clypei

terpretibus gallis agitata et in acrem controversiam adducta haec erat, num Poëta descriptionem suam clypei Achillei ad artis praecepta rite accommodaverit, numque superficies istius clypei tot diversissimarum rerum imagines potuerit capere. Jam illa quaestio ita perstringebat interpretum ingenia, ut vim descriptionis homericae poeticam prorsus ex oculis amitterent, et ad solam hanc quaestionem excutiendam vires ingenii conferrent. Statim haud defuere, qui audacter negarent, in ambitu clypei unius tantam rerum varietatem atque multitudinem potuisse depingi, adjicerentque, Homerum in describendo illo clypeo sic abhorruisse ab artis veritate, ut vel prima hujus elementa ignorasse eum facile appareat. Neque haec promebantur sine omni verborum contumelia ac ludibrio, nec jocis adeo,

---

stilo aereo exscripta, inserta postmodum cum delineationibus scuti Herculis et Aeneae, Tomo XXVII. *Histoire de l'Academie des Inscript.* Rationes *Boivinii* secuti sunt atque confirmarunt *Comes de Caylus* solertissimus antiquitatis artiumque scrutator in academica recitatione Parisiis a. 1756. habita, in qua comparationem trium, quas ex antiquitate nominavimus clypeorum instituit, et Celeb. inter Anglos Homeri interpres *Pope*, qui peculiarem super Achillis clypeo commentationem versioni suae cum adumbratione clypei ad exemplar Gallicum facta inseruit, quae germanice versa legitur *im dritten Theil der Berlinischen Sammlung vermischter Schriften zur Beförderung der schönen Wissenschaften.* Accessit denique magnis hisce viris e nostratibus Vir summus *Lessingius*, Germaniae in re critica lumen, qui in libro *Laocoon* inscripto p. 184 — 199. tanto acumine tantaque subtilitate hanc materiam illustravit, ut is pendentem adhuc litem composuisse, causamque omnem judicasse videri possit.

ut fert ingenium Gallorum, abstinebant. *) Alii contra patrocinium *Homeri* pari animorum impetu sustinentes contendebant; tantum abesse, ut imagines a Poëta descriptae spatium clypei excedant, ut commode potius eo includi possint; immo vero, *Homerum* in descriptione sua regulas artis cum praeceptis poëseos tam apte conjunxisse, ut adeo sui temporis artem supergressus fuerit, nec summi tantum Poëtae laudem, sed Artificis quoque gloriam suo jure occupet. **) In his eminet *Boivinius*, qui ad confutandos ad-

*) Huc spectant ea, quae apud obtrectatores Homeri gallicos leguntur; „que, pour placer toutes les figures dont Homere a chargé son bouclier, il auroit fallu un espace aussi étendu que la place royale a Paris.“

**) Hanc inprimis sententiam tuitus atque argumentis ex homerica descriptione desumtis probare conatus est Celeb. *Pope*; sed rationes ipsius solide confutavit *Lessingius* in libro jam laudato p. 195 — 199. Quemadmodum vero *Popius* in homerica descriptione summam artis consummationem praeter rem et per ipsam artis inscitiam invenisse sibi visus est, dum ea suo ingenio inferret huic descriptioni, quorum nullum adest vestigium; ita etiam illi mihi videntur pariter ignorare veram vim descriptionis homericae, qui verbis expressis nimium inhaerent, et ex iis locis, quae artis fabricam propius spectant, ad ipsam artis conditionem, qualis Homeri aevo fuerit, absque oppositi formidine concludunt. Equidem ponderato universo homerici carminis genio vix ausim cum antiquioribus interpretibus ex eo loco, in quo *Homerus* de terra vomere diffissa dicit

ἡ δὲ μελαίνετ' ὄπισθεν, ἀρηρομένῃ δὲ ἐῴκει
χρυσείηπερ ἐοῦσα.

vel ex eo loco, in quo de vinea aurea loquens subjicit:

μέλανες δ' ἀνὰ βότρυες ἦσαν,

versarios hanc iniit viam, ut ad normam descriptionis homericae delineationem clypei conficiendam eamdenque aeri incidendam curaret, atque ita cavillatoribus Poëtae ad oculum ostenderet, posse imagines ab *Homero* descriptas clypei spatio includi. Sic ille quidem primarium adversariorum telum contudit, quamvis recte, ut mox videbimus, dubitetur, num delineatione sua mentem quoque Poëtae fuerit assecutus, bonique Artificis laudem *Homero* suo vindicaverit.

Equidem, si universam hanc Gallorum litem expendo, arbitror, Viros istos melioris interpretationis homericae subsidiis destitutos in movenda hac lite non rite intellexisse genium carminis homerici universum, nec ad temporis rationes, sensumque et mores hominum incultorum, quibus *Homerus* cecinit, satis attendisse. Namque si mentem huc advertissent, si genium seculi homerici curatius investigassent, vix opinor, in otiosam hanc litem incidissent, nec *Homerum*, quod mireris, tanquam artificem, sed, ut rei natura fert, tanquam Poëtam considerassent, atque in eo potius operam collocassent, ut virtutem descriptionis poëticam, non artificiosam ipsius clypei structuram rimarentur. Recta quippe *Homeri* interpretatio id exigit, ut, quicquid Poëta

---

inferre, *picturam encausticam* v. artem auro metallisque durioribus colores inurendi Homeri aevo jam fuisse inventam atque cognitam. Ergo non potuit *Homerus* descriptionem, quae summam spirat ἐνάργειαν, ut rudium sui temporis hominum admirationem magis incenderet, conformare ad *similitudinem naturae*, quamvis nondum inventa fuerit pictura encaustica? nisi quis forte putaverit sonasse lyras in clypeo, vel boves mugiisse. Cf. v. 569 — 71. v. 575.

tradat, id omne ad mores ac simplicitatem vitae priscae attemperetur. Jam, quum manifestum sit, Homerum rudibus cecinisse hominibus, qui miraculis maxime ac prodigiosis narrationibus capi trahique solent, facile etiam intelligitur, eum carmina sua ad hunc maxime finem composuisse. Inde nimirum fit, ut *Homerus*, qui in ceteris ad rerum gestarum veritatem orationem suam ubique componit, naturamque ducem sequitur, de Diis tamen suis tam multa prodigiose narret atque in miraculum augeat; licet in his quoque semper sibi constet, et veritatem servet poëticam. Hoc quidem praeter alia multa, inprimis etiam ex eo intelligitur, quod Poëta de divina arte Vulcani in eodem hoc libro praedicat, qui Achillei clypei descriptionem continet. Quae enim versibus 376, 77, et 417 — 20 de *τρίποσιν ambulantibus* Vulcani et de *famulabus aureis lingua et mente adeo praeditis* dicuntur, ea non artis tantum limites transiliunt, sed internam rerum naturam ita exsuperant et pervertunt, ut, nisi aevo homerico, tolerari nequeant. *)
Quae omnia, si ad praesentem locum in controversiam vocatum rite adplicentur, facile perspicitur, *Homerum* in describendo clypeo de regulis artis plane non sollicitum fuisse,

---

*) Ad idem fictionum genus referendi sunt *loquentes Achillis* et *flentes Patrocli equi*, *flamma Vulcani fluminis et aquarum impetum restinguens* (Il. Φ) *Neptunus et Mars voce sua clamorem decem millium adaequantes* (Il. V. XIV.) *clypeus Minervae centum urbes ambitu suo tenges* (Il. V.) *equi Palladis uno passu tantum spatii comprehendentes, quantum quis in specula alta constitutus oculis metiri possit* (libr. c.) *Mars a Pallade prostratus septem jugera corpore suo metiens.* (Il. XXI.) aliaque passim.

fuisse, sed id solum spectasse, ut descriptioni suae vim poëticam conciliaret, eademque in admirationem raperet ac stuporem rudes sui temporis homines. Haec, quoniam a Gallis neglecta sunt, generatim praemittere circa hanc materiam necessarium duxi, curatius jam inquisiturus, quo pacto isti suis adversus *Homerum* armis usi fuerint. Atque heic sine magna opera potest ostendi, eos non inique modo sed inepte etiam contra Poëtam pugnasse. Nam, quum Poëtae nostro artis ignorantiam objicerent, quum vitio ipsi verterent, quod imagines inter se non cohaerentes uno eodemque spatio incluserit, quod clypeum suum tot cumulaverit imaginibus, quae in ambitu ipsius repraesentari haud potuerint, ipsi suam prodebant ignorantiam, et fines atque limites utriusque artis poëseos videlicet artisque pictoriae haud satis apte miscebant. Hae enim artes, quamvis ambae imitentur, *materia* tamen ac *forma* imitationis inter se differunt, ita, ut poëtae necesse sit, ea, quae pictor vel sculptor ad unum temporis momentum praegnans redigit, unoque comprehendit spatio, per temporis successionem pluriumque verborum intervalla persequi.

Igitur, quum *Homero* artis opus describere aggresso liberum haud esset, ea, quae artis ope simul cognoscuntur, simili ratione exprimere, atque uno quasi obtutu lectoribus ob oculos ponere; quum ipsi tanquam Poëtae necesse esset, quae artifex una sistit oculis, ea auribus per partes et per temporis successionem adferre, versari certe in hoc suo negotio aliter non poterat, quam ut artis pictoriae adminiculis destitutus uteretur artis poëticae adjumentis, descriptionemque suam imaginum in clypeo sculptarum multis ex-

ornaret rebus, quae et artis vim effugiunt. Ad haec principia a Cel. *Lessingio* in *Laocoonte* summo acumine exposita, siquis revocaverit descriptionem homericam, facile videbit, eam ad perpaucas imagines ab ipso Poëta satis bene discretas posse reduci, neque amplius cum Gallis de immensa imaginum copia homerici clypei conqueretur. Igitur hi, dum Poëtam propter imaginum multitudinem accusant, ea, quae in descriptione conjuncta sunt, inepte discerpunt, vim illius poëticam ignorant, et rationes suas neque artis neque poëseos praeceptis convenienter accommodant. *) Vidit haec ex parte quidem *Boivin*, quum ad confutandos adversarios clypeum ad normam descriptionis homericae delineandum curasset; sed quum in construendo eo nimis anxie sectaretur artis praecepta, et adversariorum suppositis nimis indulgeret, ipse quoque poëticam naturam descriptionis non satis perspiciens in avia delatus est, imaginesque ab *Homero* perspicue distinctas praeter necessitatem multiplicavit, quamvis ceteroquin adversariorum objectiones satis bene contudisse videatur. **) Igitur Cel. *Boivin*, ut

*) Quod ad alteram Gallorum objectionem attinet, Homerum diversas imagines inter se non cohaerentes uno spatio male comprehendisse, haec quoque levis esse mihi videtur. Nam, si concedamus etiam, singulas imagines inter se non cohaerere, nonne illae poterant sisti per *segmenta* clypei rotundi absque violatione artis, atque ita, ut oculus imaginum seriem facile percurreret?

**) Ingeniosa constructio clypei a Boivino delineati haec est: Universi clypei rotundi superficiem distinxit ille in quatuor circulos concentricos. Centrum constituit sol, circa quem volvuntur stellae coelestes; alter circulus comprehendit Zo-

recte monuit *Lessingius*, mentem Homeri haud assecutus est, quum ea, quae apud Homerum versibus 490 — 509. junctim narrantur, in *tres* imagines convelleret, ac in totidem imagines ea quoque, quae versibus 509 — 540. conjunguntur, laceraret, quum universus iste locus ex mente Homeri haud plures quam *duas* constituat imagines. *)

diacum, intra quem sol per annum volvitur, quamvis de Zodiaco non expresse loquatur Homerus. (v. 483 — 489.) Tertii circuli area plurimum spatii in clypeo comprehendens sistit 12 imagines per segmenta divisas, quarum ordo hic est; prima monstrat nuptiarum solennia; (v. 490 — 96.) altera litem in foro coeptam (v. 497—502.) tertia cognitionem causae (v. 502 — 508.) 4ta urbem oppugnatam (509—530.) 5ta insidias ad capiendos greges (520 — 30.) 6ta pugnam propter greges commissam, (530 — 40.) 7ta arationem (541 — 49.) 8ta messem, (550 — 560.) nona vindemiam (561 — 72.) decima gregem boum a leonibus discerptorum, (573 — 86.) undecima gregem ovium pascentium, (587 — 89.) duodecima denique choream et saltationes. 590 — 605.) Ultimus autem circulus, qui extremitatem clypei ambit, sistit oceanum. (606, 7.) Docte ac subtiliter de hac Boivinii delineatione judicavit *Lessingius* in libello saepius laudato p. 189 — 194. Legi apud ipsum merentur, quae in hanc rem ibi profert.

*) Dubitari forsan praeterea potest, num *Boivinus*, licet sedulo structuram imaginum ad praecepta artis revocaverit, ex alia parte rite providerit artis theoriae, famaeque artis homericae. Quamvis enim in eo satisfecerit necessitatibus artis, ut servaret unitatem temporis, adeoque eas actiones ab H. descriptas, quae diversa habent tempora, pluribus ac diversis exhiberet imaginibus, in eo tamen, si quidem recte video, aberrasse videtur, quod ad unitatem actionis et ad perspicuitatem nexus atque consecutionis imaginum haud satis attenderit. Ex *sola* enim intuitione imaginum non apparet, quaenam inter se connexae sint, et ad unam ac-

Universa nempe descriptio homerica ita est comparata, ut facile appareat, in toto clypeo nonnisi *decem* imagines diversas locum habuisse, quas poëta ipse repetitis formulis initialibus ἐν μὲν ἔτευξε, ἐν δὲ ποίησε, vel ἐν δ' ἐτίθει et ſic porro tam clare distinxit, ut nullum amplius ſupereſſe possit dubium. (v. Laoc. p. 194.)

Haec de Gallorum lite, ne lectorum patientiam fatigem, ſufficiant. Quod vero ad ipsam vim poëticam descriptionis homericae attinet, eam tanto acumine tantaque ſubtilitate jam assecutus est ac exposuit *Lessingius*, (lib. cit. v. 184 — 189.) ut, quid aliis reliquerit, vix videam, meliora haud adferri posse, certo ſciam. Virtus quippe hujus descriptionis, ut bene vidit *Lessingius*, non ſolum cernitur in admirabili inventione, pulchra atque congrua dispositione, et excellenti quoque expositione imaginum, quae in ſumma ſimplicitate eximiam vim habet gratamque jucunditatem, ſed in eo maxime, quod Poëta divinus universam ſcenam ita instruit, ac in describendo clypeo ita versatur, ut nobis non opus jam consummatum enarret, ſed *ipsam* operis fabricam ostendat, divinum illius Artificem operi intentum ob oculos quasi ponat, adeoque narrationem epicam in ſpectaculum, ut ſic dixerim, convestat. Haec igitur ſumma virtus est istius descriptionis, ut magica quadam vi in antrum Vulcani atque ante incudem Ignipotentis Dei delatos nos esse ſentiamus, ut non Poëtam narrantem audire videamur ſed ſpectare;

— ut fluit aes rivis, aurique metallum,
Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit. —

---

tionem pertineant, quae non. — Verum haec melius judicabunt Artium periti.

Vim hanc, ut ita loquar, dramaticam, quam in homerico clypeo miramur, deesse Virgiliano (v. L. VIII. Aen.) atque ideo poëtam romanum in hoc, ut in aliis forsan superatum fuisse a graeco, vix quisquam instituta prius comparatione utriusque clypei infitias iverit. Namque apud Virgilium ipsa fabricatio clypei oculis nostris subducitur; rapimur ex Vulcani spelunca, quem accinctum ad opus jam videramus, subito in vallem, in qua Venus perfecta arma filio adfert, et, quae clypeo insculpta erant, otiosa quadam enumeratione ac explicatione figurarum docet, ita ut interim actio plane sistatur. *) Et in hoc praecellit Home-

---

*) Notavit jam *Servius* in scholiis ad Virgilium hanc utriusque clypei differentiam; dicens „Sane interest inter hunc et Homeri Clypeum: illic enim singula dum fiunt, narrantur; hic vero perfecto opere noscuntur: nam et hic arma prius accipit Aeneas, quam spectaret; ibi postquam omnia narrata sunt, sic a Thetide deferuntur ad Achillem." Quae vero Servius ad excusandum Virgilium subjicit, ea arguta magis esse, quam probabilia, scite monuit *Lessingius* et cum eo Ill. *Heyne* in Excursu IV. ad Aen. L. VIII. Rectius hic: „quum ab Homero alteram rationem praereptam videret, quid faceret Maro, nisi ut, si quid novare volebat, quod utique debebat, ad alteram vel invitus descenderet, narraretque adeo ac potius describeret, quae jam facta erant." Putem tamen ex ipso fine ac consilio carminis Virgiliani repeti posse rationem satis probabilem, cur in describendo Aeneae clypeo hanc maluerit atque adeo debuerit viam ingredi Poëta romanus. Attigit eam quidem rationem *Lessingius*, l. c. neque vero Homeri forsan studio ductus persecutus est. Mihi quidem sic videtur. Quum Virgilius romano quodam ac sapienti consilio clypeum rebus a romana gente gerundis exornasset; debebant sane istae res futurae exponi Heroi suo Aeneae, cui clypeus destinatus erat, tan-

rus, quod apud hunc *justa* apparet causa, cur clypeus erat fabricandus, apud Virgilium non ita. Nam dum apud hunc Venus Vulcanum adloquitur:

Arma rogo, genitrix nato;

nec scit, cur poscat, nec filius, dum ipsi a matre adferuntur, cur accipiat, intelligit. — Virgiliana descriptio elegantissimum quidem, sed otiosum tamen, ac longe repetitum est episodium, quod sine ulla laesione actionis eximi potest ex universo carminis contextu; quum ex adversa parte descriptio homerica tam arcte cohaereat cum iis quae antecedunt et sequuntur, ut, si demseris eam, tota actio hiscat, naturalisque rerum ordo turbetur atque destruatur. Igitur, quum efficacia vel ἐνάργεια descriptionis homericae exinde potissimum proficiscatur, quod Homerus in rem

quam *Conditori gentis romanae* numine suo constituto. Proinde non poterat anticipari ostentatio clypei, antequam deferretur ad Aeneam, sed proferenda erat enarratio mirabilis texti in illud tempus, quo id a matre divina allatum filio videmus. Hac scilicet ratione, quamvis Poeta virtuti poëticae descriptionis minus consuluisset, eo plus profecit ad inflammandam virtutem herois sui bello sedem quaerentis, licet rerum in clypeo ignari, et ad lectorum insimul voluptatem. Non enim poëtae, qui Romanis terrarum dominis canebat, heic erat curandum, ut lectores statim, quid esset clypeo insculptum oculis quasi viderent, sed ut tum, quando clypeus deferretur ad Aeneam, ex imaginibus illius noscerent majestatem gentis suae jam ab aevo conditoris ad imperium orbis terrarum vocatae. — Haec propterea monui, ne iniquius statuatur de Virgilio, quod homericam rationem haud expresserit; atque ut iterum, quod saepissime negligi solet, intelligatur, in comparatione Poëtarum omnia esse ad genium seculi cujuscunque attemperanda.

praesentem nos deducit, quod singula, dum fiunt, enarrat, atque ita clypeum suum, tanquam *rem corpoream in spatio* constitutam *sub forma actionis* repraesentat, ostendit hac ratione suo exemplo poëtis, quomodo versari debeant in descriptionibus corporum, nisi velint otiosi esse, limitesque artis suae transilire. Haec artis praecepta et principia, quae sequi debeat poëta in describendis rebus corporeis, tam docte et subtiliter a *Lessingio* in Laocoonte sunt exposita et enucleata; ut facile appareat, Virum egregium universam hanc rem acu tetigisse. Is nimirum primus in laudato libro fines utriusque artis pictoriae et poëticae curatius et subtilius distinxit; docuit, poësin proprie referri ad *actiones*, quae in tempore fiant, pictoriam vero ad *corpora*, quae in spatio existant, nec in alterutra arte omnia ea posse sisti, quae in alteram cadant; utramque tamen autem ita amice conspirare, ut poësis corpora, pictoria actiones possit complecti, si modo pictores et poëtae intra limites artis suae subsistant, h. e., si poëtae in describendis rebus corporeis ita versentur, ut eas ad actiones revocent, vel sub forma actionum repraesentent, pictores autem, si actiones sub forma corporum comprehendant, eaque, quae a poëtis per plura phantasmata exponuntur, ad unum temporis momentum praegnans ita redigant, ut exinde, quae in actione conjuncta sint, quae antecedant et sequantur, facile possit cognosci. Quanquam vero sint verissima, quae *Lessingius* de finibus poëseos atque picturae tradidit, vix tamen mihi persuaserim, Homerum jam rationes istas ita perspexisse, ut consilio res corporeas ab se descriptas sub actionis forma ostentaverit; sed

crederem potius, Poëtam divino ingenio praeditum natura, non arte, obscuro quodam illius, quod rectum est, sensu, haud meditata ratione commotum fuisse, ut in describendo hoc clypeo aliisque rebus corporeis, quod optimum est, sequeretur, artisque ἀκρίβειαν servaret. Namque omissis, quae adversus hujusmodi subtilitatem artis ex rudi seculo homerico adferri possunt, et neglecto etiam hoc, in illis artibus, quae sensibus maxime constant, exempla semper praeivisse regulas artis postmodum e comparatione exemplorum per judicii acumen erutas; jam ex universo genio carminis homerici justa potest desumi ratio, cur Homerus in describendo clypeo ita versatus fuerit, prout eum versatum esse videmus. Quum scilicet Homerus ex suo ipsius sensu facile animadverteret, rudes sui temporis homines capi commoverique aliter haud posse, nisi *pragmatica* rerum omnium quas persequi volebat constitutione, hanc ab initio usque ad finem Iliados iniit viam, ut non heroas solum, sed Deos quoque suos, qui praecipue ad res gestas concurrebant, induceret agentes, atque in ipso actionis vigore semper eos ostenderet. Inde fit, ut non tantum illos Deos, qui proxime in actiones heroum eorumque res gestas influunt, et qui quasi ex machina adducuntur, ut virtutem heroum incendant, vel eos periculis atque morti eximant, coram agendes intueamur, sed ut adeo in consilia Deorum inducamur, et quid ibi agatur, quid decernatur de fatis pugnantium, auribus percipiamus. Omnium enim coelestium scenarum in Homero, quae vel propius vel remotius cum actione vel dramate carminis cohaerent, haec est ratio, ut, quid-

quid in olympo transigitur, id omne nusquam solo personarum agentium sermone expediatur, sed prius in conspectum nostrum veniat, tum demum pro rei necessitate narretur personis. *) Quae cum ita se habeant, in promtu esse puto, Homerum non ex principiis artis, sed suo potius *more* hanc clypei descriptionem ita adornasse atque contexuisse, ut illam statim ipsi fabricae subjiceret, non ad illud tempus, quo a Thetide clypeus filio traditur, rejiceret.

Superest, ut de ipsis clypei imaginibus earumque nexu, fine ac significatione breviter dicamus. Namque, ut jam diximus, ex inventione ac dispositione figurarum divinum quoque Homeri ingenium luculenter elucet. Igitur, si ma-

*) Ex hac dramatica dispositione universi carminis homerici explicantur *repetitiones* toties obviae, quae quidem, licet nos offendant nonnunquam, mirifice tamen placere debebant incultioribus seculi homerici hominibus. Ex eadem ratione perspicitur, quo pacto potuerit Homerus actionem admodum simplicem brevissimo temporis spatio comprehensam persequi atque amplificare per 24 rhapsodias absque aurium fastidio. In hoc praecipue ingens spectatur discrimen inter Iliadem Homeri, Virgiliique Aeneidem. Namque dum is, quae intra aliquot septimanas geri poterant, per 24 rhapsodias extendit, hic, quae per plures annos ab discessu Aeneae post expugnationem Trojae usque ad illius descensum in Italiam terra marique gesta sunt, *duodecim* libris haud sane, ut nonnulli putarunt, ingenii penuria, sed judicii potius copia absolvit. Dum scilicet de plurimis herois sui fatis ita lectores facit certiores, ut ipsum Aeneam loquentem inducat in aula Didonis, belle sane et epico quodam artificio multa contraxit, oeconomiae carminis sui atque epicae gravitati bene consuluit, universumque carmen gustui cultiorum sui temporis hominum sapienter adcommodavit.

teriam imaginum a Poëta expositarum et quid illae continerant, ſpectemus, facilè apparet, Homerum praecipuam judicii curam adhibuisse, ut imaginum ſelectu, ac cohaerentia opus ſisteret divino Artifice dignum. Clypeus nempe homericus ita est comparatus, ut totam rerum universitatem in nuce quasi ſiſtat, adeoque tanquam ἱερογλυφον quoddam ac συμβολον microcosmi recte considerari possit. Imagines ejus universae vitae humanae, qualis isto aevo fuerat, studia, labores, occupationes atque delicias ob oculos nobis ponunt, atque ita inter ſe ſunt conjunctae, ut Totum aliquod constituant, quod gravitate, amoenitate ac grata ſimplicitate ſe commendat, plurimumque confert ad humanitatem, quae ſeculis incultis esse ſolet, altius cognoscendam. Et haec quidem attigere jam prisci Interpretes Homeri, ſed ad alias quaestiones, quae artis formam ſpectant, et ad quaevis alia abrepti, haud persecuti ſunt. Igitur, exclusis, quae ad ipsam descriptionis illustrationem locique universi interpretationem ſpectant, ſingulas jam imagines ſtrictim percurramus; unde patebit, Homerum uniersvum mundum hac quasi tabula depinxisse, nec poëtica tantum veritate ſed philosophico etiam ordine et egregio dilectu imagines ſuas ſtruxisse.

Incipit Homerus, (v. 483.) a brevi designatione eorum, quae exprimenda erant in clypeo; unde intelligtur, voluisse eum hoc artis opere exhibere universam Naturam, quam ſub vocibus *terrae*, *coeli* *marisque* comprehendit. *)

---

*) Primus versus

Ἐν μεν γαιαν ἔτευξ', εν δ' οὐρανον, ἐν δε θαλασσαν,

ut promtum est videre, non ad primam imaginem proprie, sed ad generalem universi operis designationem spectat.

Jam prima imago (v. 484 — 489.) sistit *coelum*, solem, lunam, ceterasque Stellas, ad quas anni tempora, navigationes atque opera agrestia ordinare solebant Veteres. Tum vero secunda imagine Poëta de coelo in *terram* descendit, variamque hominum fortunam, vitaeque socialis status ac vices pluribus exhibet imaginibus, e quibus maxime mores ac instituta aevi prisci possis cognoscere. Heic primo sistitur nobis *vita urbana per pacem*, et duplici quidem respectu, videlicet ad *vitam privatam*, quae conviviis pompaque nuptiali depingitur, (v. 490 — 496.) tum vero etiam ad *civilem* ac *publicam vitam*, cujus imaginem Poëta judicio publico luculenter et per partes descripto exhibet. (v. 497 — 508.) Jam progreditur Vates a negotiis pacis ad *bellarum casus*, ac discrimina, quae in tertia clypei imagine per oppugnationem urbis, insidias, et utriusque aciei pugnam repraesentantur. (509 — 540.) Pergit jam Homerus ab urbanae vitae contemplatione et a negotiis belli pacisque ad considerationem *vitae agrestis reique rusticae*, cujus diversa opera iterum distincte persequitur. Heic primum occurrit *agricultura*, et quidem *oratio* ac *sementis* imagine 4ta, (v. 541 — 549.) dein *messis*, imagine 5ta, (v. 550 — 560.) Utramque imaginem sicuti ceteras exornat atque variat Poëta scenis quibusdam e prisca simplicitate desumtis. Messem sequitur imagine 6ta *vindemia* cum agresti choro conjuncta ad designanda autumni gaudia. (v. 561 — 572.) Excipit hanc imagine sequenti *pecuaria*, et quidem *boum* armenta inter pascendum a leonibus convulsa, (573 — 586.) tum vero 8ta imagine *grex ovium* per laeta prata pascens. (v. 587 — 589.)

Ab occupationibus rusticis procedit Homerus nona imagine ad *delicias* atque gaudia vitae agrestis, eademque vivida descriptione saltationum suo tempore usitatarum adumbrat. (v. 590 — 605.) Finitis ita vitae terrestris laboribus ac deliciis denique adjicit Poëta divinus imagine decima in extremo clypei orbe *Oceanum*, quod et hic tellurem ambit. (v. 606, 7.)

Sed redeundum jam est ad id, a quo exorsi sumus, ad festam nimirum solemnitatem proxime instantis Diei Natalis Serenissimi Caroli, Principis Munificentissimi, quam, ut bonis omnibus votis atque precibus celebremus religio ac pietas a nobis exposcit. Ad haec igitur sacra peragenda indicta est publica panegyris ipso die natali in Auditorio Academiae majori hora ante meridiem XI habenda, in qua publicae laetitiae Interpres erit, verbaque faciet *de cultura Americanorum* Vir Amplissimus *Fridericus Christianus Franz*, litet. human. et Geograh. P. P. O. Collega noster conjunctissimus, quem Oratorem publice constitutum, ut vos, Cives! vestris studiis ac votis in Principem adjuvetis, hortamur, reliquos autem rerum nostrarum Patronos, ut interesse huic panegyri, suasque preces pro Carolo cum nostris conjungere velint, officiose, decenter rogamus.

VI.

DE RE FOENEBRI ROMANORUM. 1789.

Quum divinis auspiciis iterum proxime instet Dies *Natalis* Serenissimi Ducis *Nostri* Caroli, universae patriae festus, et ab Academia nostra, quae sacrum Principis Nomen gerit, originemque suam, et auctus et ornamenta, quibus insignitur, omnia ab Eodem *Principe* Munificentissimo repetit, pio ac solemni ritu concelebrandus; mos academicus et officii ratio poscit, ut festum hunc Diem, quo insimul anniversariam sacrorum inauguralium memoriam recolimus, publico quodam scripto Vobis, Optimi Cives! indicamus. Igitur ut huic mori sapienter a civitatibus literariis recepto satisfiat, circumspectis pluribus, que ex communi eruditione peti poterant materiis, visum tandem fuit, in *rem Veterum Romanorum foenebrem*, quantum paginarum angustia permittet, nonnulla commentari, materiamque hanc depromere ex anti-

quitate romana difficilem quidem, nec adeo tritam, *) sed curiosam tamen et vitae civilis ac privatae rationibus, quae nunc etiam ſunt, propiorem.

Omnium civitatum, quae bene ſunt compositae, et aliquantum exciltae, ea est ratio, ut per publicas leges caveatur de fortunis et facultatibus ſingulorum, fidesque publica in mutuis civium commerciis ac negotiis conservetur. Quum vero nulla ſit respublica, in qua divites pauperibus non ſint permixti, bonorumque inaequalitas ſemper et ubique locorum obtineat, intelligitur inde, hanc inaequalem opum dispensationem ex necessitate quadam naturae proficisci, plurimumque prodesse tum ad officia, quibus vita ſocialis ac civilis continetur, tum ad perfectionem universi generis humani paulatim amplificandam. Igitur haec opum inaequalis distributio legibus civilibus nec tolli potest, nec debet, quoniam ab ipsa natura videtur esse constituta. Lycurgus, ſapientissimus ceteroquin Spartanorum legislator,

---

*) Olim quidem plures Eruditi magni nominis, qui in antiquitatem romanam commentati sunt, hanc quoque materiam curatius investigaverunt. Huc referendi maxime sunt *Gronovius* in *Libro de veteri Pecunia*; et in Libro *de Centesimis et Unciis usuris*; *Salmasus* de *modo usurarum*, et *de foenore trapezitico*; *Budaeus de Asse*, *Arbuthnot Tabulae nummorum mensurarum etc.* in quo libro C. 22. agitur *de Usuris nummariis* aliique. Sed hi libri vel sunt rariores vel nimis fusi, eaque, quae in iis continentur, magis undique sunt collecta, quam bene et lucide disposita. Igitur lectores nostrae potissimum aetatis onerant potius et fatigant, quam erudiunt. In probatissimis autem antiquitatum romanarum Compendiis materia de *foenore* plane siletur, quamvis gravissimi sit et in re publica et in re privata momenti.

aequalitatem civium et agrorum scivit. Sed quid aliud effecit, quam ut leges ipsius stare non possent, et ut omnis reipublicae constitutio, quam ille tanto acumine sanxerat, corrueret? An impedire poterat, quo minus illa legibus sancita aequalitas externis et adventiciis opibus perrumperetur; qua semel perrupta omnis etiam reliqua sanctio, quae hac aequalitate tanquam fundamento nitebatur, labefactata pessum ibat. Nec mirum. Adversabatur enim augustiori legi, ab ipsa quasi natura introductae.

Omnis itaque legum civilium vis atque autoritas, si rationes privatae ditium atque egenorum inter se comparentur, huc redire videtur, ut possessiones resque familiares locupletium ex una parte custodiantur sanctae et inviolabiles, ne fides publica tollatur; sed ut ex altera etiam praesidia parentur et munimenta egenis adversus lubidinem, avaritiam, foedumque lucri studium, quod plerumque comitari solet opulentiam. Ad coërcendam hanc foeditatem repertae propterea sunt apud omnes gentes excultas, et apud Romanos quoque leges foenebres, quae modum liciti foenoris ex credita pecunia, rationesque creditorum erga debitores et vicissim definiebant. Sed hae leges, licet ad reprimendam foeneratorum avaritiam ac asperitatem perquam salubres, saepe tamen impune sunt violatae, crebrius elusae. Atque hoc ex ipsis difficultatibus et impedimentis, quae constantem atque firmam legum foenebrium sanctionem premunt, facile intelligitur.

Quum enim ratio usurarum maxime pendeat ab affluentia vel raritate pecuniae ad credendum paratae, et a temporis ac civitatis cujuscunque, quae variare solent, rationi-

bus, fieri aliter vix potest, quin usurae alio tempore intra modum, quem lex permittit, subsistant, alio contra eundem excedant. Praeterea etiam foeneratorum fraudes tam sunt multiplices, tam artificiosae et callidae, ut exquisitissimis etiam legibus omnino caveri nequeant. Id Romae quoque accidisse, et antiquioris historiae monumenta, et mutatae nunnunquam leges in rem foenebrem ibidem latae satis superque docent. *) His praemissis de ipsa veterum Romanorum re foenebri curatius dispiciamus. Atque hic primo loco memorandum videtur, a primis urbis initiis usque ad leges XII. tabularum, foenus certis legibus haud fuisse adstrictum, sed arbitrio potius creditorum relictum. *Tacitus* antiquioris historiae romanae haud certe imperitus c. l. disertis verbis ait: *foenus ante XII. tabulas ex lubidine locupletium fuisse agitatum*, neque etiam in monumentis historicis *Livii*, *Dionysii* Halicarnassensis, aliorumque ulla occurrunt vestigia, quae ostenderent, priscis istis temporibus modum foenoris certum fuisse constitutum. Equidem tamen putaverim, istam curam a Veteribus Romanis non tam fuisse neglectam, quam consilio potius omissam, quod scilicet sanctionem foenebrem censerent adversam atque inimicam libero in rem privatam ac familiarem dominio. Ex historia quippe constat, res omnes pri-

*) Ita *Livius* L. 7, c. 21. rem foenebrem vocat *difficillimam tractatu, et plerumque parti utrique, semper certe alteri, gravem.* Et *Tacitus* in loco ad hanc materiam classi o Ann. VI. c. 16. ait: „multis plebiscitis obviam itum fraudibus „(foenaratorum), quae totiens repressae, miras per artes „rursum oriebantur."

vatas, donec XII. tabulis jus quoque privatum constitueretur, non ex legibus fuisse agitatas, fed libera potius civium voluntate et mutua ac fpontanea paciscentium fanctione administratas. Quum igitur res pecuniaria credendique modus maxime pertinerent ad privatas civium rationes, cuivis etiam permissum erat, de conditionibus crediti libere decernere, tantumque foenoris, quantum convenisset, exigere. Ita vero avaritiae locupletium campus est apertus; et lucrandi opportunitas concessa. Haec enim creditorum potestas, de modo usurarum libere ftatuendi mox in tantam abiit licentiam, ut egeni debitores misere vexarentur, et in praedam quasi locupletibus cederent. Neque etiam expectari poterat a locupletibus et patriciis, qui tum temporis rempublicam regebant, legumque arbitrium habebant, ut ipsi ad levandos egenos fuo jure cederent, legesque ad cohibendam foenerandi lubidinem ferrent, atque ita *fuo ipsi* gladio fe jugularent. Accedebat praeterea apud *locupletes* (quod in hac causa minime mihi praetermittendum videtur,) novus ftimulus ad opes auctitato foenore cumulandas; honos quippe cum possessione divitiarum in republica conjunctus. Quum enim ex constitutione Regis *Servii Tullii* ditissimi plurimum in republica valerent; ambitio etiam homines exstimulavit, ut, qui divitias non haberent, illis inhiarent, qui haberent, quovis modo eas amplificare conarentur. Hic fcilicet Rex ad exemplum forsan *Solonis* Legislatoris Attici, qui ipsius aetatem praecedebat, cives Romanos ex censu feu ex magnitudine facultatum in plures classes et centurias descripsit, instituitque, ut in Comitiis fuffragia ex ordine Classium et Centuriarum ferren-

tur. Hac ratione dites facti sunt non modo honoratiores reliquis, sed plus etiam auctoritatis in negotiis reipublicae consequebantur. Quoniam nempe prima ditissimorum Classis ex pluribus constabat centuriis, quam reliquae civium classes, illi etiam reliquis civibus in comitiis praecellebant, et, ut Livius ait (L. I., c. 43.), licet reliqui suffragio non viderentur exclusi, vis tamen omnis penes primores erat. Hoc Regis ceteroquin institutum non solum ex hac ratione prudens erat et civile, quia in dites onera pauperum in conferendis tributis et in obeunda militia fuerunt inclinata, sed potissimum, quoniam, uti vix dubitari potest, dites tum temporis erant cultiores reliquis, et prudentia civili magis instructi, adeoque digniores, qui in comitiis per suffragia vincerent. Interea tamen ex utili hoc et aequo Regis instituto id mali moris natum est, ut divitiae mox ardentius adpeterentur, et ut honos, soli virtuti debitus postmodum opulentiam sequeretur. Ex his, quae de rationibus locupletium erga pauperes hactenus dicta sunt, facile apparet, duram atque tristem jam ab initiis urbis Romae fuisse pauperum et obaeratorum conditionem. Neque illa egenorum sors ejectis regibus et instituta libertate fuit mitigata, sed imperio ad plures primores delato, exasperata potius, ita ut, quantum *publicae* libertatis civitati accresceret, tantum *privatae* plebi inopi decederet. Quamvis enim jam *Servius Tullius* edixisset, ne foeneratoribus jus sit in libera corpora, sed facultatibus debitorum contenti sint, (v. Dionys. Halic. L. 4. p. 205. ed. Sylb.) creditores tamen contemta hac lege non solum debitorum, qui creditum cum usuris solvere nequibant, agros vende-

bant, ſed in ipsorum quoque corpora jus exercebant, eos tanquam ſervos ſuis miniſteriis addicebant, in nervum ducebant, compedibus vinciebant, et verberibus mulcabant. *) His cruciatibus accedebant perpetua militiae miniſteria, per quae agri pauperum jacebant inculti, ita ut per exigua, quae tum erant, pacis intervalla parum ex illis rediret. In ipsis vero belli expeditionibus optimam iterum praedae partem, agrosque hostibus ademtos sibi vindicabant locupletes, egenosque defraudabant. His malis oppressa plebs et ingenti alieno aere demerſa, quum ſaevitiam ac immanitatem creditorum haud leniri **) videret, non modo militiam ſae-

---

*) Qui aeris alieni diluendi causa creditoribus serviebant, propriis vocabulis apud Romanos scriptores usitatis vocabantur *nexi ob aes alienum*, *nexu vincti*, *ligati*, *addicti*. Si diluissent aes alienum vel per ministeria vel numerata pecunia vel praestito vadimonio, tum vocabantur *nexu soluti*, atque haec liberatio fiebat per *aes ac libram*, ut in manumissione servorum. (v. Liv. L. VI, c. 14.)

**) Ut creditorum immanitas exemplis constet, audiamus nonnullorum nexorum querelas ad populum, nisi forsan istae in majus auctae sunt: Sic apud Livium L. 2, c. 23. ordinum quidam ductor ita conqueritur „Sabino bello se mili-„tantem, quia propter populationes agri non fructu modo „caruerit, sed villa incensa fuerit, etc. aes alienum fecisse. „*Id cumulatum usuris*, primo se agro paterno avitoque „exuisse, deinde fortunis aliis. Postremo velut tabem per-„venisse ad corpus. Ductum se ab creditore, non in servi-„tium, sed in ergastulum et carnificinam esse.“ Similiter apud Livium L. VI. c. 14. quidam qui in Vejenti et gallico bello militaverat, in hunc modum fremit: „Se militantem, „multiplici jam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem „usuris, obrutum foenore esse“ quae verba b. *Strothius* ita bene explicat: se, qui militasset, et propterea aes alie-

pe detrectavit, sed plures quoque turbas ac seditiones excitavit, quarum in monumentis Romanorum historicis crebra fit mentio. Recte itaque *Tacitus* loco supra laudato vetus urbi foenebre malum dicit, et discordiarum ac seditionum creberrimam causam. Primi motus plebeji ob aes alienum oborti sunt a. u. 257. *) et erupere tandem post

num conflasset, jam tantas usuras solvisse, quae sorti multiplici aequarent. Quum vero accumulatae in dies usurae sortem magis magisque et quasi in infinitum augerent, se tandem foenore obrutum esse. Ex his locis forsan colligere licet, foeneratores romanos jam tum *anatocismo* fuisse usos, ut usuras ad diem haud solutas adjicerent capiti, exiisque iterum usuras repeterent. Idque ex opposita rogatione *Manlii*, qui tum debitorum vindicem se gessit, magis adhuc confirmari videtur. Is enim cap. seq. haec urget ex contrario adversus creditores: „Ferte sortem aliquam, de „capite deducite, quod usuris pernumeratum est". quorum verborum, ut rite vidit *Strothius*, haec est sententia: Pecuniam a debitoribus numeratam non semper pro usuris, sed his remissis, aliquam etiam pro sorte accipite, ut haec tandem aliquando minuatur, et debita summa in tantum minor fiat, quantum usuris pernumeratum est.

*) Turbas has recenset *Livius* L. 2. c. 23 — 32. fusius eas persequitur Dionysius Hal. L. V. et VI. Placet, ea, quae Dionysius tradit, hic in compendium redigere, ut de variis sententiis constet, quae tum in Senatu de aere alieno plebis iactatae sunt. In primo motu a. u. 256. quum plebs militiam recusaret, nisi S. C. debita remitterentur, *Valerius* Consul popularis suasit, ut populo satisfieret, parvoque hoc dispendio benevolentia civium redimeretur. Sin minus, metuendum esse, ne plebs rempublicam deserat, et arma adversus patricios sumat. Denique provocavit ad Solonis exemplum, qui utili hoc in rempublicam instituto praeivisset. Hanc sententiam vehementer dissuasit *Appius Clau-*

mum foenus constitutum est, et nexus debitorum erga creditores curatius definitus, sed graves etiam et severae poenae et in eos, qui contra legem foenus auctitabant, et in eos, qui solutionem crediti maligne differebant, sunt repertae; denique, quum intelligeretur, leges, artibus foenerariis haud suffecturas, sapientissimo sane consilio res foenebris in publicam curam versa est, cautumque aliquoties, ut aerarium egenis debitoribus subveniret, qua quidem ratione effectum est, ut artes foeneratorum redderentur irritae, foenusque ad aequabilem et legitimam mensuram revocaretur. Sed de his sigillatim est dicendum.

Jam primum itaque tenendum est, legibus XII. tabularum a. u. 305. foenus arbitrarium fuisse sublatum, certumque illius modum definitum. *Tacitus* disertis verbis loco jam aliquoties laudato ait: „Primo duodecim tabu„lis sanctum, ne quis *unciario foenore* *) amplius exer„ceret; dein rogatione tribunicia ad *semuncias* redacta, „postremo vetita versura." Idem affirmat quoque *Livius*, (L. VII, c. 16.) **) quamvis in notatione temporis, quo

*) Lex his verbis erat concepta: „Unciario foenore ne quis plus exerceto. Si quis aliud faxit, quadruplione poenam luito." Et *Cato*, gravissimus ipse in foeneratores Censor ita dicit in Libro de re rust. init: Majores nostri sic habuere, et ita in legibus posuere, *furem duplo* condemnari, *foeneratorem quadruplo.*

**) Locus hic est: Haud aeque laeta Patribus (dixerat antea Livius de lege ambitus,) insequenti anno (a. u. c. 398.) de unciario foenore a. M. Duilio, L. Maenio Tribunis pl. rogatio est perlata; et plebs aliquanto eam cupidius scivit, accepitque.

fortiter restiterunt, tribuniciasque rogationes de foenore et de agrariis legibus junctis viribus eluserunt. Quamvis enim plebs ex invidia et odio erga locupletes remissionem universi aeris alieni flagitasset, neque debita sunt remissa vel imminuta, neque foenus abrogatum, neque nexus est sublatus. Fomenta quidem ad iram plebis mitigandam malo sunt ab Senatu adhibita, nihil tamen, fremente licet plebe, admissum, quod fidem publicam sustulisset, quod cum injuria et iniquitate adversus creditores et cum detrimento reipublicae fuisset conjunctum. Heic quidem magnum licet observare discrimen inter civitatem Atticam et Romanam. Quum enim Athenis quoque ante Solonis aetatem plebs aere alieno fuisset obruta, celebris iste legislator ad sanandum istud malum medicinam adhibuit ipso malo perniciosiorem, et famosam illam σεισάχθειαν condidit, qua omne aes alienum per civitatem dissolutum fuit vel saltem imminutum in damnum creditorum. Quae diversa ratio aeris alieni tractandi quamvis ex diversa constitutione reipublicae Atticae et Romanae repetenda sit; (Athenis enim summum imperium ex ipsa sanctione Solonis pertinebat ad populum, Romae contra Optimates, antequam Tribuni plebis essent instituti, rempublicam soli gubernabant,) romanum tamen consilium fuisse sapientius, et saluti universae reipublicae convenientius, vix dubitaverim. Romae scilicet hoc fuit publico semper consilio in tractanda re foenebri provisum, ut fides publica sustentaretur, juribus creditorum et aequitati in debitores pariter consuleretur, creditorumque pravitas usuraria non minus coërceretur, quam debitorum morositas. Quapropter non tantum legiti-

ſive jus creditorum in corpus debitorum teste Livio *) a. u. 429. penitus fuit ſublatum propter foedam cujusdam Papirii libidinem in juvenem quendam, qui ſe ob aes alienum paternum nexum dederat. Quod autem ad ipsam legem de unciario foenore attinet; primo XII tabulis ſanctam, ea mox fuit neglecta. Hinc Tribuni plebis C. Licinius et L. Sextius a. u. 379. inter alias leges hanc etiam pro commodis plebis promulgavere de aere alieno, ut, deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id, quod ſuperesset, triennio aequis portionibus persolveretur. (v. Liv. L. VI, c. 35.) Sed haec rogatio Patribus acer-

---

in his legibus rudem istorum temporum ingenuitatem, non humanitatem summae severitati admixtam, non anxiam quandam in constituenda hac sanctione curam? Quis denique ad postrema harum legum verba non reminiscitur Regis Salomonis, litem de infante simili sectione judicantis? (v. I. Reg. c. 3.) nisi forte quis malit contra consensum antiquitatis, *Gelli* nimirum et *Quintiliani* et *Tertulliani* cum recentioribus quibusdam interpretibus *capitis* poenam de *capitis diminutione* et sectionem corporis debitorum de auctione s. sectione interpretari, qua debitor plus offerenti venumdabatur.

*) Eo anno, ait Livius L. 8, c. 28. plebi romanae velut aliud initium libertatis factum est, quod ligari nexi desierunt: mutatum autem jus ob unius foeneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. — Jam recenset flagitiosum hominis facinus, et deinceps addit: „*Victum* eo die ob impotentem injuriam unius *ingens vinculum fidei:* jussique Consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur. Pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti; cautumque in posterum, ne necterentur.

rime reluctantibus non potuit perferri. Tribuni plebis autem, quanquam ea lex haud esset perlata, rem tamen foenebrem, ut opem plebi ferrent, denuo aggressi id tandem perfecere, ut a. u. 398, prouti supra dictum est, legem de unciario foenore instaurarent. Sed et hac instaurata lege mox apparuit, plebis necessitatibus nondum esse satisfactum. Etsi enim levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant. (Liv. L. VII. c. 19.) Igitur a. u. 403. primum civitas curam tollendi aeris alieni in se suscepit, debitaque, a debitoribus ob inertiam vel paupertatem solvi neglecta, partim solutione ex aerario facta expedivit, partim justa aestimatione bonorum, quae essent debitoribus, facta, iisque in solutionem debiti creditoribus traditis. *) Sed praeterea etiam Tribunorum intercessione

*) Memorabile hoc ad liberandam plebem romanae civitatis institutum his verbis describit Livius (L. VII. c. 21.) Novi Consules foenebrem quoque rem, quae distinere unanimos videbatur, levare adgressi, solutionem alieni aeris in publicam curam verterunt; quinqueviris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniae appellarunt. Meriti aequitate curaque sunt, ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent. Fuere autem C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius et. T. Aemilius: qui rem, difficillimam tractatu, et plerumque parti utrique, certe alteri gravem, quum alia moderatione, tum impendio magis publico quam jactura sustinuerunt. Tarda enim nomina (h. e. debita) et inpeditiora inertia debitorum quam facultatibus, aut aerarium, mensis cum aere in foro positis dissolvit, ut populo prius caveretur; aut aestimatio (sc. bonorum) aequis rerum pretiis liberavit: ut non modo sine injuria, sed etiam sine querimoniis partis utriusque, exhausta vis ingens alieni aeris sit.

ad recreandam plebem (a. u. 408.) pristinum foenus ad dimidium imminutum est, et ex unciario *semunciarium* factum, solutioque aeris alieni in pensiones aequas triennii, ita ut quarta praesens esset, dispensata est. At sic quoque parte plebis affecta, fides tamen publica privatis difficultatibus potior ad curam Senatui fuit. (v. Liv. 7, c. 27).

Post perlatam novam hanc legem Tribunorum ea fuit assidua cura, ut legi vim etiam ac autoritatem conciliarent. Itaque insequentibus annis (v. Liv. 7, c. 28.) tristia populi in foeneratores judicia facta sunt, iisque ab Aedilibus dicta dies est. Immo Tribuni eo tandem processere, ut a. u. 413. omne foenus e republica tollendum censerent, in eamque causam rogationem promulgarent. *) Hanc vero legem haud efficacem fuisse, facile potest colligi, quoniam salva fide foenus in universum tolli nequaquam poterat.

Id tantum ex hac rogatione accidisse videtur, ut malitiosi vel desidiosi debitores nunnunquam hac uterentur

---

*) Liv. L. 7, c. 42. „Invenio apud quosdam, L. Genucium, Tribunum plebis, tulisse ad populum, *ne foenerare liceret.* Idem sine dubio innuit Tacitus in verbis supra allegatis, *postremo vetita versura*, quamvis hic insolite vox versura posita videatur pro usura. *Versuram* enim *facere*, aut *versura solvere* Romanis proprie dicitur creditorem mutare, vel foenus foenore dissolvere (*Schulden mit Schulden bezalen*) v. Terent. Phorm. vel sub alieno nomine pecuniam mutuari, *unter fremdem Namen Geld aufnehmen*, (v. Cic. ad Att. L. V, 21. VI, 4.) sive denique mutuata pecunia satisfacere, ne necesse sit nomen exigere. *Mit erborgtem Geld bezalen, um kein eigenes Kapital aufkünden zu müssen*, (Ep. ad. Attic. L. V, 1. VII, 18.)

calumnia ad creditores terrendos ac defraudandos. Hoc certe factum esse a. u. 665. *Appianus* testis est (in B. C. L. I. c. 54.) Eo scilicet anno lis de aere alieno diu omissa iterum vehementer exarsit. Creditores quippe foenus ex more majorum antiquitus recepto repetebant, refragantibus debitoribus, qui ad antiquam legem, Genuciam puto, provocabant, qua fuisset interdictum, foenus exigere. Quum inter partes haud convenisset, res ad Praetorem est delata. At is, utriusque partis invidiam timens, in repugnantia legis et moris sententiam declinavit, judices dedit, et utrique parti permisit, ut coram istis ex lege agerent. Foeneratores autem, aegre ferentes renovari veterem legem et in iram conversi Praetorem in foro sacrificantem tumultu facto per vim sustulerunt. Autor caedis non apparuit. Et quamvis Senatus Indici per praeconem praemium decerneret, libero pecuniam, servo libertatem, conscio impunitatem, nemo tamen index extitit, foeneratoribus rem tegentibus.

Quae hactenus de re foenebri Romanorum ex Romanis Historicis conquisita et in ordinem temporis digesta attulimus, ex iis elucere existimo, quanta cura ac solicitudine a priscis jam temporibus civitatis res foenebris fuerit tractata. Eadem haec cura cognoscitur etiam ex poenis ex lege contra foeneratores decretis. Atque in his etiam miteris et probitatem et sapientiam Veterum. Secundum Leges XII. tabularum nempe illi, qui plus licito foenore exigebant, luebant *quadruplo*, quae poena eo gravior erat, quum fures teste Catone duplo tantum mulctarentur. Sed videbant sine dubio Romani, furem facilius caveri posse

quam foeneratorem, gravemque hanc mulctam propterea etiam constituisse mihi videntur, ut, quantopere aspernarentur fordidum hoc foenerandi negotium, eo clarius innotesceret. Cognitio foenoris demandata erat Praetoribus ac Aedilibus, quibus posthac etiam permissum fuisse videtur, ut in foeneratares, prouti visum esset, animadverterent. Pars mulctae, ut videtur, vexatis cessit, reliquum in aerarium est redactum. Neque eitam, quod fapientiae Romanae eximium est documentum, fileri potest, mulctas ex foenore in utilitatem reipublicae et in ornamentum urbis fuisse adhibitas, magnificentissimaque monumenta ex foenerariis pecuniis fuisse exstructa. *)

Antequam vero in exponenda historia rei foenebris

---

*) Operae pretium est, exempla, quae Livius affert, huc transcribere. „A. u. 457. Cn. et Q. Ogulnii aediles curules aliquot foeneratoribus diem dixere, quorum bonis mulctatis ex eo, quod in publicum redactum est, aenea in Capitolio limina, et trium mensarum argentea vasa in cella Jovis, Jovemque in culmine cum quadrigis, et ad Ficum Ruminalem simulacra infantium Conditorum urbis sub uberibus lupae posuerunt: semitamque saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt; et ab aedilibus plebejis ex mulctatitia item pecunia ludi facti, pateraeque aureae ad Cereris positae. A. u. 554. Cato Censor foeneratores ex insula Sardinia fugavit; vir sanctus et innocens, asperior tamen, ut Livius addit, (L. 32, c. 27.) in foenore coërcendo habitus. Eodem Livio teste (L. 35, c. 41.) a. u. 561. similiter multa judicia in foeneratores severe sunt facta, accusantibus privatos Aedilibus curulibus. De mulcta damnatorum quadrigae inauratae in Capitolio positae in cella Jovis supra fastigium aediculae, et 12. clypea inaurata, et iidem porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecerunt,

apud Romanos ulterius progrediamur, rationem ipsam usurarum curatius inspicere, earumque computationem paucis explicare necesse est, praesertim quum in definiendo earum calculo eruditi multum inter se dissentiant. De eo quidem primo inter omnes, qui in rem foenerariam Romanorum inquisivere, convenit, veteres Romanos usuras non in annum tantum, sed communiter in menses computavisse, adeoque menstruas etiam usuras fecisse. Hoc non solum ex multis veterum autorum locis *) sed ex ipsa denominatione vulgari *usurae centesimae* perspicue cognoscitur. Centesima videlicet usura vel, ut pariter vocari solet, *usura assis* haec erat, secundum quam singulis mensibus centesimus as pendebatur, (quod nos dicimus 12 pro Cent.) Haec usura apud Romanos quoque gravis habebatur, et, nisi periculum sortis subesset, non licebat eam exercere. Hoc enim foenore, ut quivis videt, brevi octo annorum spatio tantum fere solvebatur, quantum sors ipsa efficiebat. Veruntamen verisimillimum est, ab antiquissimis jam temporibus usque ad leges XII tabularum vulgarem Romae fuisse consuetudinem, centesima foenerandi. Sic enim facilime explicantur frequentes istae turbae ob aes alienum a primordiis imperii consularis obortae, idemque confirmatur exemplis superius a me allegatis, quae debitorum querelas adversus creditorum asperitatem continent.

Jam vero quaeritur, quid fuerit *foenus unciarium*,

*) E pluribus locis sufficiat allegare unicum, ex Ciceronis nempe Epistolis ad Atticum, L. VI. Ep. I. in qua usurarum menstruarum ab Rege Ariobarzane Pompejo solvendarum diserte fit mentio.

quod primo XII tabulis, uti vidimus, constitutum est. Atque in definiendo hoc foenore in duas abeunt ſententias interpretes. Alii nempe centesimas atque uncias usuras nomine tantum differre putant, ajuntque in posteriori denominatione uncias assibus ſ. ſolidis fuisse ſubstitutas. Hanc ſententiam e. gr. profert Cel. Arbuthnot in Tab. numm. C. 22. Ibi ingenue fatetur, ſe denominationem unciarii foenoris a Livio ac Tacito usurpatam non posse interpretari ad analogiam in tabulis observatam, quippe ab omni reliquo ſermonis habitu abhorrentem. Tum vero haec addit: „Centesimam usuram ea designari, indubium quidem est. Unde autem haec dicendi ratio duobus his Scriptoribus venerit, explicare non valeo. Unciam videntur *assi* ſ. *integro* ſubstituisse.“ At hoc est, nodum ſecare, non ſolvere. Alii contra, qui ſubtilius rationes ſubduxere, ex analogia consueti apud Romanos calculi usurarii contendunt, unciarium foenus id esse, quum pro 100. assibus ſingulis *mensibus* usurae loco numeretur uncia, ſeu duodecima pars assis, adeoque pro usura totius anni as, quod antea usura erat menstrua. *) (1 Procent.) Prior quidem ſententia per ſe cadit. Neque enim potest demonstrari, Romanos unquam uncias assibus ſubstituisse, neque etiam, ſi foenus unciarium idem esset ac centesima, intelligitur, quo pacto

*) Hanc opinionem bono certe fundamento subnixam tulti sunt *Gronovius*, *Salmasius*, *Budaeus*, *Dupuy* in Comment. Acad. Inscript. T. XXVIII. et novissime in Programmate scholastico a. 1784. Cel. Dn. Prof. *Ostertag*, qui rationes Dni Dupuy, et qui hunc secutus est, *Pauctoni* in *Metrologia* Paris. 1780. edita multo, ut solet, acumine et subducto quoque calculo usurario in lucem posuit.

plebs egena unciario foenore per XII tabulas in subsidium ejus reperto potuisset levari. Alteram contra sententiam, quae repetitur ex *analogia* calculi usurarii apud Romanos usitati, admodum esse probabilem, negari nequit. Quum enim romani moris fuerit, menstruum annuumque foenus ad assem ejusque partes revocare, vel summam debiti (*das Kapital*) cum usuris annuis sub forma assis repraesentare, menstruasque capitis usuras ex partibus assis denominare, exinde consequi videtur, foenus unciarium nihil aliud fuisse, quam usuram, qua duodecima pars assis s. uncia in mensem, et in annum as pro centenis solvi consueverit. Hunc vero morem usuras computandi Romanis citra omne dubium fuisse, id efficitur loco *Columellae*, *) L. 3, c. 3, ex

*) Locus hic est: Columella pretium vineae cum dote definiens sic pergit: „Fit tum in assem consummatum pretium sestertiorum 29000. Huc accedunt *semisses* usurarum 3480 Sestertii nummi biennii temporis, quo velut infantia vinearum cessat a fructu. Fit in assem summa sortis et usurarum 32480 nummorum."

Jam si numerus 3480 dimidietur, erunt Sestertii 1740, qui constituunt semisses usurarum ex sorte 29000 Sestertiorum. Hinc emergit proportio:

29000 Sest. — 1740 = 100 — 6.

Igitur semisses usurae in annum constituunt 6 Procent s. sex sestertios, pro centenis, et in mensem $\frac{6}{12}$ procent vel dimidium sestertium aut ex ratione assis 6 uncias. Quum ergo foenus Summae centesimae s. ex centum nummis denominetur in mensem ac annum ex asse ejusque partibus, adeoque usurae sint unciales, trientes, quadrantes etc. recenseamus jam partes assis, quae simul exhibebunt in schemate usuras menstruas atque annuas.

As, qui in universum omne solidum designat, constabat

quo apparet, *semisses usuras* effecisse in mensem $\frac{6}{12}$ f, dimidium assis aut integri nummi, adeoque in annum *sex nummos integros.* (6 Procent.) Verum quamvis haec unciarii foenoris ad annuum assem facta computatio ex analogia romani calculi ingentem habeat probabilitatem, eandem tamen ad *rationes temporis* relatam multa quoque

---

12 partibus s. unciis. Hae fuere uncia $\frac{1}{12}$, sextans $\frac{1}{6}$ s. 2 U.; quadrans $\frac{1}{4}$ s. 3 U. triens $\frac{1}{3}$ s. 4 U. quincunx $\frac{5}{12}$ s. 5 U. Semissis $\frac{1}{2}$ s. 6 U. Septunx $\frac{7}{12}$ s. 7. U. Bes $\frac{2}{3}$ s. 8 U. Dodrans $\frac{3}{4}$ s. 9 U. Dextans aut Deunx $\frac{5}{6}$ s. 10 U. Deunx $\frac{11}{12}$ s. 11 U. Uncias.

Secundum hanc divisionem assis sunt		Annuae.
Usurae unciales menstruae	$\frac{1}{12}$ P. C.	1 P. C.
— sextantes	$\frac{1}{6}$ —	2 —
— Quadrantes	$\frac{1}{4}$ —	3 —
— Trientes	$\frac{1}{3}$ —	4 —
— Quencunces	$\frac{5}{12}$ —	5 —
— Semisses	$\frac{1}{2}$ —	6 —
— Septunces	$\frac{7}{12}$ —	7 —
— Besses	$\frac{2}{3}$ —	8 —
— Dodrantes	$\frac{3}{4}$ —	9 —
— Decunces	$\frac{5}{6}$ —	10 —
— Deunces	$\frac{11}{12}$ —	11 —
— Centesimae s. Asses	$\frac{12}{12}$ s. 1 P. C.	12 —
— Sesquicentesimae	$1\frac{1}{2}$ —	18 —
Ducentesimae s.		
Centesimae binae	2 —	24 —

difficultate laborare, nec cum iis bene conjungi posse, indubium est. Quo pacto enim isto tempore, quo lex de unciario foenore lata est, salva fide potuisset fieri, ut annuum foenus usque ad assem, (1 P. C.) et deinceps usque ad semissem ($\frac{1}{2}$ P. C.) minueretur? Quae foret ista pecuniae copia et vilitas, illa praesertim aetate inopi, ut nemo plus quam centesimum imo ducentesimum assem (post constitutum foenus semunciarium,) ex pecunia sua facere posset? Quomodo praeterea plebs aequissimo hoc foenore ita potuisset premi, ut post aliquot annos id iterum minuendum, semunciariumque constituendum fuisset, quum unciario foenore per centum demum annos sors ad alterum tantum fuisset evecta? Denique quomodo Livius, veluti supra vidimus, potuisset dicere, et semunciario foenore partem plebis fuisse affectam?

Itaque ponderatis, quae utramque foenoris unciarii explicationem hactenus usitatam premunt, difficultatibus, in mediam delatus sum interpretationem, nec a romana supputandi ratione abhorrentem, sed rationibus temporis magis accommodatam, vicibusque, quas deinceps foenus apud Romanos subiit, belle respondentem. *) Putem quippe, foenus unciarium fuisse usuram annuam, secundum quam pro singulis assibus singulae unciae, s. duodecima pars sortis erat solvenda, quae usura in annum efficit 8 asses cum triente s. 4 unciis ($8\frac{1}{3}$ P. C.) et in mensem bessem s. 8 uncias; ($\frac{2}{3}$ P. C.) excepto ultimo mense, in quem usura

*) Praeivit hanc meam interpretationem b. jam *Stroth*, Vir bonis literis praematuro certe fato ereptus in ed. sua Livii praestantissima, Vol. II, p. 129. sq.

fit assis (1 P. C.) Ex eadem computationis ratione se-munciarium foenus in annum afficiet 4 asses cum sextante s. 2 unciis (4 $\frac{1}{6}$ P. C.) et in mensem tertiam assis partem vel trientem, s. 4 uncias, ($\frac{1}{3}$ P. C.) excepto ultimo, in quem usura menstrua fit $\frac{6}{12}$ s. ($\frac{1}{2}$ P. C.) As dimidius vel semissis.

Dies, quibus apud veteres Romanos pecuniae solebant in foenore poni, erant *Kalendae*; proinde apud Senecam L. de benef. Kalendarium exercere, idem est, ac foenus exercere. Kalendarium itaque erat tabula expensorum, in quam pecuniae certis diebus creditae solebant coram testibus referri. Eandem rem Livius L. VI. c. 20. vocat *pecunias expensas ferre.* Dies autem, quibus pecuniae ac usurae redigi plerumque solebant, erant *Idus*, (v. Cic. I. Catil. c. 14. Hor. Carm. V. Od. 2. in fine.)

Locus heic admonet, ut de *anatocismo* etiam paucis dicamus. Is erat proprie foenus foenoris. Videtur primo repertus fuisse in compensationem, ut, quantum creditor ex menstruis usuris foenerando potuisset redigere, tantum annuae sortis usurae adjiceretur. *) Ratio compositae hujus usurae haec erat, ut, quando stipulata esset usura menstrua, hac dilata lucrum cessans creditori restitueretur. Eadem fuit ratio anatocismi annui, secundum quem annua usura veniente die non soluta sorti in foenus adjecta est, sic ut altero anno romano more non tantum centesima sed etiam centesima centesimae fuerit solvenda (loco 12 P. C. 13$\frac{1}{2}$ P. C.) et sic porro. Igitur, quum centesima

*) Hujus Interusurii rationes docte et per calculum illustrat Cel. *Ostertag*, in laudato programmate, p. 9, et 20.

constituat apud Romanos octavam fertis partem centenorum nummorum, patet hinc, usuris annuis haud folutis, eas cum capite octo annis circumactis fuisse per anatocismum duplicatas. Simplicem hunc atque anniversarium anatocismum, quo fingulis tantum annis usurae capiti adjectae funt, ita ut hae femper aequales essent, ipse *Cicero*, quum esset Ciliciae Proconsul, Scaptio quidam contra Salaminios debitores permisit, ex quo apparet, eum a romano more haud abhorruisse.*)

Alterum contra conjunctum et perpetuum anatocismum, fecundum quem usurae quovis anno ex progressione arithmetica capiti adjectae funt, fic ut annuae usurae in fingulos annos crescerent, leges Romanae omnino tanquam foedidum et voracem penitus prohibebant. Propterea etiam fub infamiae nota abrogatus est lege ab Imperatoribus Diocletiano et Maximiano lata a. p. C. n. 284, donec tandem Imperator Justinianus omnem anatocismum publica fanctione tolleret. (v. Cod. Justin. L. IV. tit. 32, leg. 28.)

Sed ut redeamus ad historiam rei foenebris, notan-

*) Ep. ad Attic. L. V. 21. coll. L. VI. ep. 1, 2, 3. In his locis Cicero anatocismum *anniversarium* a *perpetuo* perspicue distinguit. L. V. 21. dicit: „se observaturum ex edicto suo centesimas cum anatocismo anniversario" cujus rationem sequentia loca illustrant: Ep. I. L. VI. de eadem causa scribens Cicero, confeceram, ait, ut solverent Salaminii centesimis ductis cum *renovatione singulorum annorum*" et ep. 2. centesimis ductis a proxima syngrapha, nec *perpetuis*, sed renovatis quotannis" et ep. 3. ubi ait: „Scaptius centesimis, *renovato in singulos annos foenore* non contentus fuit."

dum est, post legem de femunciario foenore latam nullas amplius inveniri publicas fanctiones in modum usurarum vulgatas. Romani fine dubio intelligebant, tractationem hujus rei admodum esse lubricam, nec fine offensione unius vel alterius partis certi quidquam in perpetuum posse definiri, neque etiam hujusmodi legibus vim posse conciliari fraudibus foenerariis prorsus parem. Igitur universam hanc rem temporibus relinquebant temperandam, fatis contenti, fi nimiam foeneratorum licentiam et faevitiam coërcuissent. Hinc etiam postmodum usurae in *semisses* (6 P. C.) crevere, eaeque vulgatissimae factae, et Plinio teste civiles et modicae funt habitae. Sed et hae deinceps iterum auctae funt in *centesimas* (12 P. C.) quas ultimis reipublicae temporibus in provinciis communiter observatas fuisse, relatum legimus. *Cicero* eas, ut ipse testis est in Epp. ad Att. jam allegatis, quum proconsul esset in Cilicia, edicto permisit. Fuere tamen haud pauci, qui duplo, triplo, immo quadruplo foenerarentur. Ita Cicero, ut res exemplo constet, *Verrem* exagitat, quod pecunia in publici frumenti coemtionem data binis centesimis (24 P. C.) fuisset foeneratus; quin ipse *Brutus*, Vir fanctitatis et innocentiae fama ceteroquin clarus, per negotiatores fuos ex nomine, quod ipsi debebant Salaminii, vi fyngraphae quaternas adeo centesimas (48 P. C.) volebat exigere, qua in re Cicero ei obstitit. (v. Epp. ad Att. L. V, 21. VI. 1, 3, 4.)

Neque mirum est, foenus Romae florentissimis reipublicae temporibus permagnum femper fuisse, quanquam post devictam Africam, Graeciam atque Asiam immensae

ac innumerae opes in hanc urbem ex omnibus provinciis confluxerint. Variae et multiplices ingentis hujus foenoris fuere causae, quas breviter recensere ab hoc loco non erit alienum. Inter has itaque primum referri debet infinitus luxus nobilitatis et magistratuum tum in cultu quotidiano privatim, tum publice in celebrandis ludis magnificis, et profusis largitionibus ad populum, quibus sumtibus factum est, ut opulenti etiam homines in aes alienum inciderent, et cum eo nonnunquam conflictarentur. *) Altera causa fuit incredibilis in maxima auri argentique copia opum inaequalitas, quum videlicet provinciarum thesauri in manibus paucorum essent, multitudo contra turpi inopia laboraret. Ea res effecit, ut illi, qui pecuniam quaerebant, difficulter nec sine asperis conditionibus a paucis mutuam acciperent. Accessit Equitum romanorum et publicanorum, quorum plures erant per orbem romanum societates, insatiabilis avaritia, qui, quum vectigalia et tributa provinciarum redemissent, in hoc negotio opportunitatem habebant misere vexandi atque diripiendi socios et provinciales. Istorum hominum licentiae vix poterat obviam iri. Namque periculosum erat et arduum, homines aggredi gratia et pecunia valentes, et multos insuper et inter se arcte conjunctos; et praeterea Senatus adeo eos debebat colere, quod ordo

*) Sic e. g. *Julius Caesar* ambitione potissimum et largitione profusa tantam aeris alieni molem congessit, ut, quum praeturam Hispanicam adire voluisset, a creditoribus retineretur; quo tempore vox ejus excepta est, *opus sibi esse sestertio millies*, (nostra pecunia 5 *Milionen* Floren.) *ut nil habeat.* v. App. B. C. L. 2.

facere et pati in animum induxissent. *) Quanta vis aeris alieni tum temporis fuerit, hinc etiam apparet, quod plebs a *Dictatore Caesare tabulas novas* h. e. plenam debitorum remissionem crebro flagitaret, quas tamen preces Dictator, ſapienti consilio constanter repulit, quamquam alia ratione populum juvaret. (Dio. Cass. L. 42.) Qua vero ratione Julius Caesar Vir pace non minus ac bello clarus rationes creditorum atque debitorum tractaverit, id, quoniam ad historiam rei foenebris apud Romanos, quam hactenus persecuti ſumus, proxime pertinet, jam recensebimus, eaque, quae de hac re *Dio Cassius* tradidit, in compendium redigemus. „Quum nimirum bello civili, ait Dio, (L. 41.) fides ita esset imminuta, ut nec reddere mutuo acceptum nec mutuo ſumere proclive esset; creditores repetebant creditas pecunias, debitores autem, quod pecunia ipsis deesset, rebus oppigneratis volebant cedere. At creditores nihilominus argento ſibi ſatisfieri antiquo more postulabant. Tum Caesar, invento prudenti temperamento inter utramque partem pignorum pretium per judices aestimari, jussitque, ut ſecundum hanc aestimationem creditoribus ſatisfieret. **) Ut vero futurae etiam lubidini

---

*) Quae hic dicta sunt, historia belli Catilinarii a Sallustio scripta ubique probat. Idem Scriptor C. 16. expressis verbis ait, hominem scelestum ad facinus hoc patrandum et ad alendam spem felicis eventus ea re quoque accensum fuisse, quod tum *aes alienum ingens per omnes terras fuisset.*

**) *Suetonius* in Jul. Caes. c. 42. hanc Caesaris constitutionem ita describit, ut pateat, Caesarem debitoribus maxime voluisse consulere. Ex hujus enim Scriptoris narratione Cae-

foeneratorum frenum injiceretur, simul edixit, ne quis in argento vel auro plus pecuniae seu nummi parati possideret quam LX Sestertia (3000 fl.) Quam legem, addit Dio, eo fine sanxit Caesar, ut debitores creditoribus aliquid pendere opus haberent, indigentibusque alii mutuo darent." Equidem vero putaverim, hanc legem a Caesare hoc potissimum consilio fuisse latam, ut locupletes cogerentur, maximam rei familiaris partem in agris collocare, adeoque ad rescindendam foenerandi cupiditatem. Quum enim divites viderent, plus redire ex credito, quam ex coemtis praediis, omnem fere pecuniam destinabant foenerandi negotio. Neque etiam haec Caesaris lex nova fuit, sed antiquitus jam erat cautum, ut locupletes partem facultatum in agris haberent. Atque rationem hujus legis hanc fuisse, ne agricultura, verae opulentiae fons negligeretur, neque praediorum pretia vilescerent, in aprico est.

Superest jam, ut de ratione foenoris romani sub *Imperatoribus* dicamus, quod quidem, ne commentatio academica in libelli molem excrescat, paucissimis absolvemus.

---

ser decrevit quidem, ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, sed *quanti* quasque ante civile bellum comparassent, et praeterea deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat."

Ceterum Lex haec lata fuit a. u. 707. cum primum Caesar victo Pompejo in urbem venit, non multo post exactum alterum belli civilis annum. Biennii igitur usuram a belli principio exegerant creditores. Jam si centesimam, ut fere tum fiebat, erant pacti, deducta ea de capite 24 e centenis nummis amittebant, seu quartam fere, ut Suetonius ait, crediti partem.

Quantam vim rationes temporis habeant in decernendo foenoris modo, supra jam monuimus. Atque hoc statim apparuit, simulac *Augustus* sub nomine Principis civitatem et imperium Romanum solus regeret. Pace enim per Augustum restituta, et composita civitate fides quoque publica mox ita instaurata est, ut teste Dione Cassio (L. 51.) foenus sine peculiari sanctione a centesimis ad *trientes* reciderit. (*von* 12 *P. C. auf* 4 *P. C.*) Et quanquam sub Imperatoribus sequentibus nonnihil etiam variaret, ultra *semisses* (6 P. C.) tamen in vita communi nunquam crevit. Foeneratorum quidem studia non quievisse, facile potest conjici, attamen haud eo valuerunt, ut fidem publicam labefactarent. Namque vel constitutionibus principum, vel propriis eorundem auxiliis repressa sunt. Sic imperante *Tiberio*, uti Tacitus refert Annal. VI. c. 16. ad comprimendam lubidinem foeneratorum lex Caesaris per S. C. renovata est, ut duas quisque foenoris (s. pecuniae in foenus datae) partes in agris per Italiam conlocaret; totidem debitores creditoribus statim redderent. (conf. Sueton. in Tib.) Quum vero hac sanctione omnium aes alienum simul commoveretur, et copiam vendendi vilitas agrorum sequeretur, ita, ut quanto quis esset obaeratior, aegrius propter vendendi necessitatem distraheret, in hac rei nummariae difficultate tandem ipse Caesar opem tulit, disposito in mensas millies sestertio (5 *Million. fl.*) factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor duplo praediis cavisset. Sic, addit Tacitus, refecta fides; et paulatim privati quoque creditores reperti. Nec emtio

agrorum exercita ad formam Senatusconsulti, acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

Per constitutiones denique sequiorum Principum foenus pro diversitate personarum diversimode definitum est; ita ut ex *Justiniani* constitutione illustribus trientes tantum (4 P. C.) negotiatoribus *besses* (8 P. C.) reliquis vero privatis *semisses* (6 P. C) permitterentur.

Sed jam tempus admonet, Carissimi Cives! ut pedem figamus; ne antiquitatis eruendae gratia, quod ante oculos est, transire, ne in explorando alieno foenere videamur oblivisci, quantum sit, quod nos ipsi debeamus Carolo, Academiae hujus gratiosissimo Conditori, ejusdemque Summo Rectori et Protectori Munificentissimo. Condidit hanc Academiam Princeps litterarum amantissimus, quem providentiae divinae beneficio nobis fuisse natum et gaudemus et gloriamur, hoc ingenti et generoso consilio, ut patria, ut orbis, ut scientiae fructus inde capiant uberrimos, voluit eam esse domesticum quasi seminarium bonarum artium ac literarum, exornavit eam et instruxit perpetua, et renovata semper pro necessitatibus temporis cura subsidiis omnibus, quibus opus est ad morum liberalem ac honestam conformationem ac disciplinam, ad literarum doctrinam atque institutionem bonam ac utilem, ad incrementum denique scientiarum et eruditionis ac culturae omnis amplificationem. Invigilavit in hunc usque diem Princeps indulgentissimus flori ac saluti hujus Academiae sic, ut hanc praecipuam publicarum curarum partem reputaret. Nondum sane memoria vestra

excidit, Cives! qua oratione nuper Carolus, quum iter ad exteros susciperet, e conspectu nostro discederet, cujus quidem tale fuit argumentum, ut non principis autoritatem, sed tenerrimi parentis adfectum spiraret; tanta vero vis, ut jam Carolus absens Suo velut numine studia nostra regat, coetus nostros, auditoria nostra Suo numine impleat. Agite igitur, Cives! subducite rationes vestras, quantum debeatis Carolo, quantum reddideritis; et, si subductis rationibus intellexeritis, nondum a Vobis esse satisfactum justae Principis expectationi, confestim eas ita componite, vestrisque studiis ita inter vos certate, ut spem Principis Optimi de vobis conceptam non frustremini; talesque vos omnes exhibete, ut nec Principem praesentis in vos curae poeniteat, nec futurae pigeat: denique singulari virium contentione adnitimini, ut ex hac Academia, ex qua tot jam prodiere, absit invidia verbo, melioris notae ingenia, in posterum quoque, tanquam ex equo Trojano, prodeant homines literis ac moribus ita exculti, ut ex ipsorum opera respublica et orbis literarius fructus aliquando capiant lautissimos. Jam vero, quum indicta sit publica panegyris ad celebrationem Diei *natalis* Serenissimi Ducis *nostri* et ad recolendam Academiae inaugurationis memoriam, vestris vos religionibus exsolvite, Carissimi Cives! et pro inconcussa valetudine *Serenissimi Principis*, pro felici *Ipsius* in patriam reditu, et pro perenni Academiae flore vota fundite ad Supremum in Coelis Numen ardentissima. In hac autem solemnitate *hora ante meridiem undecima* publice

instituenda verba faciet *de jure Gentium Europaearum practico ad salutem civitatum relato*, et vota nostra interpretabitur Vir Amplissimus et Consultissimus D. *Augustus Fridericus Baz*, Jurium Professor P. O. ad quem Oratorem benevole audiendum omnes Musarum nostrarum Patronos ea, qua par est, observantia invitamus.

VII.

BREVIS INTER ODYSSEAM AC ILIADEM COMPARATIO, AD EVINCENDAM ODYSSEÆ PRAESTANTIAM. PROGRAMMA. 1792.

Instat proxime, *Cives honoratissimi!* Dies *Natalis* Serenissimi Principis *Nostri* Caroli ex divina benignitate ſexagesimus jam quintus; dies universae Patriae, et nobis praesertim exoptatissimus, quo ſimul anniversariam inaugurationis Academiae a Principe nostro conditae, Suoque Ipsius nomine insignitae memoriam recolimus; dies itaque non interno ſolum pietatis adfectu, ſed fausta etiam adclamatione et publica ſolemnitate, uti fas est, concelebrandus. Quae quum ſolemnitas ex academico more publico quodam ſcripto indicenda ſit, bene quoque ac ſapienter academicis legibus constitutum est, ut de argumento ex communi eruditione et humanitatis ſtudiis, qui-

bus quemque Vestrûm non imbutum folummodo, fed instructum esse decet, petito, quod praeterea et gravitatem haberet et jucunditatem, aptumque esset ad ingenium exercendum, prolusionis loco Vobiscum *Cives Optimi!* dissereremus.

Cum ab aliquo jam tempore in Germania ftudium graecarum literarum laetius incipiat efflorescere, et in plurimis fcholis adolescentes inprimis etiam lectione homerica imbuantur, vix tamen intelligitur, cur Iliacum carmen fere folum ftudiosorum manibus versetur, multorumque eruditorum assidua opera illustretur, *Odyssea* autem, ab eodem divino ingenio profecta, neglecta quasi et contemta jaceat. Jam cum interpretatio Odysseae fi vel res, vel verba respexeris, haud fere majores habeat difficultates, quam explicatio Iliados, non alia videtur hujus negligentiae ratio fubesse, quam falsa multorum et ex praejudicata opinione nata persuasio, Odysseam Homeri magno intervallo ab istis virtutibus abesse, quae in carmine iliaco unumquemque lectorem capiant, et in admirationem rapere foleant. Ad convellendam igitur hanc erroneam fententiam visum nobis fuit, instituere *succinctam Odysseae atque Iliados comparationem*, atque ex illa, *quantum ulysseum carmen iliaco praestet*, pro angustia harum paginarum *ostendere.* *)

*) Agitatam jam fuisse inter antiquos quaestionem hanc, utrum Ilias Odyssea sit potior, verisimile quidem est, quamquam, quid in universum de hac causa placuerit antiquis, definiri vix possit. Quod enim de consensu antiquitatis in collaudanda Iliade testimonium adfertur ex *Platonis Hippia*,

Ne quis autem nobis in excutienda hac litigiosa quaestione opponat autoritatem *Rhetoris Longini*, a quo forsitan omne hoc iniquum, quo de Odyssea communiter ferri solet, judicium fluxit. In quovis enim negotio non autoritatibus sed rationibus decertandum esse, quivis facile no-

---

Id monente jam *Woodio* ad hanc causam plane non pertinet. Socrates enim, quando ibi dicit, se a patre Eudici audivisse, „Iliadem pulcrius esse carmen, quam odysseam, et eo pulcrius quidem, quo melior sit Achilles Ulysse" neque *suam* neque *communem sui temporis*, sed *privati* tantum hominis sententiam profert, illamque quaestionem *εἰρωνικῶς* movet, ut occasionem inveniat, Hippiae confutandi atque irridendi, qui sophistico et nugatorio sermone de pretio carminum homericorum declamaverat. Socratem vero in movenda hac quaestione lusisse, ex ipsa quaestionis ratione intelligitur. Quis enim putaverit, Socratem non vidisse, vim carminis epici minime referri ac revocari posse ad *habitum* personarum, quae inducuntur, *moralem* (τὸ ἠθικόν) ad quem tamen in dijudicando utriusque carminis pretio potissimum respexisse videtur Hippias, dicens: Achillem ab Homero fingi *simplicem* et *candidum*, Ulyssem contra *versutum* ac *veteratorem*, licet hac notatione ceteroquin recta universus tamen utriusque Herois character, uti apud Homerum est, minime absolvitur. — Ex hoc itaque Platonis loco nil de Veterum consensu in praedicanda iliaci carminis praestantia concludi posse, satis apparet. Ceterum hoc, quod ex variis rationibus recte colligitur, facile concesserim, Iliada majorem apud veteres Graecos habuisse vim ac autoritatem, non, quod subtilius inquirerent in virtutes poëticas utriusque carminis, aut quod Odysseam Iliade his inferiorem esse censerent, sed quod in Iliade historiam gravissimi et ad omnem Graeciam pertinentis belli, antiquissimarum Graeciae nationum origines ac situs, denique celeberrimorum Heroum genealogias contineri putarent.

biscum consentiet. Is videlicet Rhetor *) comparatione inter Iliadem et Odysseam instituta, non dubitat contendere, Homerum decrescente jam aetate, et labente spiritu posterius carmen aggressum fuisse, et in eo conficiendo occiduo potius soli similem esse. Ad probandam hanc iniquam de Odyssea sententiam nihil aliud adfert, quam quod maximam Odysseae partem constituant *sermocinationes* senibus propriae, (τὸ διηγηματικὸν, μυθικὸν,) cum ex adversa parte Ilias plena sit *motu* et *vigore actionum*, atque in ea principem locum habeat τὸ δραματικὸν, πρακτικόν. Quam inepte et praepostere haec a Longino dicantur, nemo non intelliget, qui Odysseae universam compagem altius introspexerit, **) eandemque cum iliaci carminis nexu accuratius contulerit; nisi forte hoc videtur absurdius atque alienius, id a Rhetore vituperari, ex quo summa Rhetoris laus atque commendatio petitur. Nobis potius sollicite considerata atque expensa utriusque poëmatis natura ac indole sic videtur, lucere in utroque carmine

*) v. Longin, περὶ ὕψες C. 9.

**) Ad temeritatem hujus judicii commonstrandam heic sufficiat adnotasse, eandem rem, quam Longinus in Odyssea carpit, pariter locum habere in Iliade, et vicissim illud, quod ab eo in Iliade laudatur, aequaliter pertinere ad Odysseam. Quis enim nescit, maximam Iliados partem constare *sermonibus* agentium vel ad actionem concurrentium Deorum atque heroum? Quem contra fugit, Odysseam quoque, si Rhapsodias IX — XII. exceperis, in quibus Ulysses Phaeacibus errores et prodigia sua enarrat, actionibus plenam esse, ac in ea moveri omnia, omniaque ad vivas naturae voces et imagines expressa esse?

divini ingenii flammam, Iliadem quidem, tanquam juvenilem foetum, ruere fervidiori ac concitatiori impetu, Odysseam contra maturitatem cultioris multaque rerum experientia subacti ingenii, et amabilem quandam moderationem et verecundiam prae se ferre.

Tantum itaque abest, ut cum Longino existimemus, Odysseam e senectute Vatis imbecillitatem quandam et infirmitatem traxisse, ut potius in ea virile quoddam robur, prudentemque et subjectae materiae accommodatam temperantiam animadverterere nobis videamur. Universus enim ordo, omnis structura rerum, quae in Odyssea continentur, sic est comparata, ut summum exinde ingenii lumen agnoscatur; expositio vero talis, tam nitida, pulchra, naturaeque ac veritati rerum tam apta et conveniens, ut nonnisi ab ingenio adhuc vigente sed multiplici rerum usu expolito proficisci possit. In Iliade dominantur affectus vehementes atque concitati; Odyssea speciosam privatae vitae imaginem exhibet. Igitur in diversitate rerum diversus etiam adhibendus erat sermo, et si in Iliade oratio Homeri nonnunquam altius surgit, in Odyssea verecundiam ubique spirat, rebus propositis accommodatam, nihilominus tamen ad intimos hominis sensus penetrantem, animumque pravis judiciis nondum detortum gravissime commoventem. Jam diligentius collato utroque poëmate invenies in Iliade quidem ingenii ubertatem, sed nunnunquam luxurientem, in Odyssea judicii severitatem ingenio non destitutam; in Iliade spiritus altos et excelsos et supra humanitatem elatos, in Odyssea sensus haud minus altos et vividos, sed ad humanitatem propius accedentes; in Iliade abundantiam, in

Odyssea folertiam et sobrietatem ubique sibi constantem, in Iliade importunum et impetuosum dicendi genus, torrentis more ruens, animumque graviter adficiens; in Odyssea aequabile orationis flumen placide decurrens, animumque tacita quadam voluptate perfundens; in Iliade turbulentum rerum cumulum et quasi farraginem, qua legentis animus fatigatur; in Odyssea lucidum ordinem, expositionem candidam et genuinam, et naturae rerum convenientem, et in prodigiosis etiam miraculis probabilem, quae legentium animos trahit, et recreat; deprehendes denique in Iliade mores accurate quidem descriptos, et proprios ac sibi constantes, sed ab humana natura aliquantum alienos; in Odyssea contra videbis omnia imitari naturae veritatem, omnia rectis de humana natura judiciis niti, omnia ad *communes humanitatis sensus* expressa et conformata esse, qua quidem in re mea sententia praecipua virtus Odysseae cernitur.

Quae hactenus de utriusque poëmatis indole generatim dicta sunt, ea nolim ita accipi, quasi derogare vellemus iliaci carminis laudibus omnium aetatum ac peritissimorum hominum judicio confirmatis, sed ita tantum, ut exinde rectius de utroque carmine judicium adjuvetur.

Agedum vero, *Commilitones carissimi!* accedamus jam ad ipsam utriusque carminis comparationem, ut, quid de pretio et praestantia Odysseae statuendum sit, clarius innotescat.

In comparatione hac rite instituenda duo spectanda, ac, ne commisceantur, sollicite distinguenda sunt, videlicet *indoles* ac *ratio poëtica*, τὸ ποιητικὸν, deinde *in-*

doles moralis vel *ethica*; τὸ ἠθικόν. Ut vero in investiganda ac dijudicanda utriusque carminis *indole poëtica* ordine procedat oratio nostra, tria iterum distinguenda et sigillatim consideranda ſunt, 1) *constitutio actionis*, quam Aristoteles *fabulam* vocat, 2) *dispositio* ſive *oeconomia*, 3) *compositio* ſive *dictio*.

Duae ſunt primariae leges, quibus omnes omnino artes pulchrae, omnia artis opera ſubjecta ſunt, quae propterea etiam ad epicum carmen pertinent. In altera hoc inest, ut *unitas* adsit cum *varietate*, et *simplicitas*; in altera autem hoc, ut accedat praeterea *vis* quaedam ſeu ἐνάργεια (Interesse.) Igitur in epico quoque carmine requiritur, ut *actio* ſit *una* et *varia* et *simplex*, deinceps, ut illa actio habeat gravitatem ſeu *vim*, quae trahat et retineat legentis vel audientis animum; atque his quidem rebus omnis epici carminis virtus absolvitur. Quo major itaque apparet in unoquoque poëmate actionis unitas, ac in illa unitate varietas, quo gravior vis ad trahendos et retinendos animos, eo perfectius erit id carmen et absolutius.

Conferamus jam ſecundum hanc normam actionem Iliados cum actione Odysseae, et dispiciamus primo, utra plus habeat *unitatis*, plus etiam *varietatis*. Curatius nempe perspecta actione utriusque carminis, facile nobis persuadebimus, in Odyssea majorem inesse et unitatem, et varietatem cum ſimplicitate conjunctam. Jam primum quidem Iliadi unam primariam actionem ſubesse, nemo certe vocaverit in dubium. A lite videlicet *Achillis*, qui princeps est carminis heros, cum Agamemnone omnis

actio proficiscitur, plurimaeque et gravissimae res per Iliadem expositae, v. c. Achillis irati ab exercitu Graecorum discessio, ejusdemque reditus, et quae hinc nascebantur belli vices, variaque Troum et Achaeorum fortuna cum illa lite arctissime cohaerent, et ex ea ceu fonte originem trahunt. Sed ex altera etiam parte tot actioni primariae episodia interponuntur, fcena toties variatur, tot heroes prodeunt, confliotantur, evanescunt, ut hac actionum turba distractus lector filum nonnunqam amittat. Ex eadem hac rerum gestarum multitudine et conflictu hoc etiam vitium nascitur, ut passim *tempora* rerum gestarum nec fatis perspicue, nec fatis recte constituta fint, quae omnia unitati actionis haud parum officere negari nequit. *) Quantopere vero per Iliadem fluctuet *unitas* actionis, nulla re clarius perspicitur, quam quod a morte Patrocli (Rhaps. XVI.) aut a reditu Achillis in praelium (Raps. XIX.) novus quasi ordiatur actus, nova rerum facies et conversio cum lite, quae principalem carminis actionem continet, haud fere connexa. Achilles enim (Rhaps. XIX.) tandem Agamemnoni reconciliatus, receptis, quae antehac (Rhaps. IX.) ferociter repudiaverat, donis in praelium nunc quidem reveritur, verum non Agamemnonis fed Patrocli causa, ad cujus mortem ulciscendam exarserat. Patet itaque, immortalia Achillis opera, quae in ultimis Iliados libris tam magnifice exponuntur, propriam quasi et peculiarem actionem condere, a prima illa lite, quae nunc erat fini-

*) Qui ea, quae Rhapsodiis IX, X. et XI. enarrantur, diligentius contulerit, facile animadvertet, in constituendis temporibus bonum Homerum nonnunquam dormitasse.

ta, minime repetendam, ſed a morte potius Patrocli, quem ſua voluntas et Nestoris preces reluctante quamvis Achille in pugnam protruserant, derivandam.

Praeterea etiam hoc obest actionis unitati in iliaco carmine, quod, quamvis *una* ſit persona principalis, legentium tamen ſtudia inter plures personas dividantur. A persona principe carminis epici expectamus, ut in media luce posita nostram attentionem ſemper occupet, ut ſemper aut plurimum agat, aut nihil ſaltem magni ſine illius auſpiciis geratur. At in Iliade Achilles per longum actionis epicae decursum otiosus et ignavus apud naves ſedet, dum alii praeclarissimis rebus gestis extolluntur, Diomedes, Menelaus, Ulysses, Ajaces, Idomeneus aliique ſine Achille rem gerunt, et fortissimis factis illustrantur, quorum nullum ad Achillem refertur. Ita fit, ut ſtudia legentium, quae in uno heroe primario detinenda erant, inter plures oberrent, et persona principalis, quae clarissima luce collustranda erat, obscuretur, et ex animo paene excidat. Ita quidem in Iliade ſe res habet; nam dum Achilles absens est, et apud naves de injuria illata muliebriter dolet, Diomedes interea pari fortitudine a Minerva instructus per agmina Trojana furit, et omne legentium ſtudium ad ſe trahit. Dum praeterea Diomedes inducitur cum Diis pugnans, dum praeter Venerem ferocissimum adeo Deorum *Martem* vulnerat, virtus ipsius ſupra virtutem Achillis primarii herois extollitur. Eodem modo in ultimis etiam rhapsodiis, in quibus et divinum Homeri ingenium et gloria Achillis magnificentius effertur, ſtudia tamen legentium inter Achillem et Hectorem vehementer vacillant. Trahimur enim multo for-

tius impavida Hectoris fortitudine ad humanitatis sensu non aliena, quam feroci ista Achillis virtute et immanitate omnis humanitatis experte. Hunc miramur quidem, ac illum etiam amamus; hujus facinora contemplantes horremus; at in illius virtute contemplanda placide adquiescimus.

Quod ad *varietatem* attinet, in qua alia virtus carminis epici cernitur, nemo negaverit, summam inesse Iliadi varietatem, eandemque unitati actionis haud contrariam, sed indoli potius et naturae propositae actionis admodum consentaneam. Sed quum plerumque res, quae in Iliade variantur, ad *unum idemque genus* pertineant, quum nihil aliud ob oculos nobis sistatur, quam consultationes de bello, quam certamina et duella, in ipsa illa varietate tamen inest aliquid *uniforme*, ex quo defatigatio lectoris atque taedium nascitur.

Ab his vero vitiis, quae in carmine iliaco circa primam epici poëmatis legem notavimus, quae posita est in unitate et varietate actionis, quam multum abest alterum Homeri poëma, quod Odyssea inscribitur! In Odyssea nempe habemus actionem *unam*, simplicem, naturali ordine progredientem, ubique perspicuam, nunquam interruptam, nec peregrinis additamentis contaminatam; *unum* heroem, semper ante oculos nobis versantem, *) semper actuosum,

---

*) Quatuor quidem priores Rhapsodiae, quae quasi prodromum et exordium actionis primariae constituunt, et in quibus tum status Ulysseae domus et procorum petulantia, tum iter Telemachi patrem quaerentis exponitur, Ulyssem ipsum non repraesentant, quamvis, ubinam nunc lateat, a Poëta ab initio carminis statim aperiatur; sed a quinta

atque omnibus, quae agit, et patitur, inter reliquas carminis personas sic prominentem, ut studium lectoris in alio nunquam haereat; varietatem denique suavissimis lenociniis blandientem, ac ita distinctam, ut nec unitati actionis detrahat, nec legentibus unquam fastidium creet.

Studia Ulyssis patriam repetendi, multiplices ejusdem errores, et felix tandem post diuturnos labores reditus materiam Odysseae constituunt. Ampla sane ac diffusa materies, sed a divino Poëtae ingenio tam solerter et acute disposita, ut nonnisi unicam, et obtutu facilem et simplicissimam efficiat actionem perexiguo temporis spatio inclusam. *) Singularum porro rerum tam aptus est ordo, tam commoda structura et concatenatio, ut, quid loco movendum sit, nesciamus, ut in tanta rerum congerie nil appareat, quod turbet animum aut declinet; omnibus ita copulatis et inter se junctis, ut facilis et plana ubique sit transitio, lectorque emenso aliquo orationis spatio citra periculum aberrandi saepius inveniat, in quo paululum requiescat.

Denique etiam actio Odysseae sic est *perfecta* et consummata, ut, quum desinat in reditu Ulyssis et procorum poena, nihil ultra desideretur, id quod secus se habet in Ilia-

---

Rhapsodia usque ad finem ita semper nobis praesens est Ulysses, ut eum nunquam ex oculis amittamus.

*) Hoc inprimis inter laudes Odysseae numerandum putamus, quod tam facilem habeat et ab ipso Poëta declaratam temporis, intra quod actio geritur, constitutionem, quae res contra in Iliade plurimum habet difficultatis.

de, in qua, cur Hectoris nece absolvatur, non ſtatim liquet. *)

Quod ad Heroem Odysseae attinet, is ubique principalem personam agit, reliqui omnes ſecundarum ſunt partium. In hunc omne lectoris ſtudium vertitur, in hoc omnis attentio defigitur. Hunc audimus, hunc intuemur, ad hunc omnia revocari cernimus. Studia nostra in ſolo Ulysse fixa non tam excitantur multitudine et vicissitudine periculorum, quibus eum implicatum et paene oppressum conspicimus, quam ratione et prudentia, animique vigore ac praesentia, qua in ſummo rerum discrimine nunquam destituitur.

Varietatem vero quam gratam et jucundam in Odyssea deprehendimus, est quam dignam tanto Artifice!

Talis enim et rerum varietas, quae non ſolum non obsit actioni principi, ſed illius progressum potius adjuvet, et quae praeterea novitate, et vicissitudine ſcenarum, insolentia prodigiorum et miraculorum ſpeciose enarratorum, et grata denique consecutione et junctura amoenarum et

---

*) Nos quidem minime negamus, actionem iliaci carminis pariter esse perfectam et completam. Quum enim Ilias praecipue occupetur in illustranda Achillis gloria, sane desinendum erat Homero in illa re, quae hujus gloriae erat complementum, neque quidquam ultra expectandum erat, quoniam occiso Hectore vindictae Achillis penitus erat satisfactum. Igitur hoc tantum dicimus, ex ipsa conclusione carminis iliaci plenitudinem actionis non statim agnosci nisi antehac de consilio Poëtae et de universa carminis indole, quae certe complicatior est indole Odysseae, ratione subtilius inita constiterit.

terribilium ſcenarum (Contrast) curioſitatem lectoris retinet, animumque illius demulcet ac delinit. Neque illa delectabilis rerum varietas ſolummodo restringitur ad illas rhapsodias, in quibus Ulysses in aula Alcinoi errores, quibus post everſam Trojam circumactus fuerat, enarrans inducitur, ſed ad universum carmen pertinet. Neque etiam fabulosa haec Ulyssis narratio ullum offendet lectorem, qui morum priscae aetatis gnarus intelliget, quantam vim atque ſpeciem fabulae et portenta habeant ad trahendos incultiorum hominum animos.

Nolumus hoc loco recensere et persequi, quantum opis et praesidii fabulae istae, quae in Odyssea continentur, adferant ad penitius cognoscendos mores, ritus, opiniones atque instituta priscorum hominum; quantumque inprimis ex topicis Odysseae descriptionibus peti possit ad cognoscenda veteris geographiae initia; quoniam hic ſolummodo de aesthetica Odysssae virtute quaerimus. Id autem praetermittere non possumus, in ipsa illa re, quae forsitan Homero apud Longinum fabulosi ſenis notam contraxit, praecipuum epicae orationis *artificium* cerni. Dum enim Homerus Ulyssem ipsum apud Alcinoum fata exponentem inducit, multo melius et ſagacius rem instituit, quam ſi ipse induta herois persona longo et fastidioso ſermone errores Ulyssis ex ordine recensuisset. Hac enim carminis oeconomia ſapienter constituta id consecutus est divinus vates, ut legentes ſtatim in medias res raperet, ut in ſumma varietate unitatem tamen actionis ſervaret, tempus actionis gerundae probabile conderet, et carmini ſuo vim illam *dramaticam* conciliaret, ſine qua ne cogitari quidem potest

recta narratio epica. *) Bene etiam vidit Homerus, res olim gestas non luculentius aut probabilius posse repraesentari, quam si loqueretur ipsa persona, ad quam istae res proxime pertinuerant, et quam optimam harum rerum testem agnoscimus. Et quis contradixerit, si hoc etiam addamus, Homerum in concinnanda hac Odysseae parte, de qua nunc loquimur, non Poëtae solum artificium excellens, sed Philosophi quoque in pectus humanum descendentis judicium et acumen demonstrasse Sic enim struit rem, ut Ulysses prodigia sua haud enarret populo, consuetudine et commerciis cum aliis nationibus juncto, multo rerum usu exercito, atque ideo ad credendas fabulas minus proclivi; sed Phaeacibus, popello innocenti quidem nec ignobili, sed ab aliis populis plane disjuncto, et propter plurimarum rerum ignorantiam pueriliter curioso, et ad quidvis credendum prono ac propenso. Ita fit, ut lector non modo ex ipsa Ulyssis narratione voluptatem vividam capiat,

---

*) Hoc Odysseae artificium acute jam vidit, et recte laudavit *Horatius* in Ep. ad Pis. his versibus:

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
„Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Trojae
Qui mores hominum multorum vidit et urbes."
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdim;
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo;
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

ſed ut nova insuper ei et quasi reflexa ex admiratione et ſtupore audientium Phaeacum voluptas oriatur.

Contulimus hactenus carmina homerica ſecundum primam epici carminis legem, quae unitatem comprehendit in varietate; ſuperest, ut illa quoque ſecundum legem alteram, quae postulat, ut *argumentum* ſit *grave*, examinemus ad demonstrandam Odysseae praestantiam.

Jam vero, quid gravius, quid excelsius, quid ad animum commovendum, ad affectus excitandos fortius, quid humana denique natura dignius et ad illustrandam virtutem efficacius fingi aut excogitari potest argumento illo, in quo tractando occupatur Odyssea!

Versatur nobis ante oculos Heros non ſua culpa ſed Deorum voluntate gravissimis adversitatum procellis jactatus; at in ſummis miseriis animo non despondens, ſemper providus ſibique praesens, et constantia, ac fortitudine animi tandem de fortunae injuria triumphans. Grande ſpectaculum, et miserabile; ſed quod ea propter mirifice valet ad commovenda ima hominis viscera ac praecordia, et ad ciendam dulcem illam συμπάθειαν, in qua pulcherrima mentis humanae adfectio cernitur. Igitur, quum calamitatibus ac infortuniis virtus humana potissimum exerceatur, ſuumque ex illis colligat robur, nihil certe gravius, nihil excellentius fingi potest narratione Odysseae epica, quae heroem ſistit cum invidia fati fortiter colluctantem; in cujus adspectu non tantum nobis dolere licet de communi hominum ſorte adversitatibus cujuscunque generis ſubjecta, ſed gaudere etiam et gloriari de virtute ac magnitudine naturae humanae, quae cuivis malo, cuivis acerbitati tolerandae ac vincendae par

est. Praestat itaque Odyssea etiam ratione *gravitatis* habita permultum Iliade, quoniam haec solummodo asperos heroici aevi mores refert, et affectibus ferocioribus nititur, illa vero in summa licet proprietate priscorum morum ad communes tamen humanitatis sensus, qui latissime patent, nec temporum aut locorum diversitatibus obnoxii sunt, efficta est et conformata.

Nos vero, dum Odysseam multo graviorem dicimus Iliade, propterea non negamus, in argumento etiam Iliados ejusdemque tractatione haud exiguam inesse gravitatem. Etenim quem non commoveat lis illa duorum in exercitu graeco summorum Imperatorum, e qua principalis actio Iliadis fluit, praesertim, cum hanc habeat potestatem, ut ex ea plurimae res et funestissimae consequantur. At vero, ut his in Iliade propositis scenis trahamur atque delectemur, necesse est genium, mores, instituta priscae aetatis accuratius nosse, et cum istis heroibus, qui in Iliade prodeunt, familiaritatem quandam contractam habere. Id ipsum autem, quantum potior sit Iliade Odyssea, probat, quod Ilias quidem, ut placere possit, subtiliorem ac pleniorem antiquitatis notitiam desideret; Odyssea contra mirifice et ex omnibus partibus placeat, si quis integrum tantum et sincerum et incorruptum humanitatis atque pulchritudinis sensum ad lectionem hujus carminis attulerit. Praeterea etiam adfectus vehementiores, quos Ilias continet, ita sunt comparati, ut, quamvis naturae veritatem, qualis in populo nondum exculto locum habet, imitentur, nonnunquam tamen rectae rationis judiciis adversentur, finesque excedant,

„Quos ultra citraque nequit consistere rectum;"

Quum contra molles et moderati et delicatiores adfectus commiserationis, hospitalitatis, verecundiae, amoris, benevolentiae aliique, quos tam vivis coloribus in Odyssea depictos animadvertimus, eo fuavius animo fe insinuent, et eo firmius haereant, quo magis abhorrent a fucata politiorum feculorum urbanitate, et quo puriorem prae fe ferunt imaginem priscae fimplicitatis et innocentiae. Quantopere etiam hoc est in iliaco carmine gravitati epicae contrarium, quod quamvis Achillis atque Agamemnonis ira, unde omnis actio repetitur, tam levem et fortuitam caussam habeat, nihilominus tamen tantas in exercitu graecorum clades excitet? Quis quaeso tulerit reges et heroas de muliercula altercantes, et alternis invicem conviciis et opprobriis fese proscindentes; aut quis non offendatur, rixas illas erumpere in gravissimas inimicitias, litemque privatam eo valere, ut publica falus et universi exercitus fortuna in fummum discrimen adigatur? Quis talia lectitans fibi temperet exclamare cum Virgilio:

Tantaene animis coelestibus irae?

Aut illud Horatianum repetere;

Quando delirant reges, plectuntur Achivi!

Si denique *fontes* actionis in utroque poëmate componimus, ex his etiam intelligemus, Odysseam multo majorem habere gravitatem, fublimitatemque, et ad commovendum atque trahendum animum efficaciam.

Cum videlicet inter omnes Criticos exploratum fi[t] carmen epicum, qualecunque illius argumentum fuerit; n[un]quaquam carere posse eo, quod *mirabile* dicitur; hoc a[...]

tem optime effici, quando res, quae geritur, causam habeat aliquam superiorem, in ordine naturalium causarum non contentam, id est, si sub auspiciis divinis geratur, et ab occulka quadam fati necessitate pendeat; facile etiam perspicitur, unumquodque poëma eo augustius futurum, eoque magis legentium animos retenturum, quo magis etiam primariae actionis initia ad eandem hanc epici carminis legem revocata fiat. Ita vero potissimum se res habet in Odyssea, in qua primus universae actionis fons ponitur in arbitrio Jovis, quo Ulyssi reditum paranti in patriam varii generis adversitates decernuntur, deinceps vero etiam in ira et vindicta Neptuni adversus Ulyssem, qui inter Cyclopas delatus, filium hujus Dei Polyphemum, ut cum sociis sospes evaderet, excaecaverat. (v. Odyss. I., v. 68 — 71.) Multo igitur grandius ex hac quoque causa argumentum Odysseae videtur Iliados argumento, quod actio Odysseae primum habeat autorem Deum et ex ira divina derivetur; Iliadis contra actio solummodo ex iracundia primarii Herois fortuito quodam casu nata originem trahat. Quamvis enim in carmine iliaco plurima quoque gerantur nutu atque auspiciis immortalium Deorum, lis tamen illa funestissima, quae primus est actionis epicae fons in Iliade, sic ab Homero exponitur, ut voluntate vel auguriis Deum plane non regi videatur. Ita vero fit, ut, quum in Odyssea res gestae causis, quibus producuntur, prorsus videantur pares et congruae, in Iliade contrarium appareat, funestique casus, qui ex nota illa lite Achillis consequuntur, cum fortuita hac causa minus videantur congruere, latiusque patere, quam ab hujusmodi lite expectari poterat.

Quid vero praeterea, e characteribus aut notationibus personarum, quae in utroque carmine primas partes agunt, inferri possit ad adstruendam propriam vim atque gravitatem Odysseae; id quidem collatis inter se characteribus Ulyssis atque Achillis, uti ab Homero notantur, ulterius persequi tempus et ratio praesentis scriptionis vetat. Hanc igitur comparationem characterum Ulyssis atque Achillis reliquarumque praecipuarum utriusque carminis personarum, tum reliqua etiam, quae ad comprobandam Odysseae praestantiam de *dispositione* et *dictione* utriusque carminis, denique de *morali Odysseae indole*, hujusque carminis opportunitate ad conformandos mores, ad acuendum veri pulchrique sensum virtutemque commendandam moneri debebant, ea omnia nunc, quamvis ad declarandam Odysseae praestantiam admodum gravia, brevitatis studio intacta relinquimus; sanctioribus pietatis officiis erga *Serenissimum Conditorem* et *Rectorem* Academiae nostrae *Magnificentissimum* satisfacturi.

Colligamus itaque, Cives et Commilitones honoratissimi! animos nostros ad hanc solemnitatem, quam Vobis hac academica scriptione indicimus, et ad ea studia, quae, uti semper, ita nunc maxime a nobis omnibus exiguntur. Celebramus Natalem *Serenissimi Principis* nostri divina providentia sexagies quinquies jam reducem factum; recolimus insuper memoriam Academiae nostrae, diplomate caesareo inter publicas literarum universitates relatae, et eodem hoc festo die piis cerimoniis consecratae, atque augusto Principis nomine insignitae. Quis autem dies carior

nobis et acceptior esse poterit, quam ille, quo, dum nativitatem *Principis Clementissimi*, natalemque Academiae Suae recolimus, memoriam simul beneficiorum omnium, quae a munificentia Caroli in Academiam nostram indefessis studiis hactenus collata sunt, pia mente revolvimus. Indigni sane essemus his ab *Optimo Principe* in nosmet omnes collatis beneficiis, nisi eorum nunc imprimis gratissima mente reminisceremur, nisi adjumenta et praesidia illa, quae à Carolo ad ornandas et augendas cujuscunque generis scientias in hac Academia parata sunt, animo et meditatione complecteremur, nisi denique de uberrimis fructibus, qui ex hac sapientiae schola tum ad universam Patriam, tum ad exteras et remotas etiam regiones jam dudum redundavere et adhuc redundant, sincero et intimo animi adfectu laetaremur. His itaque piis sensibus palam quoque testificandis destinatus est cultus sacer, in ipso die Natali *Principis* hora antemeridiana decima habendus, in quo conjunctis precibus non solum pro inconcussa *Principis Clementissimi* valetudine, sed pro sempiterno etiam flore et incremento Academiae Carolinae vota nuncupabimus ardentissima, flagrantissima. Hunc vero publicum cultum divinum coronidis loco excipiet academica solemnitas in Auditorio majori peragenda. Ad hanc panegyrin more academico celebrandam constitutus est publicae laetitiae Interpres atque Orator Vir *Consultissimus* atque *Excellentissimus*, *Wilhelm. Frideric. Danz*, *J. U. Doctor et Professor in Alma Carolina P. O. Amplissimae Facultatis Juridicae h. t. Decanus*, qui de materia ex Jure publico desumta, vi-

delicet *de virtutibus atque vitiis Constitutionis germanicae* orationem publicam habebit vernaculo sermone recitandam. Quem Actum oratorium hora undecima antemeridiana celebrandum ut omnes Amici, Fautores ac Patroni Academiae nostrae, omnesque, qui literis nostris bene cupiunt, praesentia sua ornare ac illustrare velint, decenter, officiose, obsequiose rogamus.

VIII.

ANALYSIS LOGICA DIALOGI PLATONIS, QUI INSCRIBITUR MENO. PROGR. GYMN. 1792 — 1793.

Sistimus Vobis, LL. BB. trigam adolescentum, qui absoluto cursu gymnastico ad academica fubsellia transituri more apud nos consueto eodemque pio publica oratione valedicent, atque ita fua fe religione Proceribus ac Praeceptoribus hujus Gymnasii debita gratissima mente liberabunt.

Cum vero annua haec folemnitas publico fcripto indicenda fit, congruum nobis visum fuit fcholastico praesentis fcriptionis consilio, in *Platonis Dialogum*, qui inscribitur Meno, dialogum cum attici falis, et fuavissimae ironiae, tum acutissimae fubtilitatis dialecticae plenissimum commentari, exemplo aliquo commonstraturi, quo pacto legi debeant et explicari tironibus philosophorum

veterum fcripta, ut non folum, quae lecta funt, quantum fieri poteſt, tirones intelligant, fed ut audeant etiam, ulterius fapere, paulatimque discant de lectis ipsi ftatuere, fuumque exercere judicium. Platonis vero libros methodo erotematica conscriptos inprimis esse adolescentibus commendandos ad intellectum acuendum, judiciique vim expoliendam nostra potissimum aetate demonstraverunt Viri in re paedagogica perspicacissimi, ejusdemque rei experimentum etiam fecit felicissimum Cl. Engel in libro, qui inscribitur, Versuch, die Vernunftlehre aus Platonischen Dialogen zu entwickeln, quo in libro bellus hic et fubtilis Philosophus, quem nostrae aetatis Platonem recte dixeris, universa Logices praecepta ex Menone analyticae methodi ope facili lucidoque ordine derivavit. Nobis quidem arctiori limite circumscriptis fufficiet, omissis, quae ad illustrandum hunc Dialogum adspergi poterant, philologicis aut aestheticis observationibus argumentum feriemque Dialogi ob oculos ponere, regulas, quas continet, logicas fpeciales adjunctis quibusdam notionibus communibus ad inquirendam veritatem fpectantibus breviter exhibere, inprimis autem ratiocinia, demonstrationes et conclusiones Dialogi, quae utut ex proposito, fallaciis fubinde et petitionibus principii nituntur, fub examen revocare, et fophismata illa resolvere, ne falsa argumentorum fpecie callidaque eorum ftructura capi fe patiantur tirones.

Argumentum Dialogi versatur circa quaestionem, a Menone Socrati propositam, *utrum virtus doceri possit*, et in hac quaestione folvenda occupatur. Persequitur autem Dialogus quaestionem hanc ita, ut rationem potissimum at-

que methodum ostendat, qua ad folutionem propositae quaestionis perveniri queat. Patet hinc, Dialogum pertinere ad institutionem *logicam*, et, si quem alium, hunc certe accommodatissimum esse, regulis logicis exinde eruendis.

Jam cum in quavis quaestione investiganda primum necesse sit, statum quaestionis, ut ajunt, formare, hoc est, notiones problemate contentas definire, Socrates etiam a Menone interrogatus sic orditur, ut ostendat, non posse responderi ad propositam quaestionem, nisi antea de *notione virtutis* constiterit. Simulans autem, sibi ipsi non satis constare de hac notione, Menonem rogat, ut, quidnam virtus sit, aperiat. Is, quum haud cunctanter, aliam esse viri, aliam feminae, aliam juvenis, aliam senis, aliam ingenui, aliam servi virtutem, respondisset, hoc non esse, quod quaesitum fuerat, edocetur a Socrate; non enim virtutum *species* recensendas, sed ipsum *genus*, sub quo illae species comprehendantur, definiendum, i. e. conceptum virtutis genericum, qui ex rei essentia repetatur, esse constituendum. Jam ex hoc Dialogi limine regulae quaedam ad omnem cujuscunque rei investigationem perquam utiles et necessariae fluunt; scilicet, ordiendum esse a rectis rerum definitionibus, rectas autem tales esse, quae non accidentales definiti notas, sed illius essentiam exprimant, aut quae id significent, in quo omnes definiti species consentiant. Porro etiam hinc intelligi posse existimamus, quam necesse sit ad consequendam tum ampliorem tum certiorem rerum scientiam, si semper studeamus, ad communes s. generales rerum notiones ascendere, in quibus formandis natura at-

que vis intellectus humani praecipue cernitur. — Inquirenti igitur Menoni, quid in universum virtus sit, dicentique, eam esse facultatem hominibus imperandi, demonstrat Socrates, hanc definitionem respectu *extensionis* nimis *angustam* esse, quoniam v. c. non possit adplicari ad infantes et servos, quorum virtus certe non posita sit in imperando, sed in obsequio potius, quod illi sit contrarium; respectu *comprehensionis* autem eandem definitionem esse justo *latiorem*, quoniam imperium in se spectatum justum esse possit, et injustum, imperium vero injustum omnem excludat virtutis notionem. Quod quum concessisset Meno, annuissetque, adjiciendam esse definitioni suae hanc notam *juste* imperandi, Socrates, hac correctione nihil effici, docet, neque ita perveniri ad notionem virtutis communem, quia praeter Justitiam plures aliae sint virtutes, aut virtutum species huic definitioni non inclusae. Concipi quippe hac ratione notionem *politicae virtutis* universalem, non autem ejus, quae sit hominibus in genere spectatis propria, aut quae ad omnes pertineat hominum classes atque ordines. Respondenti ad haec Menoni, nescire se, quid sibi velit notio illa virtutum omnium communis, Socrates, similitudine a figura (χήματι) et colore (χρώματι) desumta, rem clarius exponit; perinde enim esse, ac si quis quaerat de idea figurae aut coloris. Male nimirum responsurum, qui dixerit, figuram esse rotunditatem aut quadraturam, aut albedinem esse colorem; non enim quaeri de differentia figurae aut coloris specifica, sed, cum plures sint figurae et colores, id esse indigitandum, in quo omnes figurae sive colores conveniant. Heic Meno occasionem eva-

dendi, aut Socratem capiendi nactum se ratus, ab eo, ut figuram definiat, petit, cui ille ea lege, ut deinde virtutem quoque definiat, respondet, figuram id esse, quod colorem semper comitetur. *) Hanc definitionem quum tanquam subobscuram redarguisset Meno, Socrates aliam ejusdem rei molitur definitionem, figuram nempe *solidi* esse *terminum*, cui Meno assentitur. Facile adparet, Socratem in hac justa atque genuina figurae definitione, quatenus superficies sub solido jam continetur, perspicuitati, quam Meno desideraverat, praecipue consuluisse, atque id egisse, ut ad explicandam rem nonnisi *cognitis* et *perspicuis* notis uteretur; sic, ut haec posterior figurae definitio exemplum exhibeat definitionis numeris omnibus absolutae, tum

*) Cl. Biester in editione et Gedike in versione hujus Dialogi monuerunt, vulgarem lectionem hujus loci *χρώματι ἀεὶ ἑπόμενον*, mutandam esse in *σώματι* κ. ἑ. eamque sine dubio natam esse vitio librarii, putantis, sequentem definitionem coloris huic definitioni esse subordinatam, quae tamen mere sit coordinata. Nobis aliter videtur. Quamvis enim haud negemus, hanc definitionem figurae a Socrate primum prolatam vitiosam esse, Socratemque manifestum commisisse *circulum in definiendo*, dum hoc loco figuram dicat id, quod colorem semper sequatur, colorem autem postmodum ex mente Gorgiae definiat ita, ut dicat, illum esse effluvium figurarum visui congruum; nihil tamen impedit, quo minus id a Socrate *ex industria* factum esse statuamus, ut Menoni nimium sibi confidenti insidias struat, quibus etiam irretiri se facile passus est. Dum enim Meno his definitionibus assentit, eo ipso Dialectices imperitum se prodit: Verum quidem est, figuram colori semper esse conjunctam, nullamque absque figura colorem cerni; sed falsum, soli colori semper adhaerere figuram, cum absque colore cogitari figura possit.

veritate tum *brevitate* et *perspicuitate* sese commendantis. Quippe cum definiendi ratio tendat ad ulteriorem rei nondum satis perspectae illustrationem, per se patet, inter definiendi regulas hanc non esse ultimam, ut definiti notae sint cognitae, perspicuae nec obscuriores ipso definito.

Pergamus jam ad sequentem coloris definitionem a Socrate prolatam. Etsi enim Menoni jam esset satisfactum superiori, quam acceperat, figurae definitione, repetitur tamen ab eo altera quaestio, quid sit color? cui Socrates ex Empedoclis et Gorgiae, qui Menonis praeceptor fuerat, respondet sententia, ita maxime assensurum sibi Menonem ratus. Hi quippe Philosophi natura atque indole *sensationum* nondum satis perspecta originem earum ab *effluviis corporum in organa sensoria* repetebant, et propterea sensationes simulacra rerum (εἴδωλα) appellare consueverant. Statuebant itaque isti Philosophi cum Democrito, e corporibus cunctis subtilissimas semper particulas effluere; esse praeterea in corporibus eorumque partibus *meatus* (πόρους), quos ingrediantur haec particulae; sed non ejusdem omnes figurae et magnitudinis, nec particulas illas eadem omnes figura et magnitudine esse praeditas. Quaecunque ergo particulae, per figuram, penetrare oculorum meatus queant, has cerni, sensumque coloris in anima efficere. Huic igitur sententiae accommodatam Socrates profert coloris definitionem; quippe illum esse effluvium figurarum oculorum meatibus congruentem. Quam cum vehementer adprobasset Meno, Socrates, omisso definitionis examine id tandum monet, sibi aliter videri, satis tamen intelligere se, cur placeat tantopere Menoni illa

definitio, quia videlicet, cum reliquis ejus notionibus cohaereat, et quoniam ad eandem normam reliquas etiam sensationes, v. c. sonos, odores facilius explicare valeat. Nobis quidem haud multo acumine opus est, ad vitia hujus definitionis detegenda. Primum enim *falsam* esse, exinde patet, quoniam in ea forma sensationum nostrarum confunditur cum qualitatibus rerum perceptarum objectivis. Cum enim perceptiones sensuales nihil aliud esse queant, quam *relationes* externarum rerum sensibus nostris accommodatae, simul hinc efficitur, colores, sonos, cet. non esse qualitates rebus ipsis inhaerentes, adeoque ad res ipsas perperam transferri. Deinde etiam haec coloris definitio logice spectata obscuritatis vitio laborat, quia per eam neque id, quod colori prae aliis rebus sensu perceptis proprium est, cognoscitur, neque etiam colorum diversitas explicatur.

Cum enim ex hac hypothesi soni odores pariter sint effluvia figurarum auribus, et naribus congrua, hac definitione coloris nihil determinatur, quo variae sensationes inter se discerni possint; neque etiam ratio sufficiens de diversis colorum phaenomenis ex hac definitione potest reddi. Aut enim effluvia, quae colorum phaenomena gignunt, oculorum meatibus congruunt, aut non; si posterius, plane non generatur coloris phaenomenon; si prius, nulla adest ratio, cur hujus, non alius cujusdam coloris phaenomenon sistatur, quoniam ex hypothesi uniuscujusque coloris phaenomenon sequi debeat ex ista effluviorum congruentia.

His absolutis, novam ex pacto virtutis definitionem

profert Meno; quam vero, cum eodem modo peccare, uti priorem, neque ita unquam ad generalem virtutis ideam perveniri posse Socrates demonstrasset, perturbatus Meno, omnem inveniendae virtutis genericae fpem abjicit, Socratique exprobrat, quod hunc fibi torporem injecerit. At ille, femper nescium fe fimulans, nihilominus tamen iterum quaesiturum cum eo pollicetur. Ad haec Meno, ut Socratem identidem perturbaret, admodum captioso adversus eum utitur argumento, a Sophistis tunc temporis frequentato: qui, inquit, quod nescire te affirmas, quaeres? potestne quisquam, quod, quale fit, ignorat, quaerere? quodsi casu inveneris, qua ratione, an fit, quod quaerebas, agnosces, cum nescium te ejus fatearis? Quod quis novit, nemo quaerit, quod autem ignorat, quaerere prorsus nequit, cum, quid quaerat, nesciat. Jam in dissolvenda hac objectione fophistica magna eademque pulcherrima pars hujus Dialogi occupatur. Quamvis autem responsio, quae nunc a Socrate aut a Platone potius ad confutandum Menonis λόγ ν ἀργὸν profertur, minime fustineat rigorosum examen logicum, ingeniose tamen et fubtiliter excogitatam esse nemo inficias iverit. Desumitur quippe responsio a *fictione philosophica*, omnem fcientiam nihil aliud esse, quam ἀνάμνησιν s. reminiscentiam, aut praeteritorum recordationem; ad hanc vero fententiam, quae ex observatione methodi focraticae fine dubio nata erat, tuendam, Plato in auxilium adhibet more fibi perquam familiari dogma ex disciplina mythica desumtum de immortalitate et regeneratione animarum in hanc Vitam. Hac igitur argumentatione ad resolvendam Menonis ob-

jectionem utitur Socrates, ut ex immortalitate et regeneratione crebra animarum in hanc vitam, quae divinorum Vatum testimonio comprobata sit, evincere studeat, animos omnium rerum tum in hac tum in altera vita possidere scientiam; adeoque, si quid ignoti quaerant, id non nescire, sed in memoriam tantummodo revocare. Utque de hac sententia eo magis persuadeat Menoni, servum illius geometriae prorsus imperitum advocat, atque ex eo solutionem problematis duplicandi quadrati meris quaestionibus elicit, quo quidem Dialogi episodio nihil potest fingi pulchrius, et quod divinum Platonis ingenium magis illustrare valeat. Minime tamen id, quod Socrates vult, inde efficitur, scientiam quippe nonnisi recordationem esse rerum in praeterita vita perceptarum, cum inter ignorantiam et scientiam tertium intersit, videlicet facultas ex cognitis incognita eruendi. Animo enim humano vis quaedam est insita, cujus ope relationes rerum percipit. Hae vero relationes in conceptibus mentis jam latent, attentionisque et abstractionis ope eliciuntur. Atque ita facilis etiam est responsio ad illam conclusionem, qua ignota quaeri a nobis non posse asseritur. Quae ignoramus penitus, quaeri quidem nullo modo possunt; sed si qua a nobis quaeruntur, non sunt ea prorsus ignota, cum quaesita semper lateant in earum rerum notionibus, unde sunt elicienda. Ea enim est omnis quaestionis indoles, ut signa quaesiti jam exhibeat, mentem in illius vestigia deducat, et, unde agnosci quaesitum possit, notas ministret. Denique, quod ad universam hanc Socratis argumentationem attinet, attentus lector, neglectis etiam, quae tum contra hanc reminiscen-

tiam, tum contra illam animarum ex vita in vitam migrationem proferri possent, rationibus, mox intelliget, nisi eam manifesta petitione principii, seu circulo in demonstrando, adeoque logicis regulis e diametro adversari. Quum enim Socrates primum ab immortalitate animae, quae saepius renascatur, conclusisset ad istam ἀνάμνησιν, deinceps ab eadem hac ἀναμνήσει concludit ad immortalitatem animae, atque ita manifestum committit *circulum logicum*. Ceterum hanc quoque vitiosam argumentationem studiose Menonis vexandi causa prolatam fuisse a Socrate, satis innuit Dialogus, quandoquidem Socrates Menoni huic argumentationi ex animo adstipulanti respondet his verbis: „Equidem pro hac argumentatione haud admodum pugnaverim. Pro eo autem (sequuntur verba cuivis literarum studioso maxime commendanda) toto animo pugnaverim, meliores nos fore, et arrectiores et ad investigandum minus pigros, si quae nescimus, quaerenda esse arbitremur, quam si, quae nescimus, quaeri nequaquam posse, adeoque superfluam et inutilem esse investigationem, in animum inducamus.“

Haec de priori parte Dialogi, quae experimentis ad constituendam virtutis notionem quamvis frustra institutis primariam quaestionem quasi praeparat, *monita logica* sufficiant. Ad alteram partem, quae in solvenda quaestione, utrum virtus doceri queat, occupatur, alio, quod dabitur, tempore commentabimur.

Continuatio prioris materiae.

In publica et communi laetitia, qua redeunte *Serenissimi Ducis* die natali omnis patria perfunditur, haud ultimas Gymnasium nostrum sibi semper vindicat partes. Quo id jure faciat, neminem latere potest; quicunque secum reputaverit, quantum bonae litterae, quantum bonarum artium atque literarum officinae debeant *Optimi Principis* paternae atque constanti curae ac sollicitudini. Nec certe quisquam inter nostrates invenietur tam inhumanus, tamque ab ingenuo patriae amore, atque a civili sensu bonorum, quibus Wirtembergia prae aliis terris fruitur, alienus, ut, cum sciat, magnam publicae salutis partem literarum flore contineri, hoc non intelligat atque persentiscat, patriae salutem publicam privatamque omnium hominum atque ordinum felicitatem cum salute *Principis* indivulso nexu conjunctam esse atque copulatam. Iam, quum mihi hoc anno contigerit esse tam felici, ut Gymnasii nomine vota pro salute *Principis Clementissimi* nuncuparem publica, reverentiamque, pietatem et gratias Carolo debitas solemni oratione testarer, in indicenda hac festivitate opportunitatem mihi oblatam esse putavi, ut promisso nuper dato me liberarem, et auditorum gymnasticorum praecipua ratione habita *analysin logicam* in *Dialogum platonicum Menonis nomine inscriptum*, quantum paginarum brevitas permittit, persequerer.

Orditur quippe altera pars dialogi, quae circa inquirendam et solvendam quaestionem, utrum doceri virtus queat, proprie versatur, ab *hypothesi*, cui tanquam fundamento reliquam omnem argumentationem Socrates su-

perstruit. Cum enim in priori parte frustra fuisset quaesitum de natura atque indole, sive de generali notione virtutis, Socrates autem monuisset, non posse de unaquaque re *qualis* ea sit, determinari, si, *quid* sit, nesciatur, facile jam Menoni persuadet, ad investigandam atque solvendam quaestionem principalem more geometrarum hypothesin in auxilium esse adhibendam, simulque quid hypothesin vocet, exemplo e geometria desumto illustrat *).

---

*) Locum hunc in textu graeco obscurum esse atque impeditum omnes Platonis interpretes uno ore confitentur. Quapropter etiam plurimi ad sanandum locum correctionem textus adhibendam esse arbitrati sunt. Tentavit ejusmodi correctionem Cl. *Gedike* in versione hujus Dialogi germanica, quam *Biesterus* etiam in editione latina Dialogi repetiit; neque tamen ipse sibi satisfacit in explicatione loci, quae correctione tentata nititur. Aliam loci hujus vexati interpretationem absque mutatione textus, quae legitur in recentissima editione Biesteriana hujus Dialogi, Berol. 1790 molitus est Celeb. *Michelsen*, Math. Prof. Berol. Liceat mihi hac occasione novam adjicere explicationem vulgatae lectioni pariter accommodatam, quam nuper mecum communicavit Cl. Dn. Profess. *Moll* Vir et graecarum literarum et mathematum scientissimus. Is videlicet locum difficilem ita vertit: „Hypothesin autem hanc voco: quemadmodum geometrae facere solent: si quis eos interrogaverit, ex. gr. de figura, utrum dato circulo datum triangulum, possit includi, atque illi respondent, nondum se scire, an hoc fieri possit; sed censere, hypothesin talem „conducere ad solutionem problematis: Si figura fuerit talis, „ut triangulum, quod super data linea dato triangulo aequale „construitur, a dato triangulo proportionaliter tantundem differat, quantum circulus aequaliter constructo triangulo „circumductus differt a circulo dato, aliud quiddam even-

His praemissis Socrates sequenti utitur argumentatione hypothetica: Si virtus aliquid est ad animam relatum, necesse est, ut aut doceri queat, aut nequeat. Primum si aliud quid est quam scientia, doceri certe nequit, si vero est scientia, certe doceri poterit; quicquid enim scientia constat, id potest doceri, et quicquid doceri nequit, id nec esse potest scientia, et vicissim. Hanc argumentandi rationem, licet a Menone probatam, insidiosam tamen reperiri et fallacem, si logico examini subjiciatur, facile ostenditur. Prima enim propositio, si quidem accipiatur *sensu composito*, vera est; at si sumatur *sensu diviso*, prorsus est falsa. Falsitas illius statim apparebit, si argumentatio rite resolvatur, eaque, quae a Socrate neglecta, vel subdole potius omissa sunt, suppleantur. Rite enim

---

„turum puto et aliud item, si contra fuerit:" h. e. tum possibile erit datum triangulum expandi in circulum datum, altero casu non erit possibile. Sit enim circulus datus C, datum triangulum T, data linea AB, triangulum super hac linea aequaliter constructum t, circulus huic aequali triangulo circumductus c:

Erit formula haec: T — t: C — c = T: C = t: c Aut: Si differentia a T ad t in eadem est ratione, in qua differentia a C est ad c, tum T se habet ad C, uti t ad c, h. e.

constituta argumentatio ita debebat procedere: Si virtus aliquid est ad animum relatum, tum refertur aut ad *intellectum*, aut ad *voluntatem*, aut ad *utrumque*; si prius, virtus omnino potest doceri, quatenus ad intellectum relata est *scientia boni*, quam doctrina consequimur; si alterum, videlicet si pertinet ad voluntatem, tum doceri non potest, quatenus nempe ad voluntatem relata est *habitus practicus*, qui non doctrina sed exercitio comparatur, aut *nisus recte agendi*, non ab intellectu, sed a voluntate pendens, quae quidem flecti et moveri potest, non vero doceri; si tertium, tum *ex parte* quidem scil. quoad intellectum doceri potest, *ex parte* scil. quoad voluntatem nequit.

Virtutis autem plenam atque genuinam notionem scientia boni, uti Socrates ex hypothesi assumit, minime absolvi, neque eam ad solam intelligendi, neque ad solam volendi facultatem, sed ad utramque potius pertinere, ita est evidens, ut demonstratione vix egeat. Virtutem quippe scientia recti bonique non unice contineri, exinde patet, quod quamvis virtus sine scientia consistere nequeat, ex mera tamen cognitione boni rectique nondum necessario sequatur virtutis exercitium. Tritum est atque tristi uniuscujusque experientia comprobatum dictum:

> Video meliora, proboque
> Deteriora sequor:

---

eo casu datum triangulum T expandi poterit in circulum datum C. Ceterum de pretio hujus explicationis, quae non modo sensum rei convenienter gignit, sed cum verbis etiam fontis bene conspirat, judicium sit penes Mathematicos.

et saepissime accidit, ut illi, qui boni rectique scientia sunt instructissimi, actiones suas liberas ad hanc scientiam minime conforment. Quapropter certa quadam ratione neque his virtutem assignamus, qui scientiam quidem recti bonique possident, sed actiones non ad illam componunt, neque his, qui caeco quodam et naturali bonae mentis instinctu agitati, non ex dictamine rationis et ex libero animi obsequio erga legem moralem et rationis imperium honestatem sequuntur, neque his, qui singulas quidem bonas actiones edunt, quamvis habitum recte legique morali convenienter agendi nondum induerunt, nec denique illis qui virtutem quidem exercent, at in virtutis exercitio non autoritate legis moralis ab ipsa ratione praescriptae, sed suae felicitatis studio ducuntur. Ex adversa parte eos demum genuina virtute praeditos esse existimamus, qui cum scientia virtutis constans illius exercitium conjungunt, omnes actiones ad praecepta rationis componunt, omnes voluntatis inclinationes rationis dictamini subjiciunt, legique morali nulla suae felicitatis aut voluptatis ratione habita ita obtemperant, ut eam, quantum humana patitur imbecillitas, unicam agendi normam sibi constituant. Ex his, quae hactenus de indole virtutis disputata sunt, facile apparet, Socratis hypothesin, a qua omnis reliqua argumentatio proficiscitur; „si virtus est scientia, doceri potest, si „non est scientia, doceri nequit" non absolute, sed sub hac tantummodo *limitatione*, *quatenus* est scientia, *quatenus* non est scientia veram esse.

Cum vero Menon hanc Socratis hypothesin absque omni limitatione concessisset, Socrates statim accingitur

ad investigationem, utrum virtus sit scientia, an aliquid a scientia diversum, atque ut Menoni primum probet, virtutem esse scientiam, tali utitur demonstratione. Virtus omnis est bona, adeoque etiam utilis; jam quaecunque nobis utilitatem veram afferunt et constantem, a prudentia s. scientia φρονήσει, hoc consequuntur; omnia namque externa bona, divitiae, pulchritudo, et reliqua ex genere eorum, quae nobis utilia sunt, nocere etiam, perperam adhibita possunt, quo etiam animi bona, fortitudo quippe, temperantia, quaeque sunt in animo praeclara, pertinent, ut quae a ratione et scientia sejuncta saepius nocent, adhibita vero cum ratione et prudentia utilitatem nobis mansuram adferunt; ex quo consequitur, virtutem scientia maxime effici.

Haec Socratis argumentatio ad formam logicam redacta, continetur hoc ratiocinio:

Omne, quod bonum est, atque utile, scientia comprehenditur,

Omnis virtus bona est atque utilis,

E. omnis virtus comprehenditur scientia.

Potest etiam ita resolvi in duos Syllogismos;

I.

Quodcunque bonum per se prodesse et nocere potest, id recto demum usu fit utile,

A. omnia bona animi et corporis per se prodesse et nocere possunt,

E. recto demum usu fiunt utilia.

2.

Quicquid rectum bonorum usum efficit, est fcientia.
A. Virtus rectum bonorum usum efficit,
E. Virtus est fcientia.

Quamvis haec argumentatio fi formam logicam fpectemus, haud vitiosa fit, tamen *in materia* illam peccare, facile ostenditur. Nititur quippe *aequivocatione*, quae latet in voce fcientiae ἐπιστήμης, quam Socrates folertibus verborum insidiis ad Menonem capiendum ftructis confundit cum φρονήσει f. fapientia, aut prudentia. Licet enim concedamus, virtutem consistere in recto usu bonorum animi atque corporis, ad rectum autem eorum usum necessario requiri fcientiam, exinde tamen haud conficitur, omnem virtutis ambitum contineri fcientia, quoniam ad virtutem non fufficit, ut, quod *scientiae* est, bonis illis recte uti *scias* atque possis, fed, quod ad *sapientiam* φρόνησιν pertinet, ut *velis*. Haec enim inter fe ita differunt, ut fapientia quidem a fcientia nunquam abesse, haec autem ab illa prorsus fejuncta esse possit. Ad hanc distinctionem minus attendenti Menoni cum facile persuasisset Socrates, virtutem fcientia atque adeo doctrina constare, et praeterea ab ipso impetrasset, ut et hoc tanquam consectareum concederet, virtutem, fi fcientia fit, et doctrinae beneficium, homini *natura* contingere *non* posse; jam, ut omnem explicandae virtutis modum eriperet Menoni, argumentationi hactenus usurpatae callide diffisus in oppositam ftatim partem transit, ut Menoni virtutem doceri non posse comprobet. Praecipuam hanc esse venu-

statem Dialogorum platonicorum non possum non hoc loco monere, quod in illis nodus, uti in Dramate pulcro, quandoquidem solutioni proximus videatur, denuo praeter expectationem implicetur. Cum enim Menon parum intellexisset sententiam, qua virtutem natura *atque* scientia comparari asseritur, adeo non esse repugnantem, ut potius *utroque* et recta indole et scientia ad efficiendam virtutem opus sit, Socrates jam ad conturbandum Menonem sibi ipse in tuenda sententia contraria, virtutem doceri non posse, videtur placere. In defendenda hac sententia admodum quidem levi argumentatione utitur, sed ad irrisionem Sophistarum, ad notationem malorum sui temporis morum, et ad redarguendam ipsius Menonis, qui virtutem verbis jactare, quam factis exprimere malebat, vanitatem eo pulchrius composita *). Summa vero istius argumentationis, quae ex illis, quae jam monita sunt, facile refutatur, huc redit. Cujus rei, inquit Socrates nulli sunt magistri, ea doceri sine dubio nequit: esse autem nullos virtutis magistros, apparet vel inde, quod Sophistae, quorum haec est professio, juvenes ad virtutem formare, illos potius corrumpunt; quod, quicunque Athenis fuere viri illustres magnisque virtutibus praediti, Themistocles, Aristides atque alii filios in rebus minoris momenti excellentes, nec malae indolis, licet nulli rei parcerent, ad paternam tamen virtutem formare non potuerunt; quod de-

*) Ex variis apud Xenophontem locis apparet, Menonem hunc, quocum Socrates in Dialogo colloquitur, hominem fuisse vanum, levem, ambitiosum, et ad libidines propensum.

nique nonnulli ſapientia clari, veluti Gorgias et Theognis ſecum ipsi pugnant, modo doceri posse virtutem affirmantes, modo idem negantes. Quam argumentationem cum recte ſe habere Meno ſine ulla oppositi formidine concessisset, edocetur jam a Socrate, originem virtutis, cum illa ex concessis nec natura (φύσει) nec ſcientia ſ. prudentia (ἐπιςήμη, φρονήσει) hominibus contingat, aliter explicari non posse, nisi cum statuatur, eam divinitus nasci, aut *divino* quodam *fato* (θεία μοίρα) ad homines pervenire. Ad hanc autem conclusionem Socrates, aut Plato potius, (namque in hac ultima Dialogi parte Platonem potius, quam Socratem loqui, equidem mihi vehementer persuadeo) hac Menonem via deducit: Recte quidem, ait ille Socrates platonicus, ſupra concessimus, homines nonnisi cum virtute utiles fore, et negotiis recte gerendis pares; at in eo erravimus, quod *scientiae solius* ope vitae rationem rite institui posse posuimus. *Vera* enim *opinio* (ὀρθὴ δόξα) idem, quod ſcientia praestat. Quemadmodum, qui certa cognitione viam, quae Larissam ducit, haud novit, vera tamen eam conjectura assequitur, haud minus est itineris dux bonus, quam qui certissime eam novit; ita in rebus omnibus opinio vera non minus, quam ſcientia ad rectam vitae administrationem ſ. virtutem ſufficit. Differunt quidem vera opinio (ἀληθὴς δόξα) et ſcientia (ἐπιςήμη) eo, quod illa veluti ſtatua Daedalica *) nisi alligata fuerit,

*) Elegantem atque peracutam esse hanc comparationem verarum opinionum cum statuis Daedaleis, quas licet pro initio artis admodum imperfectas fabulosa tamen traditio ex antiquitatis reverentia mobiles s. αὐτομάτας finxerat, quis

facile ex animo abeat, haec animo infixa firmisque rationibus quasi alligata, nunquam deseratur, et omne errandi periculum excludat; quo ipso fcientia praestat opinioni licet verissimae, attamen, quam diu in animo *manet* vera opinio, eandem quam fcientia praestat utilitatem. Virtutem igitur, cum nec natura existat, nec quia doceri nequit, fcientia constet, vera tantum opinione niti necesse est, eodemque prorsus modo hominibus contingere, quo Vates fiunt, atque a Deo *inspirantur* nonnulli, qui vera et magna quidem loquuntur et faciunt, absque tamen fcientia, vel distincta dictorum factorumve cognitione. — In hac argumentatione cum Dialogus desinat, tum ex hoc, tum ex principiis, quibus universa nititur philosophia platonica, fatis evincitur, Platoni hoc vere persuasum fuisse, originem virtutis esse *supernaturalem*, et afflatu quodam divino f. inspiratione in animis hominum produci. Ulterius jam prosequi possem, quam intime haec fententia de divina origine virtutis cohaereat cum placitis philosophiae platonicae, inprimis cum doctrina platonica de ideis in intellectu divino fubsistentibus, tanquam omnium rerum principiis, mundoque tum fpirituali tum materiali a Deo impressis, nisi ea res copiosiorem desideraret expositionem, et ab angustia et a consilio hujus prolusionis logico alienam. Sufficiat itaque breviter monuisse, argumentationem hanc propterea non admitti posse, quod in ea male fupponatur, et virtutem natura

non videt? Ceterum unde fluxerit haec opinio haud satis constat, nisi forte derivanda est ex homerica illa fictione de statuis Vulcani mobilibus et ambulantibus, quarum in Iliade atque Odyssea passim fit mentio.

haud posse existere, et virtutem non esse scientiam, quia doceri nequeat. Priorem quidem propositionem non *omni* sensu veram esse, exinde patet, quod virtus tanquam habitus practicus libero rationis exercitio comparatus cogitari nequeat sine naturali sensu boni rectique homini connato. Qua ratione autem altera propositio debeat limitari, supra jam diximus. Neque etiam recte concluditur, quod nequit omnibus tradi, id non est scientia, cum non omnes doceri omnem scientiam queant. Si autem, quod Socrates platonico more loquens assumit, verum quoque sit, virtutem ex opinionibus veris nasci, quae ex systemate platonico nihil aliud esse possunt quam perceptiones obscurae, in anima delitescentes, quas in pristino statu, antequam cum materia jungeretur, clariores habuit, id non necessario infert *immediatam Dei operationem*, cum illa opinionum verarum, quibus homo ad virtutem trahi supponitur, evolutio absque singulari concursu Dei possit explicari. Ipsa vero hypothesis platonica, qua virtutem divina inspiratione gigni statuitur, quam sit aliena a natura animae, et quam indigna perfectionibus divinis, vix opus est, ut commonstremus. Quis enim non intelligit, hac sententia *libertatem* animae tolli, atque adeo ipsam virtutem, quae in libera electione boni moralis ponitur, penitus everti atque destrui?

Haec praefati accingimur ad id, quod officium atque pietas jubet, ad indicendam solemnitatem Carolo Principi Clementissimo sacratam, quem nobis natum et hactenus conservatum esse gratissima in Deum mente laetamur. Quae solemnitas cum antiquo more gymnastico oratione publica piisque formulis ac cerimoniis peragenda sit, nec a gravi,

tate Diei, nec a rationibus auditorum alienum esse duxi, si argumento ex literis humanioribus petito *de pretio veterum Autorum Classicorum ex comparatione cum recentioris aevi scriptoribus classicis rite aestimando* verba facerem. Ad quam orationem benevole audiendam omnes literarum et Gymnasii nostri Patronos atque cultores reverenter, atque officiose invitamus, atque ut sua pietatem nostram ornare et adjuvare velint frequentia, enixe obsecramus. Habebitur actus ipso Die Natali Serenissimi Ducis XI. Febr. in Auditorio Gymnasii majori hora post meridiem IIda. D. Stuttgard. Nonis Februar. MDCCXCIII.

IX.

DE PRETIO VETERUM AUTORUM CLASSICORUM EX COMPARATIONE CUM RECENTIORIS AEVI CLASSICIS SCRIPTORIBUS RITE AESTIMANDO. ORATIO IN DIE NATALI SERENISSIMI HABITA IN AUDITORIO MAJORI GYMNASII ILLUSTRIS. 11. Febr. 1793.

Illuxit iterum felicibus auspiciis dies annua pietate et ab universa patria et ab hoc patriae seminario concelebrandus, dies, qui ante hos sexaginta quinque annos Carolum nobis genuit, Optimum Principem, et Patriae Parentem diligentissimum. Vivit Princeps noster annorum numero non minus quam meritorum in rempublicam gravitate venerabilis, atque ita pro singulari divini Numinis benignitate vivit, ut, quamvis ad multam senectutem progressus virilis tamen aetatis vigorem adhuc conservet, senisque longo rerum usu exercitati sapientiam cum industria ju-

venis conjungat, sic denique vitam impendit, ut eam nonnisi negotiis pro salute civium suscipiendis aestimet, ut ipsi patriae et reipublicae vixisse satis sit. Ecquis est nostrum, qui nesciat, quantum Carolo debeant artes et literae, quantum reliqua omnia pacis ornamenta, et civitatis bene constitutae subsidia; quis est inter omnes Wirtembergiae cives, quem fugiat, quantum ex longo illo tempore, ex quo Carolus regnat, assidua Principis opera et indefatigabili studio collatum fuerit ad ornandam atque fortunandam patriam dulcissimam? Quae cum ita se habeant, et unjuscujusque sensu confirmentur, quis erit inter cives nostros, qui non amore, obsequio, fide pietate ac reverentia obstrictum se sentiat erga Principem salutis publicae privataque studiosissimum, qui, dum sibi gratulatur de forma reipublicae bene atque sapienter constituta, non intelligat, eadem hac forma et constitutione jura quoque atque incolumitatem Principis includi et contineri; cui denique non persuasum sit, purum atque genuinum patriae amorem ab amore Principis imperii gubernacula tenentis, debitum erga leges obsequium ab obsequio in Principem, qui publica autoritate munitus legum sanctitatem tuetur, separari nullo modo posse. His cogitationibus, hoc pietatis et officii sanctissimo sensu ut animos nostros impleamus, hortatur etiam tristissima praesentis temporis conditio, quo fides et reverentia Moderatoribus civitatum debita apud multos laxari subinde coepit atque labefactari; monet praesertim finitimae nationis Francogallicae infelix exemplum, quae fanatico quodam libertatis furore abrepta rem bene coeptam turpissimo exitu corrupit, ruptisque novarum legum vin-

culis et abrogato boni regis imperio, ad hanc ultimam nuper immanitatem progressa est, ut regio se sanguine foedaret. — O felicem, o beatam rempublicam, quae malorum innumerabilium ex falsa libertate nascentium haud ignara, illudi sibi non patitur isto; quod imperitum vulgus miratur, libertatis simulacro, quae a studio ad molimine novarum rerum prorsus aliena, certo, quo regitur, imperio certisque et longo usu probatis legibus, quibus omnium civium vita, fortuna atque existimatio defenditur, contenta est, quae suis bonis modeste grataque in Deum atque Principem mente fruitur, seditiones atque factiones exsecratur, civiles dissensiones horret; ea, quae sine dispendio universae civitatis corrigi nequeunt, patienter fert, reliquis placide medetur, atque in amicabili concordia omnium ordinum atque hominum ad augendam amplificandamque salutem publicam certatim conspirat. — Quem non trahit pulcherrima ejusmodi pacatae civitatis imago; sed quis non etiam ex animo laetatur, eandem hactenus fuisse reipublicae nostrae faciem, et quis non fatetur, prosperam hanc patriae conditionem praecipue deberi Principis a Deo concessi bono sapientique imperio, quo ille Wirtembergiam ad hunc usque diem gubernat? Quantas igitur et quam locupletes habemus causas hoc praesertim die festo, quo Caroli nativitatem recolimus, ut nova obsequia, novam pietatem atque reverentiam spondeamus Principi de universa patria et de hac quoque literarum officina tantopere merito, precesque pro Illius omnigena prosperitate ad Deum fundamus ardentissimas. Antequam vero ad haec vota precesque progrediamur, liceat mihi communis pietatis In-

terpreti more apud nos solito verba prius facere de materia literaria, quae non abhorret a cathedra hac gymnastica, videlicet de pretio veterum Autorum classicorum et comparatione cum recentioris aevi scriptoribus rite aestimando, in qua materia breviter tractanda, ut aures mihi praebeatis benevolas, Auditores omnium ordinum honoratissimi, officiose rogo.

Si de pretio veterum Autorum classicorum sine partium studio et absque obtrectatione recentioris aevi judicare volumus, in hoc negotio mihi praecipue de eo videtur esse dispiciendum, quaenam propriae sint et peculiares virtutes tum in antiquorum, tum vero etiam in recentiorum Autorum classicorum scriptis obviae. Has autem virtutes ex rationibus temporum maxime aestimandas esse, facile sibi quisque persuaserit. Utut enim evictum fuerit, palmam Veteribus esse tribuendam, utut exploratum sit, eosdem suo veluti jure majori laudis gloria florere, exinde tamen minime conficitur, illam Veterum et recentiorum differentiam naturali quodam niti ingeniorum discrimine. Absonum quid ille mihi videtur cogitare, qui cogitet, majorem ingenii vim a natura Veteribus esse concessam, quasi vero natura in effingendis Veterum ingeniis fuerit exhausta, et tanquam effoeta parens novos edere partus desierit. Constat etiam experientia, nullam fere aetatem plane desertam atque orbatam fuisse ingeniis erectioribus, licet una aetas largiori magnorum et felicium ingeniorum proventu conspicua fuerit, quam altera. Igitur, si quale pretium tum recentioribus tum antiquis Scriptoribus classicis assignandum sit, curatius velimus investigare, necesse

nobis erit, attendere ad naturam atque indolem temporum, quibus utrique vixerunt, et ad externas causas, quae ad ingenia eorum efformanda vim habuere. Cum enim in rationibus temporum ea contineantur, quae ingenium fingunt, formant atque dirigunt, posthabita illa temporum ratione, et neglecta ejusdem efficacia ad excitandum vel deprimendum, ad acuendum vel obtundendum ingenium, justa nunquam, et quae ſibi constet, institui poterit comparatio inter Veteres et recentiores Classicos, cum vel optimi ejusdem generis Scriptores ſed longo temporum intervallo disjuncti, multis modis inter ſe differre debeant. Omissa igitur, quae ſemper fluctuat, ingeniorum veterum atque recentium comparatione, omnis nostra huc redibit oratio, ut, qua ex parte tum Antiquorum tum recentiorum ſcripta potissimum ſe commendent, quibusque utraque luminibus ac virtutibus niteant, commonstremus, deinde qualia utrique Scriptores in aetatibus ſuis ad excolendas ingenii vires praesidia invenerint et adjumenta, breviter indicemus.

Ut itaque a Graecorum Romanorumque ſcriptoribus, qui Classici vocantur, initium faciamus, hoc certe nemini erit dubium, eosdem, quamvis omnem fere gravissimarum disciplinarum ambitum pro conditione ſuorum temporum ingenio fuerint complexi, plurimum tamen valuisse atque praestitisse in illis artibus atque ſcientiis, quae proxime ad humanitatem ſpectant, et ad quas feliciter tractandas ſubtilior quidam pulcri ſensus, laetior imaginatio et ingenii facilitas cum ardore conjuncta requiruntur. Inter omnia, quae ad aetatem nostram pervenerunt, Classicorum veterum ſcripta, quamvis et reliqua ſua laude minime ca-

reant, oratoriis tamen et poëticis primum locum assignandum esse, et frequentissimus horum librorum usus comprobat, et cultissimorum atque ingeniosissimorum hominum consensus satis declarat. Quemadmodum vero libri Veterum, qui circa poësin et eloquentiam versantur, inter libros eorum reliquos absque dubio principatum obtinent, ita cum libris recentiorum ex eodem genere comparati sic pariter excellunt, ut peritus lector artem in illis deprehendat numeris omnibus absolutam atque consummatam, et ut praestantissimi ejusdem generis libri recentiores, quamvis ad perfectionem veterum proxime accedant, longo tantum intervallo proximi videantur. Agnoscimus omnes et miramur in Veterum carminibus et libris gratam in sublimitate simplicitatem, in solerti naturae imitatione rectissimum pulchritudinis sensum, audaciam felicem cum judicii sobrietate, intelligentiam denique, ex communibus sensibus ductam, et a quaesita subtilitate remotam, atque omnes hae virtutes ita inter se sunt mixtae et commissae, ut aequale temperamentum, parem earum juncturam in libris et carminibus recentiorum frustra quaesiveris. Haec est illa aurea mediocritas, consummatissimae artis exemplar atque documentum, quae intra illos fines se continet, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Praeterea et haec est propria venustas veterum orationum atque carminum, quod, quamvis artificiose contexta artem tamen compositionis multo magis celent, quam plurima recentiorum ejusdem generis scripta. Sed quid ego loquor de his propriis veterum librorum virtutibus, quae naturalem cultiorum hominum sensum protinus adficiunt, et quas omnis aet

dudum confirmavit? An ullus unquam inter recentiores poëta extitit, qui Homero, Virgilio, Horatio fuisset, ne dicam, superior, sed tantummodo par? Aut quis nominare potest inter nostrae aetatis homines Oratorem, qui cum Demosthene aut Cicerone omni ex parte possit comparari? — Igitur, cum apud omnes in confesso sit, inesse veterum libris poëticis et oratoriis fontem omnis pulchritudinis inexhaustum, eumque Scriptorem ingeniosum tanto esse clariorem et praestantiorem, quanto felicius antiquos expresserit, exinde satis evictum esse arbitror, Veteres in illis saltem operibus, quae sensu, imaginatione et liberiori quodam ingenii impetu constant, recentioribus multum antecellere. Qui hoc in dubium vocare voluerit, huic necesse esset contradicere consentienti omnium seculorum politissimorumque hominum judicio, quod ea propter omni exceptione majus est, quoniam communi naturae humanae sensu nititur. — Frustra hic aliquis objecerit, veterum poëtarum atque oratorum admirationem ex autoritate tantum et ex praejudiciis educationis natam esse. Facile concesserim, aliquam hujus favoris atque admirationis partem pertinere ad illam familiaritatem, quam cum Autoribus istis classicis a pueris contraximus. Sed cur illi Autores leguntur in scholis, et adolescentibus explicantur, nonne propter internam eorum praestantiam, et gloriam, quam olim jam apud coaevos adepti sunt? Hanc certe famam ipsis non circumdederunt Interpretes scholastici, sed potius facti sunt Autores classici propter admirationem, qua eos probatissimi suorum temporum judices prosecuti sunt. Ex Iuvenale, qui Domitiano coaevus fuit, novimus, Virgilium

et Horatium jam illa aetate in ludis literariis fuisse lectitatos. Recte igitur ex constanti et perpetua veterum Classicorum gloria concluditur, hanc eorum famam non vaga et inani opinione, sed interno librorum, quos reliquere, pretio niti. Neque tamen in hac veterum poëtarum atque oratorum excellentia illud est praetermittendum, quantum commodi ad excitandam et alendam ingenii flammam prisca illa tempora attulerint, quantas ingenio faces admoverint. Constat, et Graecos et Romanos primum in carminibus componendis ingenia exercuisse, atque omnem eorum disciplinam a poëticis certaminibus esse profectam. Quemadmodum igitur aetas juvenilis in carminibus plerumque otium oblectat, et poëtica studia vehementius arripit, ita quoque juvenilis mundi aetas illius temporis homines ad excolendam poësin fortius traxit, uberiorem canendi materiam suppeditavit, et ingenii facultatem mirifice auxit et adjuvit. Multa quippe contingebant istius aevi hominibus quae nostris nostra aetate, vel desunt, immo vero obsunt. Jam primum isti Veteres artis illecebris nondum pellecti ex puro fonte naturae hauriebant, et cum mitiori coelo atque amoeniori aura fruerentur, vividiori quoque sensu natura pulchritudinem intuebantur, eamque fidelius in scriptis expressam imaginationis ope reddebant. Nondum praecepta artis eorum ingenia coarctabant, sed regularum vinculis soluti liberiori spatio ferebantur. Hinc illa in Veterum carminibus proprietas, et imaginum vis atque veritas. Nec multarum rerum scientia atque eruditio tum temporis animos distrahebat, eo plus autem valebat ingenii vis in unum collecta, et scientiae inopiam satis compensabat judi-

cii recti lumen et constantia. Utebantur porro Veteres et inprimis Graji lingua ſuavi, ſonora et flexibili, quae ad varias poëseos et eloquentiae formas accommodari posset, et quemcunque vellet Orator ſive poëta habitum, facile indueret. Deorum praeterea popularium cultus et publica religio, quae ſensus tantopere commovebat, et phantasiae lusibus liberrimum aperiebat campum, quantam habuerit vim ad poësin, quantamque poëtis ſubministraverit materiam, facile est intellectu. Plena ſunt omnia antiquorum Vatum carmina imaginibus aut descriptionibus e Mythologia desumtis, ususque frequens harum fabularum, quas veterum poëtarum ingenium varie exornavit, deinceps eo valuit, ut jam christiani poëtae ſine ingenti artis detrimento fictionibus illis abstinere nequeant, atque ut pulcherrima eorum carmina ex iisdem fabulis non ſummum tantummodo ornatum, ſed praecipuam quoque vim et ſignificationem accipiant.

Neque hoc denique est praetereundum, quantopere ſimplicior et rudior, quae prisca illa aetate locum habebat, vivendi ratio poëtis profuerit, et quam laetum inde antiqua poësis colorem traxerit. Nam cum homines illius aevi nondum in tot classes atque ordines descripti vehementioribus quidem affectibus essent obnoxii, iisdemque liberius indulgerent, ſed ex altera etiam parte animi ſensa dissimulatione non tegerent, nec aliud lingua promtum, aliud pectore clausum haberent, ea quoque res insignem habuit vim ad antiquae poëseos venustatem. Ita enim factum est, ut poëticae antiquorum descriptiones de moribus et affectibus humanis non modo ad ſummam jucunditatem et veritatem ex-

pressae essent, sed communem maxime humanitatem, deli. catiori cultioris aevi sensu non detortam, referrent.

Enumeravimus praecipuas causas, quae veterum poësin ad tantam laudem atque celebritatem evexerunt, quantam assequi recentior poësis nunquam poterit, e quibus collectis illud tamen cognoscitur, veterum poëtarum eminentiam non tam antiquorum ingeniis praestantioribus, quam potius temporum rationibus esse adscribendam. Similis est ratio veteris eloquentiae, cujus eximium florem a temporibus quoque et ab externis causis pependisse, nemo non videt. Quis enim non intelligit, quantum libera veterum rerumpublicarum forma, assiduae conciones populi, in quibus unicuique civium licebat de republica loqui, publica judicia, optimorum oratorum frequens usus, quotidiana dicendi exercitatio, honores denique publici et summa praemia magnis oratoribus proposita, quantum illa omnia contulerint ad extollendum publicae et forensis eloquentiae florem, quantam habuerint vim, ut subinde Oratores exsisterent inter istos antiquitatis populos, quales posteriora non viderunt secula? Quantopere igitur eloquentia illa, qua antiqui prae recentioribus pollebant, a rationibus temporum pendeat, id nulla re clarius perspicitur, quam quod nostris temporibus, mutato rerum statu, et abrogata veterum rerum publicarum forma, oratoria illa eloquentia, si paucas Europae gentes exceperis, prorsus obmutuerit.

Diximus hactenus de propriis Veterum Classicorum virtutibus; reliquum est, ut de illis etiam breviter dicamus, in quibus propria laus reccentioribus acquiritur. Quamvis enim ingenue fateamur, Veteres classicos in illis artibus,

in quibus ingenii vis cernitur, plurimum valuisse, in reliquis tamen ſcientiis, quarum ea est natura, ut temporum cursu majora incrementa capiant, Recentiores Veteribus anteponendos esse, minime est dissimulandum. Ea certe est intellectus humani indoles, ut augendae cognitionis indefesso studio trahatur, is naturalis ſcientiarum progressus, ut necesse ſit, nova ſubinde et hactenus incognita inveniri, et inventis addi. Quanta et quam ſtupenda recentiori tempore augmenta permultae ſcientiae, atque illa inprimis ceperint, quae ſolertibus observationibus atque experimentis nituntur, ex historia ſcientiarum ſatis est notum. Ad has maxime pertinent Astronomia, Physica, Historia naturalis, Chemia, Medicina aliasque, quas omnes a recentioribus institutis novis et accuratioribus observationibus atque experimentis tum emendatas tum auctas et amplificatas fuisse, apud omnes in confesso est. Recte hinc colligitur, recentiores, si non ingenio, certe varia ac multiplici gravissimarum rerum ſcientia, et copiosioris doctrinae atque eruditionis ambitu multum praestare Veteribus. Neque tamen haec recentiorum praerogativa tanta est, quanta forsitan videri possit, cum permulta, quibus lux clarior affusa est ſcientiis, ſuppeditaverit casus, adeoque recentiores ad perficiendas ſcientias adminiculis usi fuerint, quibus Veteres olim caruerunt. Quomodocunque autem ea res se habeat, utique hanc quoque insignem sibi vindicant et propriam laudem Recentiores, quod ſcripta illorum, in quibus subtilioris judicii vis ſe exserit, plus habeant meditatae ſolertiae et acuminis, quam in libris veterum ejusdem argumenti plerumque reperitur. Si quidem respiciamus dis-

ciplinas mathematicas et philosophicas, in quibus elaborandis etiam Veterum subtilitas tanto cum successu versata est, ut nec hodie liceat veterum Mathematicorum ac Philosophorum opera contemnere vel negligere, quis tamen ignorat, quantopere hae scientiae creverint recentiorum studiis. Horum certe studiis debetur finium, quibus illae scientiae reguntur, constitutio rectior, partium, quibus constant, curatior distinctio, junctura melior, methodus tradendi aptior, demonstrationum selectus diligentior, principiorum denique, quibus reliqua omnis scientiarum doctrina superstruitur, altior perscrutatio, et expositio distinctior et enucleatior. Ceterum et haec notabilis recentiorum praerogativa, quae ponitur in majori tum copia tum subtilitate scientiae, magna ex parte exinde derivanda videtur, quod recentiores, paratis pluribus instrumentis atque subsidiis ad scientiam comparandam eandemque cum multis aliis communicandam, faciliori et magis compendiaria via scientiam, qua inclarescunt, colligere poterant. Contraria erat apud veteres ratio, apud quos tum propter librorum raritatem, tum, quia scholis carerent publicis et ad altior disciplinas tradendas destinatis, scientiarum studia multas habebant difficultates, magnos afferebant labores et molestias. Ipsa adeo humanitatis studia, historia inprimis atque ars dramatica hoc politiori vitae socialis cultu, hac faciliori literarum communione, quae recentiori aevo obtigit, sic aucta sunt, ut et in his artibus et scientiis tractandis Recentioribus propria laus denegari nequeat.

Attigimus breviter, ne modum excederet oratio, illa,

in quibus Scriptores recentioris aevi cum antiquis collati ſupra antiquos ascendere videntur.

Had autem confessione de virtutibus recentiorum veterum laudibus detrahi vel derogari quidquam nollem. Efferveſcens enim ingenii vis, quam ſupereſse antiquis fatemur, in illis operibus, quae pulchritudine atque elegantia censentur, tanti est momenti, ut profectus artis, plurium rerum ſcientiam et ſubtilioris judicii ſolertiam facile exaequet. Est in diversis mundi aetatibus, quarum contemplatione omnis justa comparatio recentiorum cum Veteribus absolvitur, eadem ratio, quae in diversis humanae vitae aetatibus obtinet. Si vel maturior aetas mundi plus culturae et ſcientiae attulerit, remotiora illa secula tanto magis probantur excelsitate, ardore ac vehementia ingenii. Omnem igitur antiquorum et recentiorum differentiam huc redire putamus, ut opera antiquorum altitudine cogitationum, ſimplicitate nativa dictionis et proprietate phantasiae ſe commendent, recentiorum ex altera parte ſcripta ſolertia artis, ſubtilitate judicii et doctrinae copia praestent. — Sed quorsum haec omnis disputatio de propriis et Veterum et Recentiorum virtutibus? Ut literarum ſtudiosi, cum intellexerint, quantum opera Veterum classicorum ad excitandam et fingendam ingenii facultatem, Recentiorum autem ſcripta ad acuendam intellectus et judicii vim et ad augendam ſcientiam conferant, veterum ſtudium cum ſtudio recentiorum apte copulent, ut tum demum ſe profecisse ſciant, ſi utraque haec ſtudia rite conjunxerint.

At quid moramur, Auditores O. O. h! in comparatione antiqui et recentioris aevi, cum ad ſanctius officium

nos vocet praesens tempus, hodierna lux, toti patriae festa! Faciamus itaque, quod humanitas vult, quod pietas jubet, quod religio postulat. Concipiamus pientissimo mentis adfectu Vota pro Principe, pro patria, qualia decent bonos cives et christianos homines. Absint a fanctitate hujus Diei inanes laudationum strepitus, quos Ipse Carolus, quem sua facta satis laudant, aspernatur; sed ex animi sententia pia gratiarum actione, piis votis et adprecationibus prosequamur Principem nostrum de Wirtembergia ex longa annorum serie immortaliter meritum, sed incorrupto nosmet obsequio, sed nova et integra fide in Carolum nos obstringamus lenociniis spuriae libertatis inviolabili. Supplices primum et devotissimas agamus gratias Deo Optimo M. bonorum omnium largitori, qui Carolum in firmanda ac augenda salute publica tam strenue occupatum hactenus patriae servavit incolumem, Principisque labores hoc praesertim difficili atque acerbo tempore molestissimos, et suscepta prudenter consilia ita secundavit, ut inter medios periculosi et vicini belli furores, summo, quod mortalibus contingere potest, bono frueremur, pace et tranquillitate publica. Huic vero gratiarum actioni pro fortuna prateriti temporis adjungamus etiam pias supplicationes pro futura Principis patriaeque felicitate. Precemur Deum, summum rerum humanarum arbitrum, ut omnem Germaniam a vexationibus atque injuriis funestissimi praesentis belli, quod gravissimas ruinas minatur, mox liberet, ut in posterum quoque tempus dulcissimam patriam a publicis calamitatibus immunem praestet, ut ecclesiam nostram, rem scholasticam, leges, atque instituta domestica suo numine

tueatur, ut Carolum denique Patriae Patrem cum carissima Conjuge et cum omnibus, quorum opera Princeps in regenda republica atque in moderanda ac ornanda inprimis re ſcholastica utitur, ad ultimos usque humanae vitae terminos ſalvum exhibeat atque ſospitem. Desinant vota nostra in hac fausta et communi exclamatione: Vivat Carolus, vigeat Patria, floreat Gymnasium!

X.

PROGRAMMA Ad INDICENDA DUCIS CAROLI PARENTALIA. 1793.

Quam vera ſit Horatii ſententia, pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres, domestico prohdolor! paucos ante menses eodemque funestissimo casu fuimus edocti.

Amisimus, eheu! amisimus Serenissimum atque Clementissimum Ducem atque Dominum nostrum Carolum, cujus imperio pacato et felici moderamine dulcissimae patriae nostrae frui licuerat per integros fere quinquaginta annos; amisimus Principem, non ſummis modo animi ac ingenii dotibus ac virtutibus condecoratissimum ſed praestantissimis etiam et innumeris rebus gestis inter terrae Principes clarissimum, quem, ſi fieri posset, omnes immortalem esse cupiissent. Auget verò vehementer luctum atque dolorem nostrum illa etiam cogitatio, quod optimum Principem, cum dimidium paene ſeculum imperii comple-

visset, moxque novum regiminis stadium esset auspicatus, ad ipsum quasi limen novi hujus curriculi acerbo atque invidioso fato interceptum vidimus. O incertam rerum humanarum sortem, o tristem earum et subitam vicissitudinem; o vanas et inanes spes atque expectationes!

Qui laeti jam cum cantu atque tripudiis fueramus accincti, ut eodem hoc mense, *) quo Carolus ante hos quinquaginta annos ad Wirtembergiae gubernacula accessit, expletam feliciter periodum jubilarem inter publicos universae patriae plausus congratularemur, Principemque novum regiminis orbem auspicantem faustis adclamationibus piisque votis et precibus prosequeremur, nunc moesti inter planctus et gemitus patriae tumulo Caroli adstamus, sacrosque Principis cineres lacrymis imbuimus; qui per dimidii seculi decursum diem Principis genitalem, qui undecimus est mensis Februarii, pio more inter publica gaudia quotannis celebravimus, eodem nunc mense, quo nobis hactenus natalitia Principis sacra recolere licuerat, lugubri solemnitate parentare divis Principis Manibus, ultimosque supremi diei honores persolvere tristi necessitate cogimur.

Quis est, qui non hac inopinata rerum nostrarum conversione commoveatur, quem non capiat tanti tamque cari Principis desiderium, cujus eximias virtutes, et illustria in patriam et in omnes reipublicae partes merita nulla posteritas silebit; quis non condoleat huic tanto Principi,

---

*) scilicet a. 1744 pridie Nonar. Febr. beate defunctus Princeps edicto publico per universam patriam promulgato imperii fasces Ipse capessivit, postquam a Caesare veniam aetatis nactus fuerat.

cui, quum vidisset atque praesens illustrasset duplex Jubilaeum Academiae Tubingensis, et Gymnasii hujus a Serenissimo Ipsius avo conditi, prius fato erat concedendum, quam tertium Sui regiminis Jubilaeum videre, populique tot beneficiorum memoria exultantis gaudia excipere, gratosque sensus experiri poterat.

At quantumvis fata flecti nequeant, nec carissimus Princeps, coelis jam redditus, omnium nostrum lamentis atque lacrimis revocari in hanc vitam possit, quid tamen est justius, quid probis atque ingenuis civibus atque subditis decentius, quam tanti Principis obitum publice lugere, memoriamque innumerabilium beneficiorum, quod quidem dignissimum lugendi genus est, a Principe in omnem patriam profectorum non solum animo et pectore continere, sed publice etiam testari, et ad omnem posteritatem propagare. Etenim, si humanitas postulat, si pietas et religio jubent, ut a liberis parentes, ab amicis amici, patroni a clientibus, viri denique magni et praeclare de aliis meriti ab his, ad quos eorum gloria pertinuit, aut benevolentia manavit, post mortem quoque sancte et inviolate colantur, si fas est, ut, qui beneficiis affecti sunt, quantam extinctis benefactoribus suis fecerint jacturam, palam editis moeroris ac tristitiae signis profiteantur, quanto erit sanctius et religiosius, ut patriae quoque Parentes rerumque publicarum moderatores, quorum benefacta ad majorem hominum multitudinem pervenere, post fata ab omnibus ipsorum imperio subjectis pio cultu suspiciantur, eorundemque memoria ad posteritatem conservetur. Est certe haec consuetudo Viros aut splendore ac

nobilitate generis, aut imperii dignitate, aut rerum gestarum gloria, aut virtutum magnitudine illustres publice lugendi non ſolum humanae naturae prorsus consentanea, ſed omnis etiam aevi annalibus omniumque cultiorum gentium exemplo confirmata. Viguisse hunc morem primum apud populum Israëliticum veri Dei cognitione ſingularibusque divini Numinis muneribus instructum, historia illius populi ſacris literis comprehensa luculentis exemplis testatur. Ita quidem, ut aliqua tantum exempla in medium proferam, Josephus, Aegypti princeps defuncto patre Jacobo luctum publicum toti provinciae indixit, eumque per dies ſeptuaginta continuari voluit. Sic deinceps Rex Davides in Saulis et Jonathae, postquam in praelio cecidissent, honorem elegans admodum et adfectu plenum Epicedion ſcripsit, quo ipsorum laudes atque virtutes commemoravit. Similiter Rex Josias, cum in bello adversus Aegypti regem ex vulnere esset mortuus, magno omnium ordinum totiusque populi judaici luctu ſepultus est, eundemque Propheta Jeremias funebri oratione collaudavit. Nec vero istum publici luctus honorem viris ſolummodo in hac gente proprium, ſed cum claris quoque feminis, (qui mos deinceps apud Romanos etiam obtinuit) communicatum fuisse, exempla Sarae conjugis Abrahami et Prophetissae Mariae, quae Mosis ſoror fuerat, demonstrant, quarum quidem obitus et humationes in ſacro Codice celebrantur. Sed reliquis etiam gentibus antiquitatis politioribus eundem hunc morem, viris magnis et de republica praeclare meritis publice parentandi uſitatum fuisse, historiae profanae monumenta ſatis declarant, quamvis ex iisdem

annalium descriptionibus simul appareat, laudabilem hanc consuetudinem variis ritibus superstitiosis infectam fuisse, qui ex falsis Deorum religionibus apud illas gentes obviis manaverunt. Inter istas vero gentes principem locum obtinent Graeci et Romani, qui de mortuorum honoribus inprimis erant solliciti, iisdemque religiosa plane jura tribuerunt. Tanta certe erat eorom jurium sanctitas apud utrumque populum, ut, qui Deorum Manium sacra violassent, aut saltem non curassent, inexpiabilem fraudem commisisse putarentur, usuque civitatis et communione omnium sacrorum prohiberentur. Causas vero istius religiosi cultus partim ad ipsos defunctos, partim ad vivos spectasse, in promtu est. Cum enim veteres isti ex opinionibus publicae-rudibusque populi sensibus accommodatae religionis hanc tenerent sententiam, Viros egregie de republica meritos post mortem inter Deos immortales referri, inter illos agere, rerumque humanarum atque terrestrium potestatem cum Diis partiri, mortuos non solum tanquam Deos venerati sunt, omnemque adhibuerunt operam, ut animas defunctorum, quas Manes vocant, sibi propitias servarent, aut redderent, sed tali quoque cultu et honore eas prosecuti sunt, quo Deos ad similitudinem humanae naturae confictos delectari falsa opinione sibi persuaserant, pompa videlicet, ludis, sacrificiis, aliisque id generis rebus. Neque vero religiosa haec defunctos colendi ratio ad populares solummodo religiones, sed ad ipsam quoque Veterum philosophiam erat accommodata, et ex celeberrimorum Philosophorum placitis propriam vim atque autoritatem nanciscebatur, quibus nempe visum est animos hominum

non modo immortales esse et divinae originis, sed decerptas quasi ex divinitate particulas, eosdemque, cum vinculis corporis soluti ex hac vita migraverint, ad divinitatem, unde venerint, reverti.

Sed eosdem varii generis honores mortuis exhiberi solitos, inter quos publicae laudationes sive orationes funebres in laudem defunctorum compositae non ultimum locum occupant, viventium quoque causa institutos fuisse, nemo non videt. Et primo quidem istis honoribus, praesertim laudationibus, quas non modo dictas sed asservatas etiam fuisse scimus, sapienter cautum fuit apud antiquos populos, ne grata magnarum virtutum rerumque gestarum memoria oblivione obscuraretur, aut viventium animis excideret. Praecipue autem laudationes illae in hunc finem videntur fuisse institutae, ut v i v i in defunctorum vitas tanquam in speculum inspicerent, et supremo hoc honore, defunctis exhibito eo fortius ad imitationem praeclarissimarum virtutum excitarentur. Quantopere vero etiam hoc egregio priscarum civitatum instituto cives accensi fuerint ad amplectenda optimarum rerum studia et ad magnas res gerendas, ex larga messe et felici proventu hominum fortissimorum et de patria optime meritorum, qui inter Graecos et Romanos exstiterunt, facile potest colligi; quamvis ex altera parte publicis his laudationibus, ut Cicero aliique scriptores Veterum conqueruntur, id noxae adhaeserit, ut rebus gestis mortuorum nonnunquam in majus auctis annalium fides fuerit corrupta. Sed hoc non erat tanti, ut ad imminuendam utilitatem hujus instituti tam late patentem valuerit. Forsitan hoc etiam, quod ab aliis parum

animadversum esse video, istarum laudationum utilitatem auxit, quod nonnisi ab his, qui proxima cognatione defunctis essent juncti, dictae fuerint. Sic Caesarum adeo filios Patribus parentasse, eosdemque pro rostris laudasse, ex Annalibus Taciti notum est. Id non fine causa factum esse, quivis facile intelliget. Quippe videbatur ipsis defunctis honorificentius, fi a propinquis potius, quam alienis laudarentur; deinde et his, qui laudabant, acrior accedebat ftimulus, ut, quas ipsi in parentibus five propinquis virtutes praedicassent, fua quoque vita exprimerent, gloriamque familiae a majoribus partam tuerentur et amplificarent. Quidni propter hanc etiam causam in familiis Romanorum priscae aetatis tot continuas excellentium Virorum fuccessiones deprehendimus, in quibus haereditario quasi jure avitae virtutes propagatae funt? Superest adhuc aliud, ex quo intelligitur, Romanos in constituendis mortuorum honoribus rectius ftatuisse et acutius vidisse, quam Graecos. Hi enim ex consuetudine, ut opinor, heroici aevi, quo praeter bellicas virtutes reliquae contemnebantur, publicae fepulturae et laudationis honores ultimos nonnisi in homines bellicosos conferebant, qui mortem pro patria oppetivissent. Romani contra, quamvis fortitudine atque armis prae caeteris gentibus valerent, Viros non militia folum, fed et pace claros ejusmodi honoribus publicoque post mortem encomio dignos judicaverunt, quin feminas adeo, uti jam fupra diximus, bonis artibus praecellentes istiusmodi honorum participes esse voluerunt, fatis persuasi, armis quidem adversus externorum hostium impetus rempublicam defendi, internum vero flo-

rem et fortunam civitatis pacis artibus, recta administratione, omnibusque, quae privatam quoque vitam ornant, virtutibus contineri. — — Sed quorsum haec hactenus disputavimus? Nempe, ut intelligatur, morem hunc Principum obitus publice lugendi ab antiquissimis et politissimis nationibus frequentatum recte ad nostra usque tempora fuisse propagatum atque conservatum. At pium hoc lugendi officium ex ſanctissimis etiam religionis christianae praeceptis novum accipit robur atque firmamentum. Quae cum nos edoceat, ab ipso Deo ſummos Magistratus publici ordinis et civilis honestatis causa esse institutos, ſimul nos obligat, ut propter Deum et ex obsequio erga voluntatem ſanctissimi Legislatoris illos amore, fide, obsequio ac reverentia prosequamur, ex quo facile consequitur, nostri quoque officii esse, eosdem, cum ex hac vita excesserint, pie lugere, gratam eorum memoriam in animis retinere, illamque publicis testimoniis atque documentis declarare. Ejusmodi vero cultus defunctorum Principum vere religiosus nos a recordatione beneficiorum, quae ab illis in patriam manaverunt, ad Deum omnium bonorum largitorem et fontem deducet, et nos excitabit ad contemplanda divinae providentiae ſpecimina in illorum vitis extantia, quae res ad levandum atque mitigandum dolorem nostrum, quem ex ipsorum obitu concepimus, insignem habebit vim atque fructum. Nobis etiam quot et quam luculenta ſese exhibent ſpecimina ſingularis curae, qua Deus per praeteriti temporis ſpatia Principem nostrum terris nunc ereptum cum universa patria complexus est?

Contigit quippe Carolo ſingulari Dei beneficio,

quod nulli antea Serenissimorum Wirtembergiae Ducum obtigerat *), ut non modo ultra annum aetatis sexagesimum quintum vitam prorogaret, integraque ad extremum fere vitae tempus valetudine uteretur, sed per decem quoque lustra, quae summa erat et exoptatissima felicitas, Ipse sic regnaret, ut per diuturnum hoc temporis spatium nulla vis hostilis pacem patriae turbaret. Quis est, qui ponderatis his divinae providentiae speciminibus Carolum exacto tam feliciter vitae curriculo non beatum praedicet, patriaeque non gratuletur, cui saluberrimis Principis institutis tam diu per otium et tranquillitatem frui licuerat, hisque cogitationibus non ex luctu et aerumna animum recreet, atque soletur. Sed aliud adhuc superest luctus nostri levamemtum dulcissimum, aliud praeterea idemque luculentissimum divinae erga nos benignitatis specimen.

Habemus Ludovicum Eugenium, Ducem atque Dominum nostrum Clementissimum, quem Deus, quum Carolum Fratrem ad meliorem vitam vocasset, patriae reservavit; Principem, qui tot tamque amabiles virtutes ad imperium attulit, ut jam omnium subditorum animos veneratione, fide, amore et obsequio devinctos sibi teneret; Principem, cui, ut cum Horatio loquamur, pudor, justitiae

*) Inter omnes Wirtembergiae Duces Ulricus tantum et Eberhardus III. utrique bellicis calamitatibus vexatissimi ad aetatem quam beate defunctus Dux Carolus complevit, propius quidem accessere, iii in tamen haud assecuti sunt. Namque Ulricus anno aetatis 64 mortuus est, Eberhardus autem III. jam anno aetatis suae 60 vivere desiit.

foror, incorrupta fides, nudaque Veritas, quando ullum invenient parem?

His jam piis atque religiosis fensibus in Deum omnis boni fontem praeparati accingimur ad justa Carolo perfolvenda, atque ad praedicanda illustrissima hujus Tanti Principis merita, quibus universa patria et inprimis literarum officinae erga beate defunctum Principem obstrictas fe fentiunt atque profitentur. Cui quidem fancto officio destinata est Oratio parentalis proximo die XXI. Februarii in illustri hoc Lyceo hora post meridiem IIda recitanda, quae expositis praecipuis vitae rationibus defuncti Principis potissimum *Illius Merita in artes et scientias et in universam rem literariam* exponere et depraedicare conabitur. Ad quam orationem patienter et benevole audiendam non folum omnes Gymnasii hujus et literarum Maecenates, atque Fautores obsequiose et humanissime invitamus, fed ut Vota etiam fua pro incolumitate et flore Serenissimae stirpis Wirtembergicae, et pro vita inprimis et longaevitate Serenissimi Ducis Regnantis Ludovici Eugenii, Ejusdemque felicissimo et diuturno Regimine nobiscum concipiant atque folvant, omni animi contentione rogamus atque obtestamur.

XI.

LAUDATIO FUNEBRIS IN SERENISSIMUM DUCEM CAROLUM DICTA IN ILL. GYMNASIO STUTTGARTIANO A. D. XXI. FEBR. 1794.

Dum in hanc cathedram, atque in conspectum vestrum hodie prodeo, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, animum meum haud mediocriter esse commotum atque perturbatum et ſentio et fateor. Movet me primum ipsa hodierni conventus lugubris ſolemnitas, movent tristitiae ſigna, quae in omnium Vestrum ore ac vultu apparent, movet acerbissimi doloris, qui ex tempore aliquantutum conquievisse videbatur, renovatio. Cum vero recordor, luctus et moeroris Vestri me interpretem esse constitutum, mihique hanc esse oblatam honorificam provinciam, ut Gymnasii hujus nomine justa persolverem Serenissimo Principi Carolo, memoriamque virtutum Illius atque rerum gestarum recolerem, vix certe habeo, unde animum officii hujus mag-

nitudine plenum et rerum dicendarum copia distraotum colligam. Quamvis enim hac provincia nihil mihi potuisset accidere honorificentius, vires tamen meas gravi huic negotio longe impares esse optime fentio. Sive enim considerem admirabiles et fingulares animi virtutes, quibus beate defunetus Princeps Carolus inclaruit, five rerum ab Ipso praeclarissime gestarum innumerabilem copiam, tantam tamque uberem dicendi materiam propositam mihi cerno, cui tractandae nec eloquentissimi Oratoris industria fuffecerit. Igitur, quamvis Caroli virtutes atque res gestae tantae fint, ut nec calamistris nec verborum ornatu indigeant, fed ipfa veritas illis ad elegantiam et fplendorem fufficiat, magnopere tamen mihi verendum est, ne oratione mea illas extenuasse videar. Quapropter, fi expectationi Vestrae, Auditores O. O. Honoratissimi! minus fatisfecero, a vestra benevolentia ac humanitate hoc me consecuturum esse confido, ut infirmitati virium mearum aliquid condonetis, nec levitati aut ignorantiae tribuatis, fi breviter expositis reliquis, quae in Sererissimo Principe fuere plurimis, et fummis virtutibus, ea potissimum commemoravero, quae *ad florem et augmenta artium et scientiarum*, in patria nostra, per Carolum collata funt. Et profecto, fi in Vitam Principis nostri attentius inspicimus, facile deprehendemus, maximam illius partem nonnisi in alendis et ornandis artibus atque disciplinis occupatam, praecipuamque strenui Principis curam in eo fuisse versatam, ut fcientiarum atque artium incrementis, meliorique et rectiori juventutis educatione patriae non celebritatem folum, fed nova etiam commoda pararet. Etenim reipublicae fortunam ac falutem om-

nem ex indole et habitu fcientiarum et ex institutionis publicae modo et ratione plurimum pendere Optimus Princeps acute fatis intelligebat, et fibi Ipsi hanc unicam verae laudis gloriam appetendam esse censebat, ut artes et fcientias fingulari ftudio tueretur, fubsidia eruditionis multiplicaret, vitiis publicae institutionis obviam iret, eamque praesentis temporis necessitatibus magis accommodaret.

Aberat enim Princeps perspicacissimus ab ista multorum hominum anxietate, qui a liberaliori fcientiarum cultura non religioni folum, fed civitatis etiam constitutioni, publico ordini, juriumque aequabilitati nescio quid periculi imminere falso putant, ac eapropter fcribendi libertatem arctioribus limitibus circumscribendam liberaque et modesta etiam de rebus ad religionem aut civitatis formam fpectantibus judicia coërcenda esse arbitrantur; fed ex adversa parte hanc magno Principe dignam fovebat fententiam, publica veritatis inquirendae libertate, liberisque eruditorum commerciis fcientiarum augmentis non folum prospici, fed veram quoque religionis cognitionem, jura Principum, reverentiam legum, ordinemque civitatis potius firmari; id folum cavens, ne quis libertate ad licentiam abuteretur.

Antequam vero fingulatim exponamus de insignibus Caroli meritis in universam rem literariam, necesse erit, a prima Ipsius Principis institutione rem repetere, et de primis pueritiae ejus ftudiis nonnulla monere, ut exinde appareat, amorem literarum Ipsi a prima jam infantia fuisse familiarem et quasi congenitum. Cum autem ad Caroli nativitatem redimus, minime fequimur receptum eorum morem, qui in describendis Principum vitis longas eorum

genealogias nectunt, et ad remotissimos quosque eorum Parentes ascendunt, ut ex majorum gloria vitas nepotum illustrent. Quamvis enim ex antiquo generis splendore ad Principes per se claros haud parum dignitatis perveniat, majorumque exempla et virtutes ingeniis excellentibus fortissimos addere soleant stimulos ad magna et praeclara quaevis gerenda, facta tamen et virtutes clarorum Principum, cum solis instar suo lumine radient, non opus habent adventitiis coloribus et aliunde petitis exornationibus. Igitur ex illustrissima Wirtembergiae Ducum prosapia sufficiat unum nominasse, Fridericum Carolum, Serenissimum defuncti Principis Avum, cujus memoriam hodie renovari, nemo mirabitur, praetermissam omnes incusabunt. Is Princeps, divina providentia constitutus Sator Serenissimae Familiae regnantis non modo tutelam Ducis Eberhardi Ludovici et publicum regimen summa fide et sanctitate administravit, sed, quod nobis maxime memoratu dignum est, illustre hoc Gymnasium, quod in summam patriae utilitatem jam ultra seculum floret, condidit hoc sapienti consilio, ut adolescentes literis dicati in hac schola per gradus ascendentes altiores etiam scientias degustarent, atque ita melius instructi ad Academiam transirent. Patrem habuit Carolus Serenissimum Ducem Carolum Alexandrum, Friderici Caroli filium, ad quem, post obitum Ducis Eberhardi Ludovici, cujus unicus filius haeres ante Patrem obierat, regimen Wirtembergiae anno hujus seculi trigesimo tertio hereditario jure pervenit. Hic Princeps bellica virtute longe clarissimus antequam ad gubernationem Ducatus pervenisset, in matrimonium duxerat Principem feminam Mari-

am Augustam ex illustrissima gente Tassiorum, ex qua Carolus natus est Bruxellis anno millesimo septingentesimo vigesimo et octavo, die Februarii undecimo. Primos infantiae annos vixit sub moderamine aviae maternae natae Principisse de Lobkowiz; et octavo demum aetatis anno Stuttgardiam ad Serenissimos Parentes delatus est, ut ipsorum Parentum fida institutione atque cura frueretur. Sed vix unum Stuttgardiae annum expleverat, cum Pater Ipsi decede et, imperio haud ultra quadriennium continuato. Ita vero ad Carolum filium natu maximum, qui tum nonum aetatis annum agebat, jus regnandi singulari providentiae fato pervenit. Ex hoc maxime tempore Carolus cum Serenissimis Fratribus diligentissimam, tenerrimae Matris curam expertus est. Haec enim, ut filium principatui destinatum ad explendas omnes Principis partes idoneum fingeret, eum non modo optimis praeceptoribus erudiendum tradidit, sed Ipsa quoque cum tutela filii gravissimum educationis negotium sustinuit, amoremque et studium, quo per omnem vitam in artes atque literas flagrabat, tenero etiam filii animo mature instillavit. Sic apud veteres Romanos Corneliam Grachorum, Aureliam Caesaris, Atiam Augusti matrem educationibus filiorum praefuisse, et principes filios fixisse legimus. Has imitata Maria Augusta nec ingenii vigore ulli earum cessit. Namque non modo plurimarum atque utilissimarum rerum copiosam et accuratam scientiam habuit, sed tanta etiam vi ingenii praestitit, ut uno eodemque tempore sine perturbatione pluribus negotiis conficiendis par esset. Memini me audivisse ex viro gravi et docto, cui aditus fuerat ad Mariam Augustam per

aliquot annos, illam saepius epistolas scripto consignasse, atque inter scribendum perpetuos de rebus gravibus sermones cum praesentibus communicasse, qua in re certe non Aureliae tantum Caesaris matri, sed ipsi adeo Caesari se aequiparavit. In ipso autem educationis negotio tractando summam adhibuit solertiam ac sollicitudinem, nec solum diligenter curavit, ut filius Princeps rite atque apte institueretur, sed ipsa quoque studiorum atque morum magistram se praebuit. os filii tanquam altera Cornelia finxit, inprimis autem pectus illius subtili honestatis sensu et intimo religionis amore ac reverentia implere omni opera conata est. A tali tantaque matre cum formaretur Carolus, quantum brevi profecerit, dici vix potest. — At excellentem hanc matris institutionem felicissima quoque indoles filii mirifice adjuvit. Tam verum est, quod Horatius canit: fortes creantur fortibus et bonis, nec imbellem feroces progenerant aquilae columbam; et quod statim addit: „Doctrina sed vim promovet insitam rectique cultus pectora roborant." Inerat certe a natura Carolo summa percipiendi facilitas, ingenium acre, judicium rectum atque subtile, denique memoria non solum capacissima, sed omnium, quae perceperat, tenacissima, cujus etiam facultatis ad ultimum tempus vix imminutae tot tantaque edidit documenta defunctus Princeps, quae admirationem facerent omnibus.

Accedebat his naturae virtutibus praeter usum et exercitationem magna juvenilis industria, cujus luculentissimus testis est liber virtutum propria Caroli manu scriptus gallica lingua, quem Bibliotheca ducalis possidet, et in per-

petuam memoriam asservat. Corporis habitus ab initio infirmior continuis postea et convenientibus exercitiis ita corroboratus est, ut Carolus nullis fere morbis esset obnoxius, vegetamquevaletudinem ad ultimos usque aetatis annos retineret. Haec itaque bona animi et corporis augebantur recta et fideli institutione, qua Fiebat, ut juvenis Princeps intra brevissimum tempus in omni ſtudiorum genere magnos et egregios faceret profectus. Omnia etiam exercitia corporis artesque honestas, et inprimis Musicam felicissime tractavit, et in linguis addiscendis diligentissime optimoque cum ſuccessu versatus est. Namque inter veteres linguas latinae ſufficientem, inter recentiores autem gallicae atque italicae plane exquisitam facultatem ſibi comparavit, multis postea peregrinationibus auctam atque confirmatam. Nunquam tamen patrium ſermonem neglexit aut aspernatus est, ſed ſpreto aliorum Principum more, qui patriam linguam ex aulis proscripserant, jura ejus vindicavit, et in colloquiis aulicis cum peregrinis etiam legatis, ſi Germani essent, patrio ſermone, eodemque ſcite et eleganter usus est.

Inter haec adolescentiae ſtudia, in quibus Carolus cum ſummo fructu versatus erat, annum aetatis decimum quartum attigit. Et jam ſic profecerat, ut ad consummandam educationem cum optima ſpe ad exteros deduci posset.

Igitur hoc tantum curabant Mater prudentissima, et qui tum erat, Dux Administrator Olsnaensis, ut filius pupillus in talem aulam deferretur, in qua non modo ad gubernandi artem optime posset erudiri, ſed vivas etiam imagines omnium, quae Imperantem decent, virtutum coram intueretur. Placuit

itaque, ut cum Serenissimis Fratribus in aulam Berolinensem tanquam ad amplissimum Gymnasium mitteretur, ibidemque in artibus, quae ad rempublicam gubernandam spectant, sub augustissimo Praeceptore tirocinium faceret. Summum illius aulae decus erat Rex ipse Fridericus secundus, cujus imperatoriae virtutes jam tum temporis, quum vix unum annum regnasset, sic effulserant, ut totius Europae oculos in se converteret; sed praterea quoque, quod facile est conjectu, aula Berolinensis sub auspiciis tanti Regis non solum doctissimis et politissimis hominibus, sed omnibus etiam literarum subsidiis et adjumentis affluebat. Hac egregia fortuna ita usus est Carolus, ut post biennium ex commoratione berolinensi eximios per totam vitam fructus reportaret. Omnem quippe dedit operam, ut non lectione solum et privata institutione, sed ex colloquiis etiam ac usu familiari doctissimorum atque peritissimorum hominum ingenium pulcherrimum exornaret. Praeter illas scientias, quibus ars imperandi continetur, praecipue vacabat disciplinis mathematicis, atque in his praeceptorem habebat summum Virum Leonhardum Eulerum, cujus gratissimam memoriam semper conservavit. Hac ratione, quum nullam proficiendi occasionem praetermitteret Carolus, Friderico Regi summo juventutis suae rectori ita se probavit atque commendavit, ut Ei non solum propter morum elegantiam et ingenii felicitatem sed etiam propter singularem discendi ardorem esset carissimus. *) Nec

*) Amoris hujus et benevolentiae magni Regis in Carolum adolescentem illustre extat et luculentum specimen in lite-

Carolus tot cognitis regiae benevolentiae documentis ingratum se praebuit, sed potius Regem diligenter et officiose observavit, atque ita coluit, ut actiones suas ad voluntatem ejus plane componeret, et ab Eo futurae etiam vitae rationis exemplar sibi sumeret. Namque amor ille liberalium artium atque scientiarum, quem Carolus ad aulam Berolinensem attulerat, exemplo Regis literatissimi literarumque et literatorum amantissimi non modo vehementer augebatur, sed alia etiam, quae in hoc Rege praeclara erant, sibi imitanda esse censebat dignus ille praeclarissimi Regis alumnus. Friderici enim exemplo ad excellentissimam hanc Principis virtutem mature se conformavit Carolus, ut inter otia quoque negotiosus esset, negotiorum autem ad tempus praescriptum ordinem, nisi quid impediret, accurate servaret. Quam laboriosam et ad tempus accommodatam industriam civitati publicaeque rerum gerendarum ordini perquam salubrem quum Carolus Ipse sibi imperaret, eandem quoque ab omnibus, quorum ministerio in administranda republica utebatur, acriter postulavit, ignaviam vero ac desidiam in ministris ita aspernatus est, ut, qui male occupati essent, facilius ferret, quam qui turpi otio torperent. Inter has generosas occupationes in aula regia biennium effluxerat Carolo annum aetatis decimum sextum tum agenti; et quum jam reditus in patriam pararetur, Rex Fridericus alumnum suum, quem plurimis expe-

ris regiis ad Carolum ante discessum berolinensem datis, adjunctisque huic epistolae monitis. Vid. Spitlers Göttingisches Magazin I. B. p. 683—689.

rimentis jam maturum imperio capessendo cognoverat, aliter dimittere noluit, nisi ut cum reditu in Ducatum regimen simul auspicaretur. Sed cum aetas obstaret, Fridericus Ipse literis datis Imperatorem Carolum septimum exoravit, ut Carolo, quantumvis admodum juveni veniam, quam vocant, aetatis gratiosissime concederet. Nec Imperator precibus regiis defuit, sed reputatis insuper illustrissimis Serenissiae Domus Wirtembergicae meritis, ipsiusque Principis Iuvenis virtutibus clarissimis veniam aetatis lubentissime concessit. Ceterum nec deerant exempla tum peregrinorum, tum domesticorum etiam Principum, qui Caesarum beneficio, quamvis aetatem virilem nondum ingressi essent, tamen ad imperii gubernacula accesserant. Ita quidem ex Serenissimis Ducibus Wirtembergicis Ulricus eodem decimo sexto aetatis anno indulgente Maximiliano Caesare imperio admotus est, ex recentiori autem aevo Duces Eberhardus III. et Eberhardus Ludovicus, aetatem Caroli nostri parum transgressi, (quippe alter decimum octavum, alter decimum septimum annum agebat,) ad publicum regimem pervenere. Sed is tamen proprius Carolo honos fuit, quod intercessione maximi Regis et perspicacissimi ac justissimi ingeniorum exploratoris hanc a Caesare veniam impetraverit.

Sic Carolus accepta aetatis venia statim edicto publico mense Februarii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti promulgato subditis imperium sibi commissum significavit, nec ultra moratus in aula Berolinensi inter luculentissima regiae amicitiae signa ad penates rediit, Stuttgartiamque die Mensis Martii decimo acclamantibus undequaque et bene precantibus civibus ingressus est.

Jam vero Carolus Princeps, inchoato regimine et sacramento a subditis recepto in eo se fastigio collocatum videbat, unde ipsius virtus clariori lumine poterat enitescere. Quapropter, ut in primordiis imperii statim ostenderet, artem gubernandi non ex annis aestimandam, et juvenem quoque parem esse magnis negotiis sustinendis, fortiter juvenilem animum ad res publice gerendas applicuit, omnemque operam dedit, ut negotiorum reipublicae ordinem non cognosceret saltem, sed sic etiam administraret, ut rationibus omnia, autoritati vel gratiae nihil tribuisse videretur. Ad exemplum quippe Regis, quem juventutis magistrum venerabatur, ab initiis suscepti imperii hunc induebat morem, nunquam posthac omissum, ut de rebus ad rem publicam spectantibus Ministros regiminis consuleret quidem, eorumque consilia attente audiret; deinceps autem ipse statueret atque decerneret, nec autoritatem sive dignitatem Principis cum aliquo communicaret, sed Ipse solus regnaret. Haec autem rerum gerendarum scientia propter diuturnitatem imperii longo usu atque experientia firmata sic ex tempore crevit, ut nihil inveniretur tam anceps atque intricatum, quod Caroli acumen haud penetrasset, nihil incideret tam difficile atque impeditum, quod mens et sagacitas haud expedisset. Huic negotiorum tractandorum scientiae adjungebat se mira in cognoscendis hominibus perspicacia, diligensque ministrorum, quorum opera utebatur, delectus, sic, ut raro falleretur, et quo quemque loco reipublicae utilissimum fore sciebat, in eo collocaret.

Tanta porro erat in Carolo ingeniorum regendorum

...as, ut, quicquid vellet, facile a quovis impe-
...x sua voluntate quolibet etiam invito utere-
e-has virtutes omnes, quas leviter tantum de-
...us, referebat jam oris habitus, aperta frons, ignei
statura neque gracilis neque obesa, firmus denique erec-
...t facilis incessus. Ceterum severitatem oris grata quaedam
...unditas et comitas temperavit, sic ut nemini metum aut
verecundiam sine amore, nec amorem sine verecundia inspi-
raret, et in summa humanitate Principis tamen atque Domi-
ni dignitatem retineret. Ignoscite, Auditores O. O. spec-
tatissimi! si, cum ad gubernationem Caroli pervenerim, ora-
tio mea deflexisse a proposito vobis videatur. Vellem equi-
dem privatas vitae rationes Caroli universamque rerum ab
Ipso gestarum seriem singulatim Vobis recensere; sed quo
pacto ego possem infinitatem hanc rerum per dimidii seculi
decursum gestarum angusta oratione complecti? Igitur,
cum facta Caroli jam in animis Vestris tacitos quidem sed
pulcherrimos habeant commentarios, mihi satis sit, si Vobis
imperfectam quidem sed veram imaginem Principis deside-
ratissimi exhibuero, Ejusdemque illustria maxime merita
in artes et scientias simplici oratione exposuero. Et
primum quidem, quod ad artes, quas pulchras vo-
cant, attinet, nemo est, qui nesciat, eas omnes et singu-
las a Carolo primum in Wirtembergiam fuisse invectas,
et ad summum perfectionis gradum deductas. Facies ar-
tium pulcrarum olim in patria tristior, sub Carolo statim
laetissime coepit efflorescere, sic ut nutu quasi cujusdam
Dei ex Boeotia Arcadiam, dein Atticam excitatam dixeris.
Affluebat aula Caroli per complures annos excellentissimis

omnis generis Artificibus, Musicis, pictoribus, statuariis, sculptoribus et Architectis, ludorum autem et spectaculorum luxu et magnificentia cum splendidissimis Europae aulis certabat. Quae omnia, quanquam magnopere sumtuosa tamen honestas ad recreandum animum oblectationes afferebant, efficiebantque, ut magna subinde multitudo peregrinorum ad nos confluеret, quorum pecunia nostrorum hominum quaestus mirifice augebantur. Sed ex his artium pulchrarum quasi certaminibus ea maxime manabat utilitas, ut apud nostros etiam sensus pulchritudinis omnis acueretur, qui magnopere salutaris esse solet ad alendam humanitatem et ad majorem morum elegantiam efficiendam. Fervidum autem illud Caroli studium in artes pulchras cum jam vehementia ingenii et aetate juvenili aleretur, magis adhuc accensum est itineribus in Italiam sedem pulcherrimorum artis et naturae operum susceptis. Quum enim in illa tellure praeclarissima naturae atque artis opera oculis lustrasset, magnorumque varii generis Artificum usum ibi habuisset, multos ex his ingentibus salariis conductos secum in patriam reduxit, ut pereos in sua quoque ditione, quantum fieri posset, Italae artis opera repraesentarentur. Neque tamen is erat Carolus, qui deliciis istis, quas undique conquirebat, segniter frueretur, sed voluptatis quoque fructum ad industriam traducens in apparatu spectaculorum summos adeo Artifices non solum inventione et ingenii fecunditate sed apta quoque et congrua dispositione vicit. In Musica praesertim, quantum praestiterit Carolus, exinde manifestum est, quod symphoniacis suis, exquisitissimae artis hominibus Ipse clavicymbalo saepius praeiret, modosque eorum regeret.

Jam quid Architectura Carolo debeat, vix opus est, ut copiose depraedicem, cum quivis sciat, et intelligat. Primum enim novum Palatium ducale, regnantis familiae domicilium in hac nostra metropoli, inchoatum jam tum, cum Carolus adhuc sub tutela esset, sub auspiciis Principis exstructum est; cujus dimidia pars, cum Anno post millesimum septingentesimum sexagesimo secundo tristi incendio deleretur, postea quidem sic est instaurata et contecta, ut incendii vestigia non amplius referat, nondum tamen consummata et habitabilis. Idem Princeps noster in diversis patriae regionibus tum oblectationis tum utilitatis causa complures villas magnificas et amoenas exstruxit, in quibus aedificandis non commoditatem sed difficultatem potius locorum sequebatur, parum contentus, nisi et naturam vicisset. Inter has eminet villa ista et situ peramoena (namque ex ea in inferiorem partem Ducatus latissimus est prospectus,) et aedificiis atque hortis magnifica, in qua Carolus fundamenta Academiae suae postmodum jecit, et quae a prisca loci natura (erat enim regio silvis horrida aspera et confragosa) Solitudinis s. Eremi nomine appellata est.

Alterum est Hohenhemium praedium excellens rusticum, quod Principi nostro ita in deliciis erat, ut jam multo ex tempore cum dulcissima Conjuge Francisca perpetuam illic habitationem faceret, et ex strepitu negotiorum publicorum inter otia ruris ibidem conquiesceret. Id praedium situ saluberrimum atque amoenissimum in exteriori ambitu magnam agrorum et pratorum copiam continet; interiori autem praeter alia aedificia satis ampla et magnifica

arcem amplissimam et magnificentissimam includit, plures praeterea hortulos, alios quidem stirpibus Wirtembergicis, alios autem ordine quodam systematico plantis exoticis ex parte rarissimis et pretiosissimis consitos, viculum denique, quem vocant anglicum, sparsis hinc inde aediculis vel propter antiquitatis speciem, quam referunt exstructae ad similitudinem monumentorum Romae extantium, vel propter formae elegantiam et varietatem placentibus, interjectis undique parvis viridariis. Uno verbo, qui locum hunc jucundum et amabilem semel viderunt, non mirabuntur, Carolo sic placuisse illud domicilium, ut in eo mori voluerit.

Sed jam nobis etiam est dicendum de singularibus Caroli meritis in literas et scientias, quae, quo illustriora sunt, eo etiam sunt graviora omnique laude majora. Neque enim satis habuit Carolus, in tuendis atque protegendis literis et literarum officinis Principis officium explere, sed proprio quodam patrocinio et paterna veluti cura cujuscunque generis disciplinas complexus est. Videbat Princeps acutissimus, nullam rempublicam florere sine literis, literarum vero studia, nisi a Principibus foveantur, frigere. Praeterea etiam cognoscebat, Principis gloriam nulla re verius illustrari, quam scientiarum atque eruditionis patrocinio. Quapropter, cum ab ineunte aetate literas adamasset, veraeque gloriae esset cupidissimus, insuperque animadvertisset, scientiarum culturam in aliis quoque terris indies augeri, in hanc unice curam incubuit, ut nostrorum quoque ingenia honoribus et praemiis propositis accenderet ad scientias melius excolendas liberaliusque tractandas, Wir-

tembergiaeque fuae novam ex literis famam conciliaret. Ita fub Carolo vero Musagesa non Periclis folum aetatem, fi artes fpectentur, fed Ptolemaeorum quoque et Augusti tempora restituta vidimus. Nec vereor, quemquam huic fententiae contradicturum, quando reputaverit, praesenti aetate non utilissimarum folummodo rerum fcientiam apud nostros crevisse, fed ad multo plures etiam manasse; aut cum ubertatem domesticorum clarissimorumque ingeniorum, quae nostra aetate vel patriam vel exeras regiones et Academias ornant, cum priorum temporum penuria comparaverit.

Verum, ut per partes eamus, quem Vestrum Auditores O. O. H. fugit, quam fingulari cura perantiquam nostram patriam Universitatem Tubingensem Carolus amplexus fuerit, quanta in eam ornamenta congesserit? Primus enim Carolus ex Serenissimis Ducibus regnantibus anno post millesimum feptingentesimum fexagesimo feptimo fummum regimen Academicum perpetuum in fe fuscipere dignatus est, atque ex isto tempore non folum comitia prorectoralia, quae ibi bis per annum habentur, frequentissima fua praesentia illustravit, fed etiam, ut plane nihil ex officio Rectoris Magnificentissimi remitteret, a fingulis Prorectoribus atque a Senatu academico per intervalla temporis de ftatu et frequentia Universitatis, de ftudiis ac moribus, delictis atque poenis Studiosorum, et de omnibus in genere, quae falutem Academiae fpectare videbantur, per literas ad fe referri voluit. Sic per Carolum communicatis cum Senatu academico consiliis novae et falutares leges academicae latae funt, quibus praecipue pestilens illa et perniciosa duellorum consuetudo gravibus poenis est abrogata. Sed ut praesens

etiam academicum ſtatum curatius cognosceret, rationibusque tum Docentium tum discentium coram provideret, diutius nonnunquam Tubingae commoratus est. In his commorationibus nihil praetermisit, quo pro ſalute ac flore Academiae ſtudium ſuum declararet, Professores in fide officiorum fortissime retineret, Studiosos autem ad industriam et ad ſervandam morum honestatem compelleret. Publicis quippe praelectionibus etiam extra ordinem institutis, disputationibus, Orationibus reliquisque Actibus academicis ſic interfuit Princeps ſolertissimus, ut totos dies in Auditoriis consumeret, omnibusque admirabile assiduae auditionis exemplar esset. Praeterea ad exploranda et excitanda Studiosorum ingenia, declamationes frequentes instituit, easdemque patienter et assidue audivit, multos etiam publice laudavit. At Ipse etiam Princeps multas in publicum orationes habuit, in quibus Docentes non modo ad fidem in officiis retinendam, ſed discentes etiam tum ad ingenium diligenter excolendum tum ad morum elegantiam gravissimis verbis cohortatus est. Ceterum ſtudiosos ſumma etiam humanitate tractavit, et interdum comiter allocutus est, omnibusque, nisi quos mali mores excludebant, in aula ſua, quamdiu Tubingae commoraretur, honestas voluptates concessit, Senatum autem et Professores ita coluit, ut plures ex eorum numero quotidie convivio exciperet, atque inter prandium eruditos ſermones cum illis consereret. Tanta cura cum prosequeretur Academiam Tubingensem, hunc etiam honorem addidit, ut nomen ſuum cum nomine primi Conditoris copulari, Academiamque Eberhardino-Carolinam nuncupari vellet. Cum vero ad

annum millesimum septingentesimum septuagesimi timum tertius instaret, ab Academiae primodiis dies secularis, non modo Serenissimus Princeps praescri rimoniarum ordine operam dedit, ut sacra haec s rite peragerentur, sed Ipse quoque laetus festos ho cum magnifico comitatu Tubingae celebravit, Acad que novis per istos dies ornamentis amplissimisque bus cohonestavit. Peculiarem vero et paternam vers gessit Serenissimus Princeps Stipendii Theo Tubingensis, eorumque, qui in hoc celebri seminario ad ecclesiae ministeria praeparantur. ille, dum Tubingae esset, Collegium hoc invisit, phisque exercitiis stipendiariorum et locis theolo terfuit, quoties domum inspexit, ut, quibus commoc beneficiarii possint juvari, videret, easdemque pro quoties ibi congregatos Stipendiarios adstantibus I ribus meditatis verbis admonuit, reputarent grav religionis munus, cui dicati sint; morum severitate didatis Theologiae dignam induerent, theologica studia, toto pectore amplecterentur, ut aliquando de patria bene mereantur; quoties denique probos et d publice collaudavit, praemiisque liberalissimis auxit autem atque desides clementer corrigere et ad fruge care annisus est? Cum vero non multo abhinc nova Statuta ab Illustri Consistorio nostris tempor commodatiora ferrentur pro Stipendio Theologico b. defunctus Princeps solicite monuit, ne, siquid e severitate axandum vel foret, ex altera parte daretur nostrae aetatis licentiae. Nec minori p

Carolus etiam claustrales ſcholas complexus est, in quibus adolescentes ecclesiae ministerio destinati prima ſcientiarum tirocinia faciunt. Namque et has ſcholas Princeps ſaepius Ipse visitavit, mores alumnorum inspexit, ſtudia eorum et ingenia variis tentaminibus exploravit, eosque, qui doctrina, moribus atque industria prae aliis ſe commendarent, admodum lautis praemiis affecit. Nec vero mirabimur, rectam futurorum Ecclesiae ministrorum institutionem Carolo tantopere curae fuisse cordique, generosa Principis indole penitius inspecta. Namque praeter illum reverentiae ſensum erga omnem religionem, quem ab ineunte aetate conservarat, recte ſibi persuaserat Carolus, civitatum rationes ita esse copulatas cum religione christiana, ut illa tanquam ultimo fundamento nitantur, adeoque ex recta illius institutione ſalutem ordinemque civitatis et publicam tranquillitatem praecipue pendere. Quantus autem et quam efficax fuerit iste ſensus religiosus in Carolo, unicum probat exemplum ſatis illustre. Quum enim Princeps annum quinquagesimum attigisset, ipso die natali edictum promulgari jussit a ſacris cathedris, in quo de praeteritis per humanitatem admissis ingenue ſatebatur, de futuris autem egregie promittebat. At idem ille ſubtilis ſensus tam erat liberalis, ut nihil magis aversaretur Carolus, quam religionis intolerantiam. Ipse enim, quamvis confessioni catholicae addictus, religionem tamen, quae per Ducatum floret, publicam Lutheranam minime ſprevit, nec juribus illius per pacta firmatis quidquam derogavit, ſed eam ſuspexit potius, ministrosque ecclesiae patriae dignos et meritis venerabiles comiter et benevole habuit. Quin adeo

non dubitavit, si res et occasio ferrent, publicis religionis nostrae cultibus adsistere, nec precibus quoque communibus, si adesset, communique cantu abstinuit. Illustrissimum vero et ad omnem aetatem memorabile documentum liberalis istius sensus, qui Carolo de rebus ad religionem pertinentibus inerat, hoc est, quod Ecclesiam adeo Evangelicam aedificaverit, suisque sumtibus Ipse dotaverit. Cum enim incolae pagi Birkacensis, qui pagus praedio Hohenhemiensi proxime adjacet, dudum quidem sed frustra in Votis habuissent, ut ipsis propria Ecclesia proprioque Pastore frui liceret, Princeps munificus huic desiderio lubens Ipse satisfecit, nec solum Ecclesiam cum habitatione pastoris satis commoda suo aere aedificavit, vasisque sacris admodum pretiosis eam instruxit, sed ad praestanda futura onera hanc a se fundatam sacrisque caerimoniis Ipso praesente inauguratam Ecclesiam larga etiam dote juvit, Pastoremque novum amplo insuper salario ex suo fisco auxit.

Vidimus hactenus indefessam Principis b. defuncti in conservandis atque protegendis publicis patriae scholis solicitudinem. Ne quis autem putet, cum Gymnasii nostri hactenus nulla fuerit injecta mentio, illustrem hanc scholam a Carolo de recta institutione atque educatione juventutis tantopere merito penitus fuisse neglectam.

Namque, ut taceam de honore ac benevolentia, qua Professores etiam hujus scholae affecit, quum illos per complures annos ad publica examina annua Academiae suae militaris cum Professoribus Tubingensibus evocasset, quibusdam etiam ex nostris docendi partes in Academia

ſua commisisset, ſuum quoque erga ipsum hoc Lyceum ſingulare patrocinium ſolemni occasione ſatis luculenter testatus est.

Cum enim anno hujus ſeculi octogesimo ſexto Gymnasium nostrum primum orbem ſecularem explevisset, Princeps generosissimus ad ſuum quasi munus pertinere existimavit, curare, ut ſacra ſecularia ſcholae ab Avo illustrissimo conditae piis atque festis cerimoniis peragerentur. Quapropter, cum dies ſacrorum esset definitus, et cerimoniae praescriptae ad festam hanc panegyrin, non ſolum ex omnibus Collegiis Cancellariae et ex utraque Academia Patriae legatos misit, ſed Ipse etiam ſplendido comitatu cinctus Orationi jubilari interfuit. Neque vero optimus Princeps isto honore ſe continuit, ſed nummum etiam, quem vocant, memorialem in hanc ſolemnitatem jubilarem excudi curavit, ſua atque Avi imagine insignitum, et praeterea ejusdem Avi effigiem coloribus depictam cum ſua donavit, quam oculis nostris in hoc Auditorio expositam non ſine gravissimo dolore nec ſine vehementissimo Principis, quem refert, desiderio hodie intuemur. Sed ut munificum etiam ſe ostenderet, novum et exquiſitum apparatum instrumentorum physicorum et mathematicorum usibus Gymnasii publicis destinavit; quo lauto atque utilissimo munere ſempiternam Sui memoriam b. defunctus Princeps apud nos reliquit.

Venio nunc enarratis Caroli meritis in prisca patriae instituta literaria ad magnificam illam et quasi domesticam Principis ſcholam, eo minus hoc loco praetermittendam, cum in illa condenda, exornanda atque augenda defunctus Princeps ardens

ſuum in artes et ſcientias ſtudium illustrissimo exemplo declaraverit. Fervidum enim illud ſtudium Caroli nondum videbatur ſatiatum, ſi reliquas patriae ſcholas fovisset, et ornasset, nisi propriam quoque et peculiarem condidisset ſcholam, cujus non ſolum esset Autor atque Conditor, ſed Pater etiam et Paedagogus. Haec ſchola a parvis initiis profecta, cum brevi ſtatim proſperos haberet ſuccessus, a Conditore paulatim ſic est aucta et ampliata, ut omnium artium et ſcientiarum universitatem, ſi theologica ſtudia exceperis, complecteretur. Prima illius fundamenta jecerat humanissimus Princeps in villa, cui Solitudinis nomen est, anno hujus ſeculi ſeptuagesimo primo; eodem, quo ingens tum fames totam patriam pervaserat, ut ſimul privato quoque ſumtu ſubveniret et prospiceret infimorum calamitati, ipsa vero ſchola Seminarii militaris nomine primum insignita intra tam angustos limites consistebat, ut nonnisi pauperum militum aliorumque mercenariorum hominum filii in ea alerentur, nec aliud quid quaereretur primis initiis, quam artium, quae militiam, hortorum curam, aliaque vilioris generis artificia ſpectant, tractatio cum urbanitate morum conjuncta.

Sed aucto mox alumnorum numero, inter quos multi erant et nobiles et honestiore ſaltem loco nati, jam artibus adjungebantur linguarum et ſcientiarum ſtudia; ipse vero Carolus, qui mediocria ſpernens natura ad ſumma quaevis nitebatur, jam tum altiora ſpectabat. Ita crescenti in majus ſcholae nomen Academiae militaris inditum, vel quod plurimi tum alumnorum militum filii essent et ad militiam educarentur, vel quod militaris discip-

linae feveritate omnia regerentur. Ea disciplina pruden-tissimo Principis consilio constituta, quamvis a multis car-peretur, plurimis tamen indigenarum atque exterorum fic placuit, ut filios fuos aut pupillos non militiae, fed aliis vitae generibus destinatos in hanc Academiam certatim mitterent. Namque, cum ex una parte liberales et hone-stas recreationes alumnorum minime excluderet, ex altera parte eam insignem habebat vim, ut aliorum illiberalita-tem levitatemque fortius corrigeret, pravitatem aliorum coërceret. Sed eadem haec fevera et militaris disciplina rectam quoque curam corporis, quam in educationibus privatis atque publicis nimium neglectam viderat Princeps, mirifice adjuvit, ad munditiem et ad exercitia corporis rite tractanda, quae fanitatem ac firmitatem corporis tanto-pere tuentur, alumnos adsuefecit, denique accuratius de-scripto ftudiorum ordine, cum otia occupationum varie-tate quaererentur, et ad tempus praestitutum omnia agen-da essent, ad constantem industriam alumnos excitavit, atque ita ad celeriores etiam et feliciores in fcientiis pro-fectus multum valuit. Neque etiam haec feverior et mi-litaris disciplina, cui adstricti erant praeter illos, qui Mili-tiae destinabantur, omnes Academiae alumni et ftudio-si, et quae eo valebat, ut nullo tempore et loco alumni fine Ephoris militaribus essent, quidquam offecit cultiorum morum liberalitati, cum illa feveritas temperaretur multis et honestissimis aulae oblectamentis, ad quae aditus pate-bat alumnis maxime autem continua et fere quotidiana Prin-cipis praesentia, qui, cum Patrem fe ferret alumnorum, fcholamque reputaret veluti Familiam fuam, hunc etiam

ſibi imposuerat morem, ut prandiis coenisque alumnorum ſaepissim interesset, atque inter mensas obambulans blandis hinc inde alloquiis eorum animos permulceret. Ad hanc quam nominavimus, militarem disciplinam hoc etiam pertinebat; ut ad Principem puotidie referri necesse esset de ſtudiis ac moribus alumnorum, Ipse deinceps ſtatueret vel poenas dictans, vel praemia decernens. Cum praeterea moris esset Principi humanissimo coenare cum Professoribus, Ephorisque militaribus in academico coenaculo qui in diem ſervato quodam ordine inuitabantur ad coenam ducalem, is etiam honos adjectus est alumnis, qui ſtudiis aut moribus ſe probaverant, ut per vices quotidie ipsis quoque epulae pararentur in coenaculo Principis, liberumque esset, inter coenandum de rebus utilibus atque eruditis inter ſe disputare familiariter, liberisque Sermonibus et colloquiis certatim ingenium acuere. Addidit Princeps juvenilium ingeniorum acutissimus aestimator examina quoque annua tanquam ingeniorum publica certamina, et magnifica praemia, quibus ad ſectandam morum probitatem et ad diligentiam in ſcientiis addiscendis eo fortius pertraherentur alumnorum animi. Ita quidem hic Princeps omne fere tempus a negotiis publicis vacuum tribuens Academiae ſuae, in illa tanquam habitarevisus est.

Quum vero haec Academia anno hujus ſeculi ſeptuagesimo quinto Stuttgardiam esset translata, commoditates illius hac loci mutatione ita ſunt auctae, ut jam utilitate cum reliquis Academiis certaret, ſplendore magnificentia et celebritate omnes vinceret. Confluebant quippe ad hoc ſacrarium Musarum juvenes exterarum nationum et remotis-

simarum regionum mira frequentia, neque solum eo consilio, ut scientias addiscerent, sed ut in hoc Caroli seminario ad omnem quoque morum honestatem informarentur. Si vero spectemus artium et scientiarum ambitum et complexum, quae ab optimis praeceptoribus in hac schola tradebantur, is certe tantus erat, ut scholae Carolinae nihil nisi nomen et privilegia Universitatis deesse viderentur. Atque ut hunc etiam fructum ex assidua sua cura reportaret Princeps, divina voluit providentia. Contigit quippe et Carolo et Academiae suae is honos, ut anno hujus seculi septuagesimo septimo Augustissimus Imperator Josephus II. hanc scholam inviseret, illiusque instituta laudaret, postea vero ad publica examina legatum mitteret, qui penitius ea cognosceret, denique anno hujus seculi octogesimo primo sub finem Decembris misso Caesareo diplomate jura et privilegia Universitatis eidem Scholae gratiosissime concederet. Quae omnia, uti ad splendorem et celebritatem Academiae Carolinae erant amplissima, utilitati certe ejusdem pro patria nihil derogabant, quam quidem latissime patuisse, nemo facile negabit, nisi qui de ipsa artium et scientiarum utilitate dubitaverit. Cum enim in patria nostra artes olim quasi sepultae jacuissent, Carolus Academia sua condita illas in vitam vocavit, oblectamenta vitae auxit, et subtiliorem pulchritudinis sensum, qui ad humanitatem proxime spectat, in multorum animis excitavit; praeterea etiam plures omnis generis Artifices haud mediores, quin adeo tales finxit, qui nostri Principis aulam nunc ornant, et praeclarissimis operibus sibi ipsis patriaeque ingentem famam pepererunt. Nihil jam dicam de insigni quaestu, et utilitati

bus pecuniariis, quae per plures annos e confluxu nobilissimorum ditissimorumque juvenum ex omnibus paene Europae regnis in hanc Academiam redundarunt ad Metropolin nostram, universamque patriam! Sed quid dicam de augmentis scientiarum in ipsa patria nostra, quae eidem Carolinae debentur, deque liberaliori earum tractatione? Quis nescit, in hac Academia praeter studia humanitatis et alias, quas vocant, scientias, plures quoque disciplinas fuisse traditas et excultas, quae antehac apud nos prorsus erant incultae quamvis ad emolumenta reipublicae plurimum eas conferre in confesso sit? Ad illas disciplinas referendae sunt scientiae militares et inprimis scientiae, quae vocantur, camerales, s. illae, quae vel circa principia publicae administrationis versantur, vel de recto modo reditus publicos repetendi, rationesque eorum subducendi praecipiunt, quarumque subtilis et accurata cognitio in quavis republica bene constituta gravissimi est momenti. Quem porro fugit, hanc in Academia Carolina vigentem culturam plurium scientiarum non solum ad soliditatem amplificationemque eruditionis profuisse, sic ut utilissimarum rerum cognitio ad plures hominum classes atque ordines, rudiores antehac, propagata fuerit, sed ex ea quoque natam fuisse meditatam diligentiam et liberaliora de nexu atque pretio scientiarum inter se cohaerentium judicia; quis nescit, eandem culturam eo paulatim valuisse, ut multi officialium, quibus olim satis fuerat, si res suas ex more solito citra erroris vel culpae periculum egissent, nunc inciperent, ex principiis officiorum suorum partes administrare, easque ad rationes theoreticas propius revocare? Quis denique ignorat, per-

multos, qui jam publicis, partim gravissimis muneribus cum magno et insigni fructu patriae funguntur, in illa Academia ab ineunte aetate fuisse educatos atque institutos? Quae omnia rite et absque partium ſtudio ponderata non modo utilitatem hujus ſcholae egregiam demonstrant, ſed luculenter etiam oſtendunt, Carolum in condenda, ornanda et augenda hac ſchola multo magis utilitatibus Patriae, quam ſuae gloriae consuluisse. Sed aliud adhuc atque immortale ſtudii ſui in artes et literas monumentum reliquit Princeps b. defunctus, Bibliothecam quippe et numero et delectu librorum instructissimam, clarissimisque aliarum provinciarum bibliothecis aequiparandam. Hujus quidem Bibliothecae, Ludovicopoli anno hujus ſeculi ſexagesimo quinto conditae, initia fuere parva, cum vero decennio post cum Academia militari reliquaque Principis aula Stuttgardiam esset translata, liberalissimis Caroli ſumtibus paulatim et tantam excrevit molem, ut jam locupletissima omnium ſcientiarum ſubsidia, tantumque librorum numerum contineat, cui ſpatiosissimum aedificium vix ſufficit. Prima et insignis accessio facta est post translationem Stuttgardiensem, cum plures bibliothecae publicae, quae antea Stuttgardiae fuerant, in unum quasi corpus congregarentur. Ita quidem numerus librorum multis atque utilissimis libris auctus est, quamvis ex multis disciplinis multa et necessaria et utilia inprimis nostrae aetatis et exterorum Opera deſiderarentur. Igitur hunc etiam defectum ſupplevit Princeps, ſumtusque munificentissime ministravit, quibus praestantissima antiquiorum et recentiorum Opera in quibuscunque ſcientiis, ſi vel magno

pretio redimenda essent, comparata sunt. Ipse autem Princeps, cum in crebris, quas corporis literarumque causa suscipiebat, peregrinationibus permultas bibliothecas non lustrasset solum sed attente inspexisset, divinaque memoria esset praeditus, tam copiosam tamque exquisitam bibliographicam eruditionem sibi comparaverat, ut praesertim de antiquis editionibus librorum et de incunabulis Typographiae rectissime judicaret, literatissimosque saepius Antiquarios et Bibliographos in admirationem raperet. Quod studium eo valuit, ut Carolus in coëmendis atque colligendis libris non utilitatem tantum et magnificentiam, sed saepius, etiam antiquitatem et raritatem librorum spectaret, nec ulli parceret sumtui, si libros magnae raritatis praesertim ex incunabulis Typographicae artis bibliothecae suae adquirere posset. Nec vero singulos tantum libros, sed rarissimas etiam librorum collectiones multo aere redemit, inter quas praecipuum bibliothecae ducalis ornamentum est locupletissima collectio Bibliorum Sacrorum Lorkiana, quam b. defunctus Princeps ex itinere Havniensi secum reportavit. Ita quum bibliothecam suam instruxisset Carolus, non tantum curavit, ut libri in suas classes rite dispositi, suo loco atque ordine reponerentur, plenaque eorum recensio, quantum fieri posset, citissime iniretur, (quem in finem numerum bibliothecariorum auxit,) sed bibliothecam quoque usibus publicis destinavit, ne in ostentationem tantum et spectaculum comparata videratur. Quapropter non modo Professoribus Academiae suae domesticum Bibliothecae usum liberalissime concessit, sed decrevit etiam, ut Biblio-

theca binos per feptimanam dies intra definitas horas publico usui pateret.

Cum jam incidisset mentio de profectionibus Caroli, id unum hoc loco addam, plurimas earum fuo velut jure literarias dicendas esse. Namque in celeberrimis et frequentissimis etiam Urbibus, quod alii voluptatibus tribuunt tempus, id Carolus honestissimis otiis tribuebat, ita quidem, ut celebres homines atque eruditos conveniret, aut ad fe vocaret, bibliothecas publicas aliaque artium et fcientiarum facraria adiret, atque in iis perlustrandis totos dies consumeret.

Universitates praecipue germanicas faepius adiit, ut, quae ibi praeclara essent et imitatione digna, cognosceret accuratius, et, fi fieri posset, imitaretur, et in fuam (quasi domesticam Academiam) transferret. Eo fine non modo doctores publicos fumma humanitate atque comitate tractavit, et eorum praelectionibus interfuit, fed publica etiam cujusvis academiae instituta folicite inspexit. Quae Principis humanitas cum fama et admiratione ingenii conjuncta effecit, ut fingularibus etiam, dum adesset, honoribus a multis Academiis ornaretur, utque inprimis Universitas G ö t t i n g e n s i s omnium fere celeberrima Ipsum praesentem inter socios Academiae scientiarum, regiae honorarios reciperet, quem honorem fibi in consessu folemni Academiae officiosissime oblatum Princeps literarum amantissimus tanta humanitate accepit, ut fibi Ipse de hac nova cum eruditissimis ac dignissimis Viris conjunctione gratularetur.

Enarravi hactenus Vobis, A. O. O. H. illustrissimi Caroli merita in artes et fcientias et in omnem rem litera-

riam, quantum potui, verissime, sed, ut sentio, ad rei ipsius magnitudinem haud satis accommodate. Si vero reliquae Caroli virtutes mihi sint percensendae, si ea omnia persequi vellem, quae defunctus Princeps pro salute Patriae pro augendis subditorum fortunis, pro flore utilissimorum opificiorum et quaestuum, pro legibus publicis, pro juribus singulorum, pro administranda denique justitia summa et egregia gessit atque perfecit, oratio mea finem atque exitum haud esset inventura, nec dies solum deficiet, sed vires etiam meae longe essent impares huic negotio digne conficiendo.

Facile igitur a Vobis, A. H. veniam me impetraturum confido, si in his, quae jam dicta sunt, adquiescam, cum ea sufficiant ad memoriam Caroli sempiternam in omnium Vestrûm animis conservandam. Quanquam, quid opus est, commendare memoriam Principis, cujus excellentes virtutes et facta ita animis nostris sunt infixa atque impressa, ut nulla vicissitudo, nullum tempus ea possit delere; cujus merita tanta sunt, ut sua vi ad posteros perdurent, et publicis annalibus ad omnem aetatem infixa maneant. — Quaenam igitur erit digna luctus nostri de morte Caroli significatio? Non querelae, non suspiria. Scimus enim, Carolum, quamvis ejus immortalia sint merita, mortalem tamen fuisse natum. Scimus etiam, in hunc Principem atque in Ejus regimen tot tantaque collata fuisse bona a divino Numine, ut jam ante obitum beatus praedicari posset Carolus, post obitum beatissimus. Haec itaque erit digna luctus nostri significatio, si pie conservata defuncti Principis memoria in animis nostris Deo O. M. gratias agamus

devotissimas pro omnibus bonis, quae per Carolum in patriam nostram per longum dimidii seculi decursum manaverunt.

Augebitur hic gratissimi animi sensus, si cogitabimus, quam bene Deus patriae post mortem Caroli consuluerit, quum in locum defuncti Principis, cujus memoriam nulla unquam aetas delebit, voluisset succedere Fratrem Illius Serenissimum atque Dignissimum Ludovicum Eugenium, Ducem nostrum jam patris instar regnantem, qui ex diuturna vita privata omnibus virtutibus exornatissima subtilissimum sensum aequitatis, juris et veritatis ad imperium attulit, summaeque rei jam ita prae est, ut imperium suum non juribus, sed officiis tantummodo imperantis aestimare videatur.

Te igitur Deus optime maxime! uno ore supplices precamur, conserva in finibus nostris pacem auream omnium bonorum finem, quam sub imperio Caroli nobis clementer impertitus es, etiam sub mansueto sceptro Serenissimi nostri Ducis Ludovici Eugenii; corrobora Ejus vires, ut molem imperii his nostris temporibus molestissimi fortiter sustineat, conserva ac tuere Principem nostrum Carissimum cum Serenissima Conjuge et prole; et cum universa — Stirpe Wirtembergica Salvamque et Sospitem ab imminentibus exterorum procellis porro praesta patriam suavissimam usque ad seculorum omnium consummationem. Laetus ad ultimam senectutem populo suo intersit Ludovicus Eugenius et serus aliquando in Coelum redeat!

XII.

OBSERVATIONES ALIQUAE IN VETERUM GRAECORUM MYTHOS. 1794.

Fabularum seu Mythorum antiquorum naturam atque origines perscrutari, multis forsitan videbitur studium levioris momenti et prorsus jejunum; qui vero meminerit, hisce fabulis omnem vetustissimae aetatis scientiam rerum naturalium comprehendi, easque non solum praestantissimis Graecorum Romanorumque monumentis esse insertas, sed praecipuam adeo illarum partem constituere, ita ut sine accurata harum fabularum cognitione in cognoscendis atque explicandis Veterum scriptoribus ubique sit haerendum, facile sibi persuadebit, studium illud non a curiositate solum sed ab utilitate quoque vehementer commendari. Neque etiam negligendus est sensus ille voluptatis, qui, uti ex qualibet indagatione eorum, quae ab hominibus ingeniose inventa sunt, ita ex hujusmodi fictio-

num prisci temporis ratione investiganda et eruenda in animum redundat.

Veterum fabularum, quarum complexus Mythologiae nomine comprehenditur, multas variasque fuisse causas et origines, viri docti fatis fuperque declararunt. Maximam vero earum partem ex antiquissimi temporis *Mythis*, quorum vestigia et reliquiae in Homeri carminibus ac Hesiodi Theogonia reperiuntur, esse repetendam, non minus habemus exploratum. Qui quidem Mythi vetustissimi rerum cum physicarum tum ethicarum allegoricae feu fymbolicae fuerunt adumbrationes, quae nulla arte elaboratae, ex primaevorum hominum fentiendi, animique fensa eloquendi more necessario proficiscebantur.

Mythos illos a priscis familiarum ducibus primum inventos, dein Poëtarum carminibus posteris traditos cum varias mutationes fubiisse, tum ad novas fabulas effingendas materiam praebuisse, et verisimile est, et ex comparatione *Theogoniae Hefiodi*, *hymnorumque homericorum* cum *Apollodori Bibliotheca* luculenter apparet. Inprimis Poëtae, fabularum et Allegoriae in carminibus exornandis commoda perspicientes, non earum numerum folum auxerunt, fed formas etiam expresserunt varias ac diversas. Quae res deinceps rectae fabularum interpretationi haud parum obfuit, cumquae temporibus ac locis disjunctissimae essent fabulae, mirabiliter inter fe commiscerentur. *)

*) Utilissimam hac in causa operam Mythologiae praestitit Martin. Godofr. Hermann in libro: Handbuch der Mythologie 2 B. 1789, 90. Is quidem hortante Heynio rudem atque indigestam veterum fabularum molem ex epi-

Non paucas igitur fabulas ἀλληγορεῖν, ideoque ex Allegoria interpretandas esse, in dubium vocari nequit. Quemadmodum vero mentem, cum femel rei cujusdam investigandae atque explicandae ingressa est viam, intra certos limites continere difficillimum fit, fic Grammatici veteres ingenio imprudenter indulgentes in omnibus in fingulis fere fabulis ftudiose ac fubtiliter excusserunt allegorias, ideoque falsas et absurdas faepe earum interpretationes in medium protulerunt, et ad fomnia delati funt.

Interim tamen fabularum homericarum haud paucas ad Allegoriam referendas esse, jure meritoque censetur. In quarum numero illa etiam habenda esse videtur, qua *ab Apolline et Diana mortem hominibus illatam esse sagittis*, Homerus faepius refert. De cujus fabulae indole et origine uberius nunc disserere in animum induximus.

Iam primum hoc erit agendum, ut loca, in quibus fabulae istius mentio fit, diligenter collecta in medium proponamus, quo facilius illius forma constitui et perspici possit. Prima Iliados Rhapsodia v. 43 — 54. Apollinem a Sacerdote Chryse exoratum ex Olympo descendisse, totumque Achivorum exercitum fagittis invasisse relatum legimus, ita ut per novem dies in jumentis pariter ac hominibus mors grassata fuerit. Ex *morbo* vero istam cla-

---

cis et lyricis Graecorum poëtis non solum separatim ac diligenter collegit, sed collectas etiam fabulas in suas classes digessit, temporaque et locos, in quibus natae erant, accuratius distinxit, atque ita meliori mythorum interpretationi viam munivit.

dem profectam esse Homerus antea declarat v. 9, 10 his verbis:

> Ὁ γαρ Λητους και Διος υἱος βασιλῆι χολωθεις
> Νουσον ανα στρατον ωρσε κακην.

et postea hic morbus vocatur λοιμος (pestis) v. 61. 97. Nihilominus tamen ista clades v. 382. sq. diserte Apollinis tribuitur telis.

Raps. VI. v. 205. Laodamia Bellerophontis filia ab irata Diana interfecta fertur, nulla alia re addita.

Rhaps. XIX. v. 59. Achilles mala ista, quae ex contentione de filia Chrysae exorta fuerint, animo versans optat, ut Dianae telis antea periisset puella.

Ultima denique Rhaps. (XXIV.) v. 602—617 liberorum Niobes de fecunditate sua in Latonae ludibrium gloriantis caedes exponitur, qua sex illius filii Apollinis irati sagittis interfecti, sexque filiae a Diana periisse dicuntur. Ex altero Homeri carmine in censum huc veniunt, quae sequuntur:

Odyss. III. v. 278—282. Menelai gubernator gubernaculum manibus tenens Apollinis lenibus telis occiditur:

> Οἷς αγανοις βελεεσσιν εποιχομενος κατεπεφνε.

Odyss. V. v. 123, 124. Orionem ab Aurora amatum in Ortygia Dianae lenibus telis periisse legimus.

Odyss. VII. v. 64—66. Rhexenor Nausithoi filius, qui modo uxorem duxerat, Apollinis sagittis interficitur.

Odyss. VIII. v. 226 — 228. Eurytus insignis jaculator, qui Apollinem jaculando provocaverat, ab hoc interimitur.

Odyss. XV. v. 409, 410. insignis hujus fabulae locus reperitur. Ibi enim, incolas insulae cujusdam Syriae porpe Ortygiam nullo unquam morbo invadi, fed, quum fenuerint, Apollinis et Dianae lenibus telis obire narratur. Denique ibidem v. 477. mulier Phoenissa e fervitute clanculum in patriam aufugiens in navi Dianae fagittis percussa fertur. — Haec potissimum in Homeri carminibus funt, quae ad hunc mythum pertinere videntur. Posterioris aevi Poëtae cum Graeci tum Romani Homerum fecuti, ista fabula tanquam descriptione mortis poëtica et fplendidiore praecipue optativo modo ufi funt. Sic in Callimachi Hymno in Cererem v. 102, 103. Triopas de Erysichthone interfecto lamentatur his verbis:

— — — αιθε γαρ αυτον
βλητον ὑπ᾽ Απολλωνος εμαι χερες εκτερῖξαν.

Ejusdem generis exempla extant in *Apollonii Rhodii* Argon. L. III. v. 773. et in Argonauticis *Valerii Flacci* L. III. v. 321, 322.

Sedem igitur et fontem hujus fabulae in Homero esse, ex iis quae attulimus, clarissime patet. Ipsam vero fabulam fummam redolere antiquitatem, neminem fugere potest, qui naturam ac indolem fabularum homericarum accuratius cognoverit. Priusquam vero in originem hujus fabulae priscam inquirimus, declarandae erunt illius interpretationes a Viris doctis propositae. Atque omnes quidem in eo fere consentiunt, designari hac allegoria tale mortis genus, quod fequi foleat morbos contagiosos et acutos ex vehementi folis ardore, five potius ex evaporationibus calidarum ac

humidarum regionum nascentes, praecipue pestem. Liceat hic omissis aliis *Banierum* solum nominare, qui hanc explicationem eo firmari putat, quód exercitum Achivorum peste periisse, Homerus ipse declaret. Praeterea vero naturam et originem fabulae inde petendam esse contendit, quod Apolline solem denotari, hujusque radiós cum sagittis illius comparari, *) inter antiquitatis peritos satis constet. At quis est qui, cum, quae ex Homero collegimus, curatius perlustrat, non statim perspiciat, in nullum illorum locorum cadere hanc fabulae interpretationem, nisi unicum illum, quo exercitum Achivorum peste interemtum esse Homerus ipse refert? Nonne, ut reliqua omittamus, quae de insulae Syriae incolis narrantur, aperte repugnant? Hi enim nullo morbo tentantur, sed senes facti, mitibus Apollinis et Dianae sagittis percussi, decedunt.

Alia ratione fabulam explicandam esse censuit *Winkelmannus*, Vir omnis antiquitatis peritissimus, qui quidem in libro de allegoria *mortem* juvenum *praematuram* Apollinis, puellarum vero Dianae telis tribui, ac ista fabula significari affirmat. Quam in sententiam descendere haud dubitarem, ni praeter alia eadem illa obstaret Homeri de Syriae incolis narratio, quae de hominibus senio confectis loquitur. Discrepant etiam, quae de clade exercitus Rhaps I. traduntur, quam ad juniores tantum pertinuisse, nemo facile sibi persuaserit.

Reliquum est, ut, quae fuerit origo hujus fabulae,

---

*) Sic Lucretius L. I. v. 148. Non radii solis, neque lucida *tela* diei.

quaenam vera illius interpretatio, paucis exponamus. Homerum quidem fabulas, quas carminibus ipsius insertas deprehendimus, non data opera singulas effinxisse, sed antiquissimos potius mythos cum physicos tum ethicos ingeniose in suam rem vertisse nemo in dubium vocabit, qui in hanc rem accuratius inquisiverit. *) Iam ex Mythis illis prisci temporis profectus est is, quo Sol et Luna Apolline et Diana, illorumque radii horum sagittis designabantur, ita ut, quae istorum astrorum vis efficere soleret, numinum horum telis tribueretur. Variae ex hoc Mytho tanquam ex fonte prodierunt fabularum formae, inter quas insignem obtinet locum fabulosa narratio de Pythone ab Apolline interemto, cujus sedes ibidem reperitur in hymno homerico in Apollinem v. 374—378, quo ex loco, uti ex aliis recte conjicitur, mytho illo putridas et spissas exhalationes, post diluvium Deucalionis e terra natas, solis vero vi disjectas significari. Hunc itaque mythum Homerus cum ante oculos haberet, eoque ad designandas hominum mortes uteretur, nonnisi ex ingenio primaevorum hominum locutus esse videtur. Priscorum enim atque incultorum hominum indolem cum accuratius exploramus, facile reperiemus, quaslibet res novas atque inopinatas, quarum causae et origines non statim in oculos mentemve incurrerent, istorum hominum animos non tenere solum suspensos, sed

*) De hoc argumento praeclare ac vere disseruit Vir Illustris Heynius in libello inscripto: Ueber den Ursprung der Homerischen Fabeln, aus dem Lateinischen übersezt, in der neuen Bibliothek der schönen Künste und Wissenschaften.

ſtupore etiam percellere debuisse, ut earum rerum causas ad Deorum quoddam numen referrent. Quam ob rem prisci homines omnes novos, et ſingulares eventus atque casus, quorum causas ignorabant, Deorum vel Dearum cuidam tanquam Autori tribuere consueverunt. *) Iam vero quid ejusmodi hominibus magis inauditum atque inopinum videri potuit, quam ſiquis vigorem corporis prae ſe ferens nulloque morbo laborans, veloci et ſubita morte caderet, Quid ab illorum indole minus abhorret quam persuasio, ejusmodi mortem a Diis esse illatam?

Hujus itaque rei rationem habens Homerus, antiquissimo illo Mytho duce, Apollinem et Dianam mortem hominibus *subito decedentibus* inferentes effinxit, fabulamque hanc declarandae *morti repentinae ac inopinatae* qualicunque ex causa natae, ſcite aptavit.

Hanc autem istius allegoriae ab Homero frequentatae interpretationem veram esse, non opus est, ut multis demonstremus verbis, cum ea perfecte congruat cum omnibus locis ex Homero supra collectis. Sed praeterea quoque firmatur Epitheto isto ἀγανός, (mitis,) quod Poëta non temere, ſed consilio quodam Apollinis et Dianae telis addidit, et quod in ſubitae mortis quodlibet genus cadere, nemo inficias ibit. Quis enim est, qui nesciat, inter varia mortis genera illud, quo mortales nullo morbo nullisve

---

*) Ita certe, ut unico exemplo utar, morbos *epilepticos* a Diis immitti omnis antiquitas credidit, id quod ex ipso vocis etymo satis apparet. Ex eadem causa hunc morbum etiam vocabant *ἱερὸν νόσον*.

doloribus excruciati vitam propere finiunt, esse mitissimum, esse omnium maxime desiderabile? Ne quis autem putet, hanc explicationem novam esse, hoc addam, eandem jam placuisse veteribus Homeri interpretibus, inprimis *Eustathio*, qui pluribus in locis Commentariorum fuorum monet, masculorum mortem *repentinam* Apollini, feminarum vero Dianae tribui. Quae res admonere nos poterit, veterum interpretum, qui nunc fere negliguntur, autoritatem minime contemnendam esse, nec recentiores, cum ab opinionibus et conjecturis Veterum interpretum discesserint, meliora femper in medium protulisse aut vidisse rectius.

Iam vero restat, ut actum publicum gymnasticum, cujus gratia brevem hanc commentationem antiquariam praemisimus, omnibus, qui Musas nostras amant, legitime indicemus.

Producimus quippe aliquot Iuvenes bonae fpei, qui rite absoluto cursu gymnastico abitum jam parantes et ad altiora fubsellia transituri pio et antiquo more Gymnasio nostro, in quo hactenus litteris vacaverunt, publica declamatione valedicent. Nomina eorum haec funt:

THEOPH. FRIDER. STEINWEEG, *Zavelstein.* Ser. Stip. dicet de plurium linguarum cognitione inani.

IO. GUILIELM. STOKMAIER, *Weilting.* Ser. Stip. dicet de honore litteris graecis olim habito.

IO. CAR. HENR. FEZER, *Vinomont.* Jur. Stud. aget de vi coeli ad formandum poëtarum ingenium.

Denique AUG. FRID. HEYD, *Stuttg.* Ser. Stip. recensebit varias hypotheses ad explicandam Veterum my-

thologiam et adjuncta fimul gratiarum actione fuo et reliquorum Commilitonum nomine valedicet.

Hunc igitur Actum, ut Proceres et Patroni Gymnasii nostri praesentia fua exornare ne dedignentur, obsequiose et officiose rogamus.

XIII.

OBSERVATIONES IN HOMERI νεκυομαντείαν. Rhaps. XI. 1797.

Sistimus Vobis, Lectores! hoc programmate juvenum ornatissimorum coronam, qui rite absoluto cursu gymnastico abitum jam parantes sic in moribus et litteris apud nos profecerunt, tantamque laudis commendationem promeruerunt, ut non modo satis instructi ad Academiam accedere videantur, sed in posterum quoque bene et praeclare de se sperare et augurari nobis permittant. Qui quum sponte apud nos professi fuerint, servato veteri pioque more publicis orationibus Gymnasio valedicere, nec nisi edito quodam publico et ingenii et pietatis specimine ab hac schola, cui vel initia, vel incrementa literarum debent, discedere, nos quidem in indicendo hoc Actu oratorio nec lectoribus injucundum nec Auditoribus nostris inutile fore putavimus, materiam programmatis ex Odyssea homerica publicae inter-

pretationi destinata decerpere, et in rhapſodiam hujus carminis epici undecimam, quae ſingulari νεκυομαντείας nomine insignita est, aliqua commentari.

Continet hic liber descenſum Ulyssis ad inferos, eo consilio ab heroe ſuſceptum, ut Tiresiam vatem apud inferos quoque vaticinantem de reditu in patriam deque periculis reliquae peregrinationis consuleret, quam ob rem haec rhapsodia olim jam a rhapsodis, qui ſingulares homericorum carminum particulas decantare ſolebant, peculiare nomen Necyomantiae accepit. Prodigiosa certe narratio, et vix forsitan Poëtae condonanda, cui

Quidlibet audendi ſemper fuit aequa potestas;

at in carmine antiquissimo innumeris miraculis, portentis atque prodigiis referto quis mirabitur hominem vivum ad mortuos descendentem? Nihil est, quod in hac narratione offendere animum possit, ſi modo eam non ex ingenio cultiorum ſeculorum, ſed uti res fert, ex priscae aetatis infantia metiri velimus. Haec enim erat illorum temporum conditio, ut homines prisci non rationis ſed ſensuum et φαντασίας imperio ſubjecti proximas rerum causas ignorantes ipsa quasi natura ad credenda miracula traherentur, omnia daemonum vi ac numine agi, universumque mundum pandaemonium esse crederent. In hoc igitur pandaemonio, in quo omnia Deorum plena esse, Dii ſaepius inter homines agere et versari, mortui quoque vivis apparere credebantur, (quod quidem ſomniantibus ſaepius accidisse consentaneum est, cum in ſomniis visa veraque rerum atque hominum ſimulacra offerri ſibi persuaserant isti antiqui,)

quid impediebat, quo minus crederent, vivos etiam non nunquam ad mortuorum sedes descendere, mortuos autem incantationibus, praestigiis, uno verbo magicis et arcanis artibus excitari posse, et a sedibus suis evocari. Tantum igitur abest, ut Homerus miracula sua ad percellendos audientium animos, aut quod quibusdam placuit, qui prisca carmina serioribus artis praeceptis subjiciunt, ad augendam epici carminis gravitatem confinxerit, ut potius in omnibus, quae promit, miraculis ex vulgari traditione, ex fide publica et ex suo ipsius communique aetatis suae sensu locutus esse mihi videatur. Hoc etiam ex toto carminis habitu, ex nativo et infantum simplicitatem spirante dicendi genere, et ex moribus personarum agentium, quas Poëta inducit, luculenter apparet. Sic enim, cum Ulysses apud Alcinoum hospitem errores suos et prodigiosa fata exponit, qui audiunt, commoventur quidem, sed non percelluntur, enarrata prodigia tanquam assueti miraculis haud stupent, quamvis prudentiam et calliditatem herois tot prodigiis circumacti mirentur, et ab ore narrantis herois, uti mos est hominum credulorum, tam attenti pendeant, ut Ulysses narrando potius quam isti audiendo fatigentur. Quin adeo Rex ipse, conjuxque regis Arete, femina virili mentis acumine praedita (L VII. v. 67—74) tantum absunt, ut de veritate rerum ab Ulysse enarratarum dubitent, ut potius integritatem et incorruptum narrantis sermonem encomiis extollant. (L. XI. v. 361—366.). Quod autem Homerus in tractando Ulyssis descensu ad inferos non tam suo ingendo indulserit, quam potius famam atque opinionem sui seculi fuerit secutus, id quidem ex similibus veterum

epicorum et tragicorum poëtarum narrationibus vel deperditis jam vel adhuc extantibus facile colligitur, in quibus aliorum quoque et Ulysse vetustiorum heroum commigrationes ad inferos fuerunt tractatae. Noti sunt Herculis, Bacchi, Orphei, Thesei cum Pirithoo descensus. De Herculis descensu in ipso hoc Odysseae libro, de quo loquimur, notabilis est locus v. 619—625, in quo Hercules apud inferos depens Ulyssi exponit, vivum se fuisse ab Eurystheo missum in Orcum, ut canem Plutonis (Cerberi nomen et os trilingue Homerus ignorat) educeret. Alium Herculis descensum ad reducendam Alcestidem, quae vitam mariti sua morte spontanea redemerat, tractat Euripides in tragoedia Alcestide. Orphei descensum ad revocandam ab inferis conjugem Eurydicen ab antiquioribus jam poëtis tractatum retractat Virgilius in L. IV. Georgic., idem poëta magnus, qui Aeneam quoque Ulyssis coaevum ad inferos L. Aeneid. VI. deduxit, ejusque descensum ad Homeri imitationem manifeste compositum summa tamen et mirabili arte variavit. Thesei vero eum Pirithoo descensum hoc audaci consilio susceptum, ut Proserpinam Orci reginam Plutoni eriperet, teste Pausania L. 9, 31. exposuerat Hesiodus, eodemque modo in Minyade, in Νόςοις reliquisque carminibus cyclicis vetustissimae aetatis res inferas et heroum migrationes in Orcum fuisse tractatas ejusdem Pausaniae aliorumque testimonio evincitur. Ex hac frequenti unius ejusdemque argumenti tractatione apud complures poëtas priscos facile cognoscitur, omnes et singulos ex eodem fonte scilicet ex fide publica et vulgari traditione hausisse, fabulosasque suas de descensu heroum

ad inferos narrationes ad tritas et consentientes inter se opiniones et superstitiones popularium de daemonum hominumque consortiis attemperasse. Certe, si vel probari posset, reliqua omnia carmina, in quibus vivi heroes ad inferos descendunt, Homeri carminibus posteriora esse, minime tamen mihi persuaserim, ea unice ad exemplar et imitationem Homeri fuisse ab autoribus confecta, sed crederem potius, eorum autores praeeuntis Homeri vestigia eam ob causam pressisse, quod vidissent, istiusmodi narrationes simul quoque publicae fidei et traditionis autoritate niti et confirmari. Ex quo porro consequitur, ipsum quoque Homerum ad eandem normam et amussim sua contexuisse miracula, suas de rebus inferorum narrationes. — At, quaeret quispiam, cur eadem haec prodigia etiam in carminibus sequioris aetatis poëtarum, Virgilii v. c. Silii, Statii et Claudiani inveniuntur, qui cultioribus seculis vivebant, in quibus ejusmodi traditiones dudum erant obsoletae et inter mythos aut fabulas sacras relatae? Nonne mirum est, pueriles ejusmodi fabellas et inanes fictiones his etiam temporibus repeti, frequentari, epicisque carminibus magno apparatu et ornatu quodam ad speciem veritatis diligenter composito interponi, cum jam homines cultiores non dubitarent, mythologicis hisce narrationibus palam illudere, et cum Juvenali sic sentire:

> Esse aliquos Manes, et subterranea regna
> Et contum, et stygio ranas in gurgite nigras,
> Atque una transire vadum tot millia cymba,
> Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.

Sed rationes hujus rei in promptu sunt, nec longe

repetendae. Jam primum Epici romani fabulis istis antiquis hanc ob causam abstinere nullo modo poterant, quia materiam carminum ex temporibus heroicis aut ex fabulosa graecorum historia plerumque desumebant; deinde vero autoritas harum fabularum inter ludibria eorum, qui ultra plebem sapere volebant, tamen apud maximam hominum partem minime erat extincta. Repetebant quippe sanctitatem quandam ex ipsa antiquitate, habebant praeterea magnum praesidium in sacris ritibus et ceremoniis Deorum, nec ab ipsis philosophis, ut exemplo Platonis constat, multis ex causis poterant negligi aut omitti. Ab epicis vero poëtis minime poterant proscribi fabulae istae religiosae, cum in epica poësi, in qua mirabiles eventus regnant, praecipuum praestent usum. Ea enim est harum fabularum vis et natura, ut rite adhibitae et probabiliter confictae per se placeant, ut vastissimum imaginationi aperiant campum, pulcherrimas incorporearum quoque rerum imagines sistant, et ad ornatum et splendorem epicae poëseos plurimum valeant. Quapropter, cum de erroribus et superstitionibus gentilium dudum triumphasset christiana religio, gentilium tamen mythi a christianis quoque poëtis, qui epica carmina composuerunt, sunt retenti, ad actiones epicas ex recentiori historia desumtas traducti, nec raro cum christianae religionis mysteriis et miraculis inepte quidem et contra dignitatem sanctissimae religionis mixti et commissi; id quod ab Italis maxime poëtis, a Dantio, Tassono, Ariosto factum esse satis constat. — — Sed missis jam, quae ulterius in hanc rem disputari possent, redeamus ad ipsam rhapsodiam homericam, in qua descen-

sus Ulyssis ad inferos et evocatio Tiresiae describitur, et, cum jam probaverimus, Homerum semper ex genio seculi sui locutum fuisse, pro angustia paginarum breviter indicabimus ex memorabili hac Odysseae particula, quid antiquissimi homines de inferis senserint, qualemve *de statu animarum post mortem* notionem sibi informaverint. Quo pacto autem hae notiones postmodum a philosophis et poëtis fuerint exornatae et variatae, et quantopere etiam cum sententiis reliquarum veterum gentium inprimis cum Ebraeorum placitis consenserint, alio tempore, quod dabitur, excutiemus.

Jam primum esse aliquem locum, in quo mortui congregentur et habitent, cum Ebraeis agnoscit etiam Homerus Commune illud mortuorum domicilium vocat HADEN (δόμον Ἀΐδεω f Ἄϊδος (L. X. v. 511. XI. 65. 624.) et EREBUM (ἔρεβος L. X. 528. XI. 37.) In hac mortuorum sede promiscue videntur habitare defunctorum animae, si Homerum audias. Cum enim ex narratione Poëtae Ulysses sub ingressum Orci sacrificasset inferis, prodeunt ex eodem Erebo viri et feminae, virgines et juvenes (XI. 37—41.) Et quamvis postea in recensu animarum primum feminae heroum, dein commilitones Ulyssis Agamemnon, Achilles, Ajax, aliique, qui bello Trojano obierant, denique cum Minoe Orion, Tityus, Tantalus et Sisyphus separatim compareant, his tamen omnibus poëta nullibi certas et inter se distinctas sedes in Erebo assignat. Nec ullum apud Homerum reperitur discrimen inter sedes piorum atque impiorum, quas postea philosophi et recen-

tiores Graecorum et Romanorum poëtae tam sollicite discernunt. Nulla apud Homerum Tartari, aeterni carceris, quo impii coërcentur, nulla βορβόρε ineluctabilis coeni, quo animae corporeis voluptatibus deditae merguntur, mentio. Tityus quidem et Tantalus et Sisyphus, qui apud recentiores poëtas scelerum poenas apud inferos luunt, jam apud Homerum iisdem malis excruciantur, sed ea mala non tam sua culpa, quam ex odio et invidia Deorum pati videntur. Neque etiam, quam praecipuam infernalium poenarum partem recens fabula statuit, semoti ab umbris beatioribus degunt; sed Orion v. c. qui quum amaretur ab Aurora, ex ira Deorum sagittis Dianae interemptus fuerat (v. L. V. 121—124) in eodem prato asphodelo venationes persequitur, e quo etiam beatiores animae Agamemnonis et Achillis, quorum alter, cum in superis regnasset, nunc etiam apud inferos regnare dicitur, in conspectum Ulyssis veniunt. (v. 483—485. 537, 538. coll. v. 571, 572. et Rhaps. XXV. 35 sqq.) Elysiorum quoque camporum, in quibus recens fabula beatorum animas collocat, nec in hac, nec in rhapsodia XXIV. quae de rebus inferis diserte agunt, ullam facit mentionem Homerus. Unicus tantum de Elysio extat locus memorabilis in Odyss. L. IV. v. 561—569. e quo autem colligi posse videtur, ex Poëtae sententia in beatam hanc sedem vivos homines affinitate Diis conjnnctos ex singulari favore Deorum fuisse translatos. In hoc enim loco Proteus Menelao vaticinatur, eum non esse moriturum, sed in Elysium, locum amoenissimum, cujus descriptio cum descriptione Olympi, Deorum sedis totidem fere verbis conspirat, (coll. L. VI. v. 41—46.) transportatum

iri, hac addita gravi causa, quod Helenam habeat, et Jovis gener sit:

Οὕνεκ' ἔχεις Ἑλένην, καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι·

Quod attinet ad naturam et indolem loci, in quo animae commorantur, Homerus quoque ex totius antiquitatis consensu Haden describit tanquam locum sole carentem, tenebricosum, et aeterna nocte contectum, adeoque tristem et inamabilem. (Ζόφον ἠερόεντα vocat Haden v. 57. 154. et ἀτερπέα χῶρον v. 93. et mortui viventibus opponuntur tanquam carentes alma solis luce, (v. 92. 497. coll. L. XII. v. 383.) Ea propter situm ipsum Hadis Poëta reponit trans fines Oceani, a quo solem surgere ex sensuum testimonio sibi persuaserat rudis vetustas et ultra quem Cimmerii, fabulosa gens et misera sempiterna nocte involuti habitare credebantur, (v. 13—19. coll. L. XII. v. 1—4.) Hos fines Orci tanquam loci, si non subterranei, ab habitaculis viventium tamen prorsus separati curatius etiam definit Homerus L. X v. 509—515. et XXIV. v. 11—15. ubi non modo fluvios Haden cingentes, Acherontem, Pyriphlegetontem, Cocytum et Stygem nominat, (Lethen recentior addidit fabula) sed Petram quoque Leucaden, Solis Portas et Somniorum sedem tanquam Orci pomoeria commemorat. In omnibus hisce commentis, inanibus quidem, attamen inter se congruis, quis non agnoscit priscam humani generis infantiam rudemque hominum primaevorum simplicitatem ad sensus et analogiam sensuum omnia metientium? Haec qui reputat, nec infacetam, nec incongruam, sed potius bene sibi constantem reperiet Achillis apud inferos vocem, qui, cum esset ab Ulysse admonitus, mortem, quod jam apud

inferos regnet, ipsi haud esse poenitendam; callide et concinne respondet: (v. 488—490.) „aethere in alto

Nunc et pauperiem, et duros perferre labores
Mallem ego, quam semper tristem regnare per Orcum.“ Ex ipsa denique animarum (ψυχῶν) quae apud Homerum reperitur, descriptione rudis cognoscitur prisci temporis simplicitas. Cum enim animi incorporei et puri spiritus conceptum istius aetatis homines penitus ignorarent, necesse ipsis erat, animas corpore solutas ad similitudinem corporum effingere, easque pro levibus umbris et simulacris corporum viventium habere. Quam ob rem Homerus animas in Orco degentes vocat σκιὰς, ἀμενηνὰ κάρηνα, et εἴδωλα βροτῶν καμόντων, (umbras videlicet; et levia capita, et simulacra miserorum mortalium) easdem in morte avolare ex corpore somniorum instar putat, strepitumque volitantium animarum cum stridore volucrium et vespertilionum comparat. (XI. v. 221. 604. coll. L. XXIV. v. 5—9.). Sed haec hactenus. Restat, ut in indicendo Actu valedictorio nomina ornatissimorum Juvenum, qui publice sunt declamaturi, materiemque orationum breviter recenseamus. Primus itaque

LUDOVICUS STORR, *Lustnau.* Theol. Stud. verba faciet de origine bellorum, prosa latina. Alter

CHRISTOPH. FRID. MAIER, *Stuttg.* Theol. Stud. varia bellorum genera recensebit prosa latina. Tertius

JO. CHRIST. FRID. STEUDEL, *Eßling.*, Theol. Stud. mala e bellis in genus humanum redundantia exponet carmine epico germanico. Quartus.

LUDOV FRID. SATTLER, *Stuttg.* Theol. Stud. ex adversa parte bona e bellis promanantia enumerabit carmine heroico latino. Quintus.

CHRISTOPH. ERNEST. BOEKLEN, Jur. Stud. investigabit, quid judicandum sit de spe perpetuae pacis prosa germanica. Sextus denique

FRIDER. ROTH, *Vaihing.* Jur. Stud. idiomate gallico vota faciet pro pace proxima Germaniae, suoque et commilitonum nomine Gymnasio pie valedicet.

Cui panegyri ad D 26. Sept. in Auditorio majori hora post meridiem secunda publice habendae ut omnes Gymnasii nostri Fautores benevole interesse, suaque praesentia Iuvenum Oratorum studia accendere velint, decenter et officiose rogamus.

Stuttgardiae Idibus Septembris MDCCXCVII.

XIV.

QUAM MODESTE DE REGNO S. PRINCIPATU UNIUS JUDICAVERINT LIBERI ANTIQUITATIS POPULI. PROGR AD CELEBRANDA PRINCIPATUS AUSPICIA DUCIS FRIDERICI SECUNDI. 1798.

Sacramentum fidei et obedientiae, quod ante aliquot jam hebdomades, ab omnibus agri Wirtembergici civibus novo *Principi* nostro FRIDERICO SECUNDO dictum est, mox etiam a nostrae urbis capitalis civibus Edem dicetur. Augustum sane spectaculum, videre populum memorem omnium bonorum, quae ex civili constitutione Wirtembergiae per secula in patriam profecta sunt, nunc in Verba Principis a providentia concessi sancte jurantem, et ad inconcussam fidem obsequiumque legitimum sponte se obstringentem; intueri Principem bonum et justum, aetate florentem, laboribus assuetum, usu et experientia rerum ad

gubernationem reipublicae pertinentium dudum exercitum et praeparatum, in studiis fidelium civium, quibus hoc semper fuit ingenitum, amare suos Principes, Principumque familias, placide adquiescentem, ita denique affectum, ut, cum jam pridem solenni formula civium privilegia confirmasset, patriaeque desideriis liberaliter et benevole satisfecisset, in promtu jam sit, Ei nihil aliud placere, nisi ut ex legibus et publicis patriae pactis imperet. Numquid gravius, numquid ad commovendum et ad recreandum animum efficacius fingi potest tali spectaculo; hoc praesertim tempore, quo factiosi, callidi et ambitiosi homines non clanculum solum, sed palam quoque in id conspirasse videntur, ut sparsis inter civitates discordiarum et seditionum seminibus stabilita dudum imperia labefactent, aut penitus evertant. Etenim ex quo natio Gallorum fortissima regiae dominationis pertaesa regium imperium abrogavit, et rempublicam condidit aequa civium libertate nixam, ad eamdemque regiminis formam alia quoque imperia victricibus armis expugnata redegit, statim inventi sunt multi, et adhuc inveniuntur, qui, tracta in disceptationem quaestione difficillima, quaenam sit optima regiminis forma, non dubitant omnes regiminis formas excepta democratica non rationibus, sed conviciis et cavillationibus insectari et proscindere. Praecipue vero istorum hominum odium vertitur in imperium monarchicum apud plures Europae populos constitutum, quod quidem nullo discrimine inter varias illius species habito tanquam imperfectissimam et a ratione maxime alienam regiminis formam describunt, eamque sic in individiam adducunt, ut, qui contra dicere

audeat, imbecilli saltem hominis notam vix effugere possit. Quin adeo in his imperiorum fluctibus et procellis eo jam res pervenit, ut in ipso regno tutius sit declamare contra regnum, quam pro regno dicere. Novi quippe Monarchomachi, qui popularem auram captant, ut populo illudant, et in opinionem publicam dominentur, callidissimis utuntur artibus, ut populos imperio monarchico inimicos et infensos reddant. Quapropter haud cessant, imperii monarchici quanquam ad leges compositi defensores tanquam acerrimos libertatis hostes criminari, et adversus istam regiminis formam non argumenta, sed dicteria congerere, bene gnari, plebem non commoveri argumentis, sed affectibus concitari. Ut igitur infirmorum animos capiant, imperii monarchici naevos, qui, uti ab humanis institutis, ita quoque a quavis reipublicae constitutione abesse nequeunt, extollunt et augent, democraticae autem constitutionis vitia aut tacent, aut imminuunt, regium denique imperium legibus circumscriptum cum absoluto et illimitato maligne permiscent, atque ita regnum in tyrannidem, reges in tyrannos convertunt. Praeterea etiam, ut magnis se autoritatibus muniant, ad Graecos et Romanos cultissimos antiquitatis populos provocant, qui republica demum constituta ad immortalem gloriam et ad summum civilis virtutis et fortunae fastigium pervenerint, et inveterato adversus regnum et tyrannidem odio semper inclaruerint. — Nobis quidem haut vacat, gravissimam illam et impeditissimam de optima reipublicae forma controversiam curatius excutere, commoda atque incommoda variarum reipublicae constitutionum expendere, aut etiam investigare, utrum veterum populo-

rum gloria democraticae, qua utebantur, constitutioni, an aliis potius causis v. c. simplicitati et puritati morum publicorum sit adscribenda; sed, cum illi, qui de imperio monarchico inique et contumeliose sentiunt, Graecorum et Romanorum autoritate se tueri soleant, haud alienum a proximo hujus scriptionis consilio esse duximus, ex monumentis antiquitatis summatim ostendere, *quam placide et modeste de regno s. de imperio unius judicaverint liberi antiquitatis populi.* —

Ordiamur primum a Graecis, qui, nisi belli, pacis tamen artibus Romanis praestiterunt, libertatis autem studio eosdem aequaverunt. Longum sane esset et copiosum, si omnia veterum graecorum autorum judicia et testimonia in hanc rem colligere velimus; igitur aliqua tantum et praecipua allegasse nobis sufficiat. Sed ut clarius appareat, quaenam communis fuerit Graecorum sententia de regno, res repetenda erit ab istis temporibus, in quibus Graeci sub regibus vivebant, cum jam sub imperio regio civilis libertatis et democraticae constitutionis fundamenta ponerentur. Constat quippe ex frequentissimis veterum autorum testimoniis, inter Atticos reges Theseum primum extitisse libertatis popularis Autorem, concessa nimirum populo potestate leges ferendi, et jure suffragiorum in publicis concionibus. Quod autem attinet ad ipsum jus regium a regibus usurpatum, istiusque juris limites ac fines, de eo propter vetustiorum temporum tenebras non satis liquet. Interea hoc exploratum esse videtur, reges bello, judiciis et sacris ita praefuisse, ut foris imperium exercerent, domi jus litigantibus dicerent, et sacra curarent. Quod autem

de legislatoria potestate regum autores parum loquantur, non est mirandum, quoniam tum leges nondum erant scriptae. Vix tamen dubitari potest, reges legum quoque ferendarum potestatem habuisse, cum potestas eorum judiciaria et cura sacrorum sine praecipiendi potestate cogitari nequeat. Idem vero intelligitur etiam ex origine dignitatis regiae, quae ex patria et herili potestate nata esse videtur. Quamdiu enim Graeci dispersi per familias nondum in societatem civilem coiverant, absolutum in singulas familias imperium exercebant singuli patresfamilias, et quidquid fieri volebant, praescribebant. Cum primum autem plures familiae in unam civitatem collectae essent et congregatae, statim quoque exorti sunt communes familiarum rectores s. reges, qui iisdem juribus absolutis in civitatem ex pluribus familiis conflatam uterentur, quae antehac singuli Patres in singulas familias usurpaverant. Hinc efficitur, praeter imperium bellicum, potestatem judicialem, et sacrorum procurationem legislatoriam quoque potestatem regibus fuisse propriam, eosdemque ex arbitrio regnasse, et cum bona voluntate populi absoluto imperio fuisse usos. Similiter ex eo, quod diximus, apparet, leges istas tabulis nondum exaratas et a regibus pro arbitrio et pro re nata promulgatas minime habuisse vim perpetuam, aut vim ipsos reges cogendi, sed sanctitatem suam et autoritatem longo tantum usu et adplicatione ad similes casus fuisse nactas. Iidem isti antiqui reges arbitrariam, qua utebantur, potestatem non ad tempus, sed per omnem vitam exercebant, eandemque filiis et nepotibus transmittebant. Notae sunt ex historia veteri *Cecropidarum*, *Pelopidarum* et *Heraclidarum*

familiae regales, per diuturnum temporis spatium variis Graeciae civitatibus imperantes. Atque hanc regnorum hereditatem per secula propagatam certe non toleravisset Graecorum gens jam sub regibus libertatis amans et impatiens jugi, nisi intellexisset, quanto facilius sit, coercere malum aut imbecillum regem, quam bonum eligere. Quam valde autem Graecis veteribus placuerit imperium regium, sic, ut non modo regibus suis sponte paruerint, sed eosdem etiam tanquam Deos fuerint venerati, luculentus et locuples autor est *Homerus*, in cujus carminibus vivam antiquitatis vocem resonare nemo nescit. Is quidem de potestate regia plurimis in locis tam magnifice sentit, ut eum potestatis hujus gravissimum Patronum haud inepte dixeris. Notum est illud Homericum in Iliade ab adversariis imperii popularis toties frequentatum:

> Ὀυκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔςω
> εἷς βασιλευς.
>
> „Multorum imperium nil prodest: unus habeto
> Regnum, unus sit rex."

Idem Poëta clarissimus multis in locis autoritatem regum in populos amplissimis praedicat verbis, ipsosque reges tantis ornat laudibus, ut eos ποιμένας λαῶν, Διογενεῖς vocet, et singulari tutelae ac numini Iovis commendatos esse existimet. Huc referendus est etiam memorabilis iste locus Odyss. XVI. 400, 401 in quo conspirantes reliquos Penelopes procos in vitam Telemachi Amphinomus monet, ne tale facinus contra voluntatem Deorum admittant; dicens

> Δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐςι κτείνειν.

Quid tandem dulcius et gratius effingi potest isto loco (Odyss. XIX. 107—114) in quo Homerus gloriam fidae conjugis Ulyssis cum gloria boni regis comparat, felicitatemque civitatis sub imperio principis justi his pulcherrimis versibus describit.

ἤ γάρ σευ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει.
ὥςτε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος ὅςτε θεουδὴς
ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων
εὐδικίας ἀνέχησι· φέρησι δὲ γαῖα μέλαινα
πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθησι δὲ δένδρεα καρπῷ
τίκτῃ δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς
ἐξ εὐηγεσίης ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ·

qui versus graeci in latinos conversi hunc fere sensum exhibent.

„tua gloria fertur ad astra;
Talis, quae regem sequitur probitatis amantem,
Qui magnum et fortem populum pietate gubernans
Jura dat aequa suis: huic tritica tellus opima
Laeta solo gignit, fert hordea, frugibus arbos
Turget, oves pariunt, et piscibus unda movetur:
Regis ab exemplo cives populique beantur.“

Ex his similibusque locis homericorum carminum, in quibus naturae veritas ingenuae exprimitur, et quae mutata etiam prisca regiminis forma apud Graecos omnium aetatum sanctissime sunt habita, satis perspicue intelligitur, quantum veteres incolae civitatum graecarum abfuerint ab odio aut contemtu regii imperii, et quam parum eos poenituerit,

regibus paruisse. Forsitan autem capitale illud regni odium, quod recentiores monarchici imperii hostes tam confidenter et temere Graecis adscribunt, postea invaluit, cum Graeciae civitates regum imperia cum imperiis, ut aiunt, legum commutaverant, et liberam reipublicae formam adsciverant? De eo, quid historica monumenta et celeberrimorum scriptorum Graeciae testimonia prodant, breviter jam ac sine ira et studio dispiciemus. Jam primum memoratu dignum est, Athenienses florentissimum Graeciae populum, abrogasse regnum non propter crudelitatem regum, aut ex taedio potestatis regiae. Nam cum Rex eorum Codrus in bello Doriensium spontanea morte se pro patria devovisset, noluerunt alium regem succedere, quod post Codrum nullus augusto hoc titulo dignus esset, atque ita regni ipsius abrogationem in honorem regni vertebant. Archontes autem instituti perpetuo primum et regia potestate utebantur, primusque eorum erat *Medon* Codri filius. Nec nomen ipsum regium, quod apud Romanos condita republica semper fuit odiosissimum, in republica attica desiit; quum summo imperio inter novem Archontes diviso, secundus in Collegio Archontum *βασιλεύς* nomine insigniretur. Secutae quidem sunt in abrogando regno exemplum Atheniensium reliquae Graeciae civitates, excepta tamen Lacedaemone, civitate nobilissima, Athenarum aemula et propter ardens libertatis studium celebratissima. Qui populus, quum reges suos semper retinuisset, et sub eorum imperio per plura secula clarissima fortitudinis, vitae simplicitatis et morum severitatis documenta edidisset, satis exemplo suo comprobavit, etiam cum regibus libertatem publicam et aequa-

litatem civium obtineri posse et conservari. Lycurgus certe sapientissimus Spartanorum legislator satius esse duxit, imperium regum legibus adstringere, quam illud penitus abrogare. Duo enim reges cum regnarent Spartae ex genere Heraclidarum et ex stirpibus *Proclis* et *Euristhenis*, nimiae jam unius potentiae et libertati civitatis quodammodo consultum esse videbatur. Addidit itaque Lycurgus Senatum tanquam mediam potestatem, quae ex una parte regum libidinem atque dominationem, ex altera populi insolentiam compesceret, atque ita rempublicam Lacedaemoniorum triplici autoritate regum, senatorum et populi sapienter miscuit atque temperavit. Accedebant praeterea, sed aliquanto ut videtur serius, *Ephori*, qui administrationem regum inspicerent, reges ipsos in officio continerent, et si quid gravius contra rempublicam fecissent, coercerent. Hi tamen magistratus, prudenti et salubri primum consilio instituti, postmodum in violationem et perniciem regiae potestatis versus tandem ipsi reipublicae vehementer obfuit, commutata in oligarchiam civitatis forma. Si quis autem ex eo, quod diximus, existimet, Lycurgum Spartae umbram tantummodo aut simulacrum quoddam regiae potestatis reliquisse, is vehementer erraret. Quamvis enim certis limitibus circumscripta esset regia potestas, summa tamen respublica regibus erat permissa, et praeterea reges tot tamque amplis gaudebant praerogativis, ut, quantum regio juri in regenda republica detractum videretur, tantum regibus accederet publici honoris atque dignitatis. Non solum in bellis gerendis reges summum habebant imperium, sed in gubernatione et admi-

nistratione reipublicae quoque autoritate sua plurimum valebant. Etenim praeter curam sacrorum, multorumque negotiorum civilium, quae a solis regibus administrabantur, reges non solum in Senatu, in judiciis et comitiis populi praesidebant, sed in Senatu quoque soli res referebant, et in colligendis suffragiis rex uterque duplex habebat suffragium. Si quid uterque rex communiter suasisset et in aliquam rem consensisset, quae e republica esse videretur, nemini licebat contradicere aut reges prohibere (v. Plut. in Agide). Omitto alias regum praerogativas, quae ab antiquis scriptoribus traduntur. At eo minus hoc loco praetermittere possum ea Spartanorum instituta, e quibus apparet, quantopere in regibus suis spectaverint generis antiquitatem et splendorem, et quantopere ipsis curae fuerit, ut in summa aequalitate reliquorum civium regiam majestatem extollant, eamque civibus augustiorem reddant. Jam cum Spartae reges non eligerentur, sed nascerentur; primum quidem legibus cautum erat, ne quis alius nisi ex Herculis genere regnaret. Neque aliam licebat regibus ducere, nisi indigenam (v. Plut. in Agid.). Conjuges regum custodiebantur ab Ephoris, ne unquam vitiaretur sanguis regius (v. Plut. in Alcib. 1.). Si qua mulier regis filios non peperisset, repudiabatur (Herod. L. 6. c. 61.). Etiam de successione regni legibus erat provisum. In utraque familia regnante patri succedebat filiorum natu maximus, et deficiente prole mascula, regis frater. Mortuo ante patrem filio primum genito, regnum cedebat filio natu minori, nisi ejus filius erat superstes, is excludebat patruos (Plut. in Agid. Nepos in Ages. 1.). Si in una vel altera familia

deessent regni heredes ex consanguinitate, remotiores cognati ad regnum vocabantur, exclusis tamen alterius familiae regnantis agnatis. Regum filios publice quidem, sed remotos a reliquis civibus educari mos erat, ne contracta cum civibus olim familiaritas aliquando minueret regum reverentiam (Plut. in Ages.). Denique honorum ornamentis, quibus reges Spartani vivi inter cives eminebant, nec in eorum morte desiverunt. Mortuo enim rege tota civitas mutata veste publice lugebat, indicebatur justitium, corpus regis unguentis et suffitu aut pollinctura conditum in lecto ferali exponebatur, funus denique solenni pompa, exequiis et lamentationibus publice efferebatur in locum sepulturae regum destinatum. (v. Herod. L. 6. Heracl. Pont. in Ant. gr. Xenoph. Hist. gr. L. 5. Aelian. V. H. L. 6. Plut. in Ages. Pausan. L. 3.). Neque vero haec in reges vivos et defunctos collata decora eo valebant, ut aut reges auctoritate sua ad tyrannidem abuterentur, aut populus regiae dignitati et potestati invideret. Tanta potius erat legum et morum publicorum vis in hac civitate ad concordiam et probitatem composita, ut reges in studio egregie de republica promerendi, cives in obsequio erga reges inter se decertarent. Ita quidem factum est, ut respublica Laconica regum imperio fulta cresceret, et apud Graecos et Barbaros admirationi esset eodem tempore, quo res publica Atheniensis, quae sine regibus erat, intestinis discordiis agitata et factionibus distracta paulatim imminuta est. Sufficiat inter multos egregios Spartanorum reges nominasse *Agesilaum*, virum pace belloque clarissimum, qui parvis reipublicae opibus sic usus est, ut non modo civitatem au-

geret, sed magno etiam regi Persarum terrorem incuteret. At missis jam Spartanis, videndum nobis erit, quo pacto reliquae civitates Graecorum liberae, quae regibus non parebant, de regno seu de imperio unius senserint. Atque in hac re tum historiae fidem tum clarissimorum Graeciae virorum testimonia et autoritates sequemur. Jam primum Athenienses, quamvis sibi persuaserant, rempublicam melius gubernari a pluribus, quam ab Uno, libertatemque civium sub imperio populari tutiorem esse, regium tamen imperium minime ita sunt aversati, ut nullo discrimine habito quoscunque reges pro tyrannis habuerint. Quapropter, ut historia testatur, eos proprie vocabant Tyrannos, qui constituto jam apud ipsos regimine populari invito populo et armorum vi summum imperium adfectabant, aut usurpabant, utcunque deinceps in populum regnaverint. Sic Pisistrato, sic ejus filiis, qui populum sibi solis parere coëgerant, invidiosum tyrannorum nomen imposuere, quamvis miti in populum imperio fuerint usi, illudque ad leges Solonis vix latas attemperaverint. Quod autem non reges solum vi regnum occupantes aut pro lubidine regnantes, sed alios quoque magistratus non ex legibus libere electos, aut arbitrariam dominationem exercentes, licet speciem popularis imperii divisa inter se summa potestate mentiti fuerint, tyrannorum cognomento notaverint, exemplo patet *triginta Tyrannorum*, quos a Lacedaemoniis civitati Atticae per vim impositos non multo post Thrasybulus patriae libertatis vindex propter intolerabilem eorum crudelitatem civitate ejecit. Bene igitur intellexerunt Athenienses, nomen Tyranni non in reges solum sed etiam in populares magi-

stratus posse cadere, utrum unus an plures potestate summa abuterentur. In istis vero populis, apud quos regia potestas legibus aut more majorum erat constituta, Athenienses reliquique Graeci nunquam Tyranni cognomentum ad reges transferre consueverunt, tanquam caventes, ne confuso regis et Tyranni nomine regum nomen in odium aut contumeliam adducere viderentur.

Ne Macedoniae quidem et Persiae reges, capitales libertatis graecae hostes vocabant Tyrannos. Tuebantur contra insidias et vim peregrinorum reipublicae libertatem, verborum contumeliis abstinebant. Quis ulli fuit iratior, quam Demosthenes Philippo? Attamen in orationibus Philippicis, in quibus vehementissime regem insectatur, nunquam in nomine Philippi Tyranni cognomento ad offensionem aut ludibrium Macedonis utitur. Contra quos Graeci justiores iracundiae et acerbitatis causas habebant, quam contra reges Persiae, qui occultis artibus et aperta vi toties libertatem Graeciae in discrimen adduxerant? Neque tamen Graeci cum de Persarum rege loquuntur, ei Tyranni nomen tribuunt, quamvis potestate plane tyrannica uteretur, sed eum potius more apud Persas recepto Magni regis (μεγάλυ βασιλέως) nomine ornant, haud videlicet detrectantes, eum Magnum nuncupare, quem ipsi exiguis opibus devicerant. Neque etiam, cum reipublicae utilitas suasisset, dedecori sibi esse existimabant, Persarum regibus milites mercede conductos in auxilium mittere. quod celebri ista expeditione decem millium confirmatur, qui Xenophonte duce Cyro juniori adversus fratrem Artaxerxem bellum gerenti opem tulerunt.

Liceat uno adhuc et domestico uti exemplo, quo effi citur, quam alieni fuerint Athenienses odium tyrannidis ad regnum vertere. Etenim, cum jam dudum libertas Atheniensium esset condita, memoriam tamen veterum suorum regum sanctam voluerunt esse et inviolatam. Quapropter nunquam destiterunt, res ab antiquis Regibus aut heroibus bene ac fortiter gestas memoria repetere, laudibus efferre, et in scena quoque per tragoedias repraesentare. Jam, si ex veterum scriptis notas colligimus, quibus Graeci liberi discernere solebant a Tyrannis Reges, clarius adhuc innotescet, quantum illi fecerint discrimen inter regem et tyrannum, regnum et tyrannidem. Tyranni quippe, quatenus opponebantur regibus, aestimabantur non tam possessione summi et absoluti imperii, quam adquisitione illius et usu. Quapropter et illi dicebantur Tyranni, qui sublato per vim aut dolum populari imperio regiam potestatem occupaverant, licet ea moderate uterentur; et illi, qui quamvis regnum a majoribus traditum aut a populo concessum legitime capessivissent, illud tamen lubidinose et crudeliter administrabant, maxime autem, qui regnum vi atque ferro occupatum immanitate ac terrore tuebantur. Sic variis Tyrannorum generibus apud Graecos constitutis ad primum idemque turpissimum genus referendi sunt ista humani generis monstra, *Phalarides* quippe et *Alexandri* Pheraei, aliique, qui, parato per vim atque caedes regno, tractis ad se omnibus publicis civitatis utilitatibus, mersi turpissimis voluptatibus, servorum satellitio stipati, metum ac terrorem prae se ferentes, nihil humani divinique juris relinquentes, novis adeo cruciatuum, tormentorum et sup-

pliciorum generibus inventis summa immanitate in subjectos cives saeviebant, nec nisi in servitio et sanguine civium intutam sibi ipsis securitatem quaerebant. Ad alterum Tyrannorum genus referendi sunt isti, qui quamvis regnum non per vim arripuissent, sed illud potius non adversante populo accepissent, intemperantius tamen eo magisque in suam quam in civium utilitatem utebantur, nec ex legibus et institutis sed suo potius arbitrio imperabant, quo in numero apud Graecos ponuntur plures reguli, inter quos celebriores sunt *Hierones*, *Gelones* et *Dionysii Siculi*, qui posteriores Platonem adeo ad se vocaverunt et hospitio exceperunt, ut ejus consiliis in regenda civitate uterentur; quos etiam ipse Plato, uti ex epistolis illius apparet, monuit, non ut reges, sed ut tyranni esse desinerent, hoc est, non ut regio imperio sese abdicarent, sed ut illud mitigarent, aut aliquid ex eo in favorem populi remitterent. Tertium denique genus est eorum, qui, quamvis moderate et juste regnarent, regnum tamen injuste occupaverant; ad quos isti Pisistratidae, quos supra jam nominavimus, referri possunt, quos quidem injustam regni occupationem et possessionem sapienti et temperata administratione correxisse historia testatur. Quantum vero cujuscunque tyrannidis odium apud Graecos et Romanos fuerit, exinde cognoscitur, quod non solum Tyrannos ejicere et occidere fas esse ducerent, sed Tyrannicidas etiam ut patriae liberatores summis laudibus et encomiis publicis praedicarent. Ipsam quoque Tyrannorum conditionem, in omnium rerum affluentia tanquam miserrimam, quod per timorem regnent, optimi Veterum scriptores describunt. Audiamus

unicum Ciceronem. Quam graviter is statuit de infelici Tyrannorum sorte in libris, quos de officiis scripsit! Etenim in secundo libro, cum de originibus imperiorum aliqua dixisset, haec addit: „Omnium autem rerum nec aptius est quidquam ad opes tuendas et tenendas, quam „diligi; nec alienius, quam timeri. Praeclare enim Ennius: „Quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expedit. Multorum autem odiis nullas opes posse obsiste„re, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum." (Loquitur de Caesare, qui in summa potestate regis tamen nomine semper abstinuerat,) „Nec vero, pergit, hujus tyranni so„lum, quem armis oppressa pertulit civitas, paretque cum „maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium homi„num valeat ad pestem; sed reliquorum similes exitus „Tyrannorum, quorum haud fere quisquam interitum ta„lem effugit. — Etenim qui se metui volent, a quibus „metuentur, eosdem metuant ipsi, necesse est. Quid enim „censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu ti„moris angi solitum? qui cultros metuens tonsorios can„denti carbone sibi adurebat capillum? Quid? Alexandrum „Pheraeum, quo animo vixisse arbitramur? qui, ut scriptum „legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen „ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, et eum „quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis de„stricto gladio jubebat anteire, praemittebatque de stipato„ribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres, et ne quod „in vestimentis occultaretur telum, exquirerent. O mise„rum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam putaret, „quam conjugem! Nec eum fefellit. Ab ea enim est ipse

„propter pellicatus suspicionem interfectus. Nec vero illa „vis imperii tanta est, quae premente metu possit esse „diuturna. Testis est Phalaris, cujus est praeter ceteros „nobilitata crudelitas, qui non ex insidiis interiit, ut is „quem modo dixi, Alexander, non a paucis, ut hic no„ster: sed in quem universa Agrigentinorum multitudo „impetum fecit.“ In tertio quoque libro, in quo eandem persequitur materiam, ut ostendat, regnandi cupiditatem, praesertim in civitate libera nec honestam esse, nec utilem, orationem iterum ad Caesarem, quem jam L. I. c. 8. acriter perstrinxerat, his revocat verbis: „Ecce tibi, qui „rex populi romani dominusque omnium gentium esse con„cupierit, et perfecerit. Hanc cupiditatem, si honestam „quis esse dicit, amens est. Probat enim legum et liber„tatis interitum, earumque oppressionem tetram et detesta„bilem gloriosam putat. Qui autem fatetur, honestum non „esse in libera civitate regnare, sed ei, qui id facere pos„sit, esse utile; qua hunc objurgatione a tanto errore co„ner avellere. Potest enim cuiquam esse utile foedissimum „et taeterrimum parricidium patriae, quamvis is, qui se eo „obstrinxerit, ab opressis civibus Parens nominetur? — „Possunt cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni „et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque ple„nissima? Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt „leoni: inquit Accius. At cui regno? Quod a Tantalo et „Pelope proditum jure obtinebatur. Quanto plures ei regi „putas, qui exercitu populi romani populum ipsum roma„num oppressisset, civitatemque non modo liberam, sed „etiam gentibus imperantem servire sibi coëgisset. Hunc

„tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse?
„quae vulnera? Cujus autem vita ipsi potest utilis esse,
„cum ejus vitae ea conditio sit, ut, qui illam eripuerit, in
„maxima et gratia futurus sit et gloria?" Ita quidem Ci-
cero de fortuna Tyrannorum, et de jure eos necandi. Sed
fortius adhuc de caede Tyrannorum in eodem libro (c. 6.)
pronunciat, cum sermo incidisset in ejusmodi Tyrannos,
qui Phalaridis instar nil nisi sanguinem sitiunt, his verbis:
„Nulla nobis societas cum Tyrannis, sed potius summa
„distractio est; neque est contra naturam, spoliare eum,
„si possis, quem honestum est necare; atque hoc omne
„genus pestiferum atque impium ex hominum communitate
„exterminandum est. Etenim, ut membra quaedam ampu-
„tantur, si et ipsa sanguine et tanquam spiritu carere coe-
„perunt, et nocent reliquis partibus corporis; sic ista in
„figura hominis feritas et immanitas belluae a communi tan-
„quam humanitate corporis segreganda est. In libello de-
nique de amicitia eam quoque Tyrannorum miseriam indi-
cat, quod in caeterarum omnium rerum abundantia amicis
tamen careant, et, cum neminem ament, a nemine amen-
tur. „Haec enim, ait, est Tyrannorum vita; in qua nimi-
„rum nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae
„potest esse fiducia: omnia semper suspecta et sollicita;
„nullus locus amicitiae. Quis enim aut eum diligat, quem
„metuit; aut eum, a quo se metui putat? Coluntur tamen
„simulatione duntaxat ad tempus. Quod si forte, ut ple-
„rumque fit, ceciderint, tum intelligitur, quam inopes fue-
„rint amicorum."

Excerpsimus e Cicerone, quo nullus unquam Graeco-

rum Tyrannidi fuit infensior, haec de Tyrannis judicia et quidem ex libro filii disciplinae dicato, ne dissimulare videamur, quam late patuerint praestantissimorum inter Veteres ingeniorum odia in Tyrannos. Quod autem illa Veterum inprimis Graecorum odia in Tyrannos atque Tyrannidem minime pertinuerint ad reges et ad regnum legitimum, justum et moderatum, apparet ex notis jam expositis, quibus reges a Tyrannis distinguere consueverant, et quas jam breviter collegisse juvabit. Regem quippe appellabant Graeci, qui teneret justum imperium volente populo a majoribus transmissum, tyrannum, qui per vim nolente populo raperet regnum; regem, qui ex legibus regnaret, tyrannum, qui ex mero arbitrio et lubidine; regem, qui communem spectaret utilitatem, tyrannum, qui privatum sui commodum; regem, qui praeferret liberis imperare, tyrannum, qui servis; regem denique, qui nulla uteretur corporis custodia, aut e civibus lecta, tyrannum contra, qui nonnisi servorum aut peregrinorum mercede conductorum satellitio stiparetur. — Haec de discrimine tyrannorum et regum. Sed cum maxime propositum nobis sit, ostendere, quam non solum modeste et modice, sed egregie quoque statuerint Graeci in liberis civitatibus viventes de regno aut summa potestate unius, audiendi etiam sunt isti Graecorum Philosophi, qui de rebus politicis sunt philosophati, et quorum non solum apud Graecos summa fuit autoritas, sed nunc etiam est apud omnes, qui recte volunt sapere. Jam in eo omnes isti Philosophi consentiunt, quum uniuscujusque reipublicae constituendae summus finis esse debeat salus publica, et communis omnium utilitas seu felici-

tas, optimam esse eam reipublicae formam, quae in hunc finem unice sit instituta, atque ita comparata, ut is finis facillime possit obtineri. Salus autem publica quum contineatur et procuretur bonis legibus earumque autoritate publica, exinde effici, hanc esse praestantissimam reipublicae constitutionem, in qua leges imperent. Leges autem ferri vel ab Uno, vel a pluribus, vel ab omnibus. Atque hinc existere triplicem regiminis formam, monarchicam, aristocraticam et democraticam. Unamquamque earum in se justam esse et bonam, quandoquidem unaquaeque legibus regatur et suprema lex maneat salus publica. At cum leges ab hominibus ferantur, animisque hominum insita sit a natura regnandi et dominandi cupido, unamquamque posse corrumpi et vitiari. Atque cum Monarchiam degenerare in Tyrannidem, Aristocratiam in Oligarchiam, sive in tyrannidem paucorum, Democratiam denique seu imperium populi abire in ochlocratiam, anarchiam sive dominationem plebis. Quapropter, cum omnes regiminis formae ad haec vitia tendant, optimam esse eam reipublicae constitutionem, quae ex Monarchica, Aristocratica et Democratica sapienter mixta sit et temperata. Haec fere sunt placita et sententiae Platonis ac Aristotelis summorum Graeciae philosophorum in istis libris, in quibus de diversis imperii formis et de optima reipublicae conformatione disputaverunt.

Ex hisce placitis, quae in libris Platonis de republica et de legibus, et in Aristotelis libris et ethicis et politicis, in quibus omnes, quae tum vigebant, civitatum formae diligenter excussae sunt, continentur, clarissime apparet,

(v. Xenoph. Memor. Socr. L. I. c. 1. fin. coll. IV. c. 4. L. I. c. 2. n. 9. 32—38.) Jam vero facile est judicatu, in quam de imperio regio sententiam Socrates inclinaverit, et quam alienus fuerit, rejicere illud tanquam in se vitiosum. Etenim, cum perspecto civitatis fine, qui ponitur in salute publica, pro fundamento poneret, eam esse demum rempublicam bene constitutam, quae a sapientibus et justis regatur, et praeterea intelligeret, artem hominibus imperandi omnium esse gravissimam et difficillimam; exinde necessaria quadam consecutione inferre debebat, multo melius consultum esse civitati imperio unius s. paucorum optimatum (ἀρίστων) quam imperio multitudinis imperitae; adeoque propius etiam ad naturam accedere imperium monarchicum et aristocraticum quam democraticum, quum facilius reperiantur pauci, qui digni sint imperio, quam multi. Ex iisdem his Socratis principiis porro consequebatur, melius esse, si imperantes maneant in imperio, cum praesertim ars imperatoria longo demum usu et exercitio constet, et experientia comprobetur, eas respublicas, in quibus alii magistratus aliis saepe succedant, semper fluctuare et intestinis discordiis agitari, manente autem unius s. paucorum imperio civibus licere pacata, tranquilla et quieta frui republica. Ceterum negari nequit, in hac ratiocinatione Socratis hanc maximam praetermissam fuisse difficultatem, qua ratione fieri possit, ut nonnisi sapientes et justi ad imperium adhibeantur. Sed hoc jam non ad nos, cum nobis de eo tantum sit quaestio, utrum Socrates regnum in se consideratum, tanquam a natura et ratione alienum repudiaverit. Atque hoc quidem nemo sane contenderit, quem non fugit,

quam graviter et ample sapiens iste Vir senserit de regibus regumque officio ac dignitate. Quis enim posset eum regiae potestatis hostem aut contemtorem judicare, qui artem gubernandi civitatem et hominibus imperandi ad reges proprie pertinere, regiamque esse artem pronuntiat (v. Mem. Socr. L. IV. c. 2. n. 11.) qui ducta ad exemplum Homeri a pastoribus apta similitudine reges illos vocat, qui non solum sibi suaeque vitae bene consulant, sed iis quoque, quibus imperent, felicitatis sint autores; (Mem. L. III. c. 2.) qui sic denique veterum Atticae regum memoriam suis popularibus commendat, ut fortunatiorem reipublicae atticae sub regibus conditionem fuisse non dubitet confiteri? (M. L. IV. c. 5. n. 10.). Vestigia Socratis in judicando de rebus ad rempublicam spectantibus postea pressit *Xenophon* diligentissimus socraticae disciplinae alumnus, vir pace belloque clarissimus, ingenii amoenitate, judicii acumine, gravitate ac suavitate morum maxime conspicuus, multiplici rerum militarium, civilium et moralium scientia instructissimus, in rebus denique gerendis versatissimus, cujus libri cum propter elegantiam orationis, tum maxime propter veritatem, copiam ac varietatem rerum, quas continent, a Graecis et Romanis in summo honore sunt habiti et assidue lectitati. Is vero vir in plurimis, quos conscripsit, libris de imperio et officio regis tam gloriose et magnifice professus est, ut nullus Graecorum in republica viventium huic imperio magis favisse censendus sit, istique libri in commendationem regni proprie scripti esse videantur. Atque huc primo loco referenda est aurea illa *Cyropaedia*, quae in persona Cyri majoris effigiem et

exemplar perfecti regis, et speculum omnium regiarum virtutum exhibet, et in qua, ut Cicero ait, nullum est praetermissum officium diligentis et moderati imperii. Quicumque librum hunc penitius inspiciet, facile sibi persuadebit, hoc maxime Autori fuisse propositum, ut ostenderet, fortunatissimam hanc esse rempublicam, quae a bono et sapienti Principe regatur, neque ullam excogitari posse meliorem regiminis formam, quam imperium unius sapienter temperatum. Idem consilium manifeste secutus est Xenophon in *vita Agesilai* magni illius regis Lacedaemoniorum, a quo etiam Xenophon ita est amatus, ut, cum ab ingratis civibus in exilium esset actus, ipsi novam concederet patriam et otium cum dignitate conjunctum. Quantopere autem Xenophon eam regiminis formam, quae ex regia et optimatum potestate mixta est, democraticae reipublicae praetulerit, luculentissime evincitur istis libellis, quos *de republica Laconica* et *Attica* scripsit, et in quibus comparatione inter utramque rempublicam instituta statuit, Atticam rempublicam hanc maxime ob causam vitiosam esse et sempiternis fluctibus obnoxiam, quod in ea pauperes et plebeji summam habeant potestatem, contra Laconicam stabilem ac firmam, quod in hac Reges cum Senatu praesint, plurimùmque polleant.

Satis jam contra Monarchomachos aetatis nostrae evictum esse arbitror, quam modeste et liberaliter veteres Graeci liberi, quorum autoritatem isti toties prae se ferunt, de regno sive imperio regio cogitaverint. Quod ut de Romanis quoque demonstremus, paginarum angustia non sinit. Igitur hoc unum adjecisse sufficiat, populum Romanum or-

bis terrarum victorem et victoriis saepius elatum in summo licet odio domestici regni reges tamen externos, nisi forte fuerint hostes, haud exiguis honoribus prosecutum, nec unquam regio nomine in contumeliam aut ludibrium fuisse abusum, adeoque veram esse, et plurimis historiae documentis confirmari vocem illam *Ciceronis* in Oratione pro rege Dejotaro sic dicentis: „Regium nomen in hac civitate semper fuit sanctum, sociorum vero regum et amicorum, sanctissimum." —

Nobis quoque, Cives! sanctum maneat nomen Principum nostrorum, sanctissimum novi Principis FRIDERICI SECUNDI, quem divina providentia, quem mos majorum, quem patria lex patriae praefecit, quem denique sanctissimum etiam publicae religionis, quam profitetur, vinculum cum patria conjungit. Sanctam teneamus et inviolatam civilem patriae nostrae constitutionem a majoribus traditam, et per secula contra omnes hostium impetus et insidias non sine Deo conservatam et munitam; justi et moderati imperii monumentum, gloriosum nobis, aliis invidendum. Cari sint nobis liberi, parentes, penates, cara domesticae religionis, morum et disciplinae juvenilis instituta, quibus publica salus nititur, carus sit *Princeps*, cara patria, quae omnes omnium caritates in se complectitur. Denique hoc sit infixum et inscriptum in mentibus omnium civium, ut cum patria stet *Princeps*, patria cum *Principe*. Qui sensus generosi atque pii ut augeantur et alantur in animis etiam juvenum, qui in hoc Musis dicato templo ad patriae munera praeparantur, instituta est ad diem sacramento civico destinatum sacra panegyris, in qua praemissa Oratione

tiam, sive sensus pietatis vividos, quibus hodie bonorum civium corda implentur, quique in candidissimas pro Principe et patria preces erumpunt, ita me affectum et commotum esse sentio, ut, quibus verbis nostri etiam Gymnasii sensus digne eloquar et interpreter, vix inveniam. Est enim haec affectuum vis et natura, ut, quo altius commovetur animus, eo magis deficiat oratio, eo facilius vox obmutescat. Quid vero ad animum vel durioris hominis commovendum validius excogitari potest eo, quod hodie vidimus, et cui nos ipsi testes interfuimus, spectaculo? Spectavimus Principem nostrum FRIDERICUM SECUNDUM, innumera civium suorum corona circumfusum, omnium ora in Eum solum defixa et intenta; totam civium universitatem solemni sacramenti formula manibus in coelum sublatis ex animi sententia perpetuam fidem et obedientiam legibus consentaneam spondentem, Principi suo plaudentem, acclamantem! Quid hac scena suavius, quid excelsius, quid augustius! Sed cum praeterea attendimus, in quae tempora inciderit Principis nostri principatus, et hodierni diei festivitas, quam nova iterum et magna se nobis offert laetandi et in posterum quoque bene sperandi materies! Absit a me, ut imagine tristi procellarum, quibus in hunc usque diem antiquorum imperiorum fundamenta quassantur, vestram, Auditores! laetitiam conturbem, aut imminuam; hoc potius quaeram, et ex afflictis et desperatis rebus aliarum civitatum nostrae felicitatis sensus acuatur. Ecquis vero est nostrum, qui non laetetur et exsultet, stare adhuc rempublicam nostram tam sapienter et moderate constitutam, inter tot ruinas finitimarum quoque civitatum stare leges no-

XV.

QUANTUM FLORIS ET PRAESIDII CAPIANT ARTES ET SCIENTIAE EX IMPERIO MONARCHICO. ORATIO HABITA IN GYMNASIO CUM FRIDERICO SECUNDO PRINCIPATUM AUSPICANTI SACRAMENTUM DICERETUR A CIVIBUS.

In splendore et sanctitate hodierni diei, quo Serenissimo Principi nostro, FRIDERICO SECUNDO fidei et obsequii juramentum ab omnibus hujus urbis capitalis civibus dictum est, et quem Ipse Princeps acceptis jam dudum ab universa patria sanctissimis sponsionibus tanquam in complementum fidei amoribusque civium sacro huic negotio dicavit, cum mihi Oratori infirmo et parum exercitato verba publice sint facienda, unde principium orationis meae, unde finem illius quaeram, anceps haereo. Sive enim considero ipsam festi hujus diei sanctitatem et laeti-

etiam qui ex plebe sunt, clarius innotescant. Fieri enim aliter non potest, quin hac ratione in animis quoque multitudinis imperitae, quae facillime proposito ab insidiosis hominibus novo libertatis simulacro sibi patitur illudi, paulatim crescat et inflammetur patriae amor, obsequium erga leges, et in Principem, qui leges tuetur, reverentia. Atque ita cognitis nostrae civilis constitutionis virtutibus, quae sic est composita, ut ex una parte Principum lubidinem atque dominationem populique licentiam excludat, ex altera vere Principis autoritatem, legitimamque libertatem civium juraque utrinque constituta firmet; ita, inquam, fiet, ut omnes intelligant, conservato reipublicae, quae nunc est, statu fortunas omnium et singulorum conservari, eodem vero commutato jura, leges, sacra et profana, omnes denique omnium fortunas everti et pessumdari.

Equidem jam non enumerabo omnes nostrae constitutionis civilis virtutes, nec in laudes illius excurram: (Nostis omnes, quot et quanta bona in ea sint inclusa); sed, ut unico et maxime luculento demonstrem documento, quantum haec, in qua nos vivimus, regiminis forma ad salutem publicam, quae bonis civibus non minus cara est, quam sua ipsorum, habeat momenti, locus hic ipse, e quo verba facio, ipsa haec schola illustris, a proavo Serenissimi Principis nostri condita, me admonet. Scimus omnes, quanta cura et sollicitudine per patrias leges a Ducibus nostris antiquis vel latas vel confirmatas prospectum sit atque provisum publico religionis cultui, publicaeque educationi atque institutioni juventutis, unde salutem reipublicae unice pendere nemo sanus unquam in dubium vocavit.

Igitur ne quid unquam his maximis patriae necessitatibus deesse posset, magnus ille Dux CHRISTOPHORUS, religionis repurgatae Conditor, et saluberrimae constitutionis nostrae summus Stator rara tum temporis animi generositate in perpetuum sanxit, ut antiquae Ecclesiae reditus cum reditibus Principis nunquam commiscerentur, sed separata administratione non in alios converterentur usus, nisi in sustentationem cultus religiosi et educationis publicae, in auxilium pauperum, et in subsidium periditantis patriae. Quanta ex hoc unico sapientissimi Principis decreto ad hunc diem commoda inter maximas temporum difficultates et injurias in patriam redundaverint, quis est, qui nesciat? Hinc florentes scholae, in quibus ad ministeria reipublicae et Ecclesiae flos juvenum publicis sumtibus praeparatur, illa patriae nostrae decora et ornamenta, quae exteri etiam non sine invidia suspiciunt, hinc illa adminicula, quibus in angustia rei familiaris juvenibus ingenio praestantibus facilis via sternitur ad obeunda publica patriae munera, hinc illa subsidia, e quibus stabilitae dudum bonarum artium et scientiarum officinae pro necessitatibus temporum subinde emendantur et amplificantur, hinc etiam illae opportunitates, quibus efficitur, ut idonei Ecclesiae Ministri et scholarum magistri non solum sufficientibus salariis adversus inopiam securi praestentur, sed digna quoque cum ad senectutem pervenerint, meritis praemia extra ordinem consequantur; hinc denique inter tot laudum et praemiorum stimulos felix ista bonorum et excellentium ingeniorum, quibus nunquam patria caruit, ubertas, quae quidem tanta est, ut quovis tempore non sibi solum, sed exteris etiam consule-

re, non suis tantum, sed peregrinorum etiam desideriis pro variis studiorum generibus satisfacere possit patria nostra. Minime vereor, ne quis mihi exprobret, quod ex hoc loco et in hujus diei festivitate istorum patriae decorum meminerim, cum ea maxime debeantur pactis et constitutionibus nostrorum Principum, et cum ex hoc veluti domestico exemplo clarissime pateat, quantum praesidii paratum sit artibus et scientiis in imperio ad monarchicam formam composito. Igitur, cum nec absonum ab hoc loco, nec ab hodierna solemnitate visum esset, argumentum orationis ex hac materia repetere, et ulterius exponere, quantopere flos artium et scientiarum adjuvetur imperio monarchico, nihil mihi superest, quam vos rogare, Auditores! ut mihi de hac re dicenti aures praebeatis patientes et benevolas. —

Dicturi de adjumentis, quae artibus et scientiis in imperio monarchico parata sunt, omisso subtiliori disputationis genere sic in tractanda hac materia versabimur, eumque sequemur orationis ordinem, ut primum collectis ex omni historia illustrioribus exemplis demonstremus, artes et scientias nunquam laetius floruisse, quam sub imperiis regum et principum, deinde autem causas breviter exponamus, cur artes et literae maxima invenirent praesidia in imperio monarchico. Jam primum artes et scientias cujuscunque generis nonnisi sub regno ad summum pervenisse florem, totius historiae tum recentioris tum antiquioris consensus declarat. Hic primum, ut ab historia recentissima et a nostris temporibus initium faciamus, se nobis offert ipsa *Germania*, lento quidem, sed eo firmiori gradu ad

culturam artium et scientiarum progressa, nunc autem in omnibus artium et scientiarum generibus sic exculta, ut nulli reliquarum nationum cederet, multas superaret. Feliciorem autem Germaniae culturam a medio demum seculi nostri jam ad finem properantis, et a regno FRIDERICI MAGNI, Borussorum regis, a quo noster Princeps ex materna stirpe genus derivat, exortam fuisse, nemo tam inscius est, qui ignoret, nemo tam morosus, qui fateri dedignetur. Quamvis enim jam initio hujus seculi priorum temporum tenebras dissipavissent Thomasius et Leibnitius, et liberaliori philosophandi ratione facem praetulissent scientiarum inter Germanos augmentis, nova tamen lux affulsit literis praesertim elegantioribus regnante FRIDERICO MAGNO, et fulgore suo mox totam Germaniam collustravit. Is quippe Rex immortalis, pace belloque clarissimus sublatis primum limitibus et impedimentis, quae antehac progressus artium et scientiarum in Germania retardaverant, et concessa ingeniis sentiendi, scribendi et libere judicandi facultate, sine qua in exploranda veritate parum proficitur, tum vero etiam multis et magnis praesidiis, quae ab ipso literis regio sumtu et regia munificentia parabantur, honorum et praemiorum ornamentis, suavi adloquio, literarum commercio maxime autem suo ipsius exemplo et libris tum inter armorum strepitus tum in otio ac secessu pacis conscriptis ingenia scriptorum ad plus audendum excitavit, atque ita ad excolendas et amplificandas artes et scientias mirum quantum contulit. Sic excitatis et inflammatis omnium studiis, dici vix potest, quanta et quam repentina incrementa omnis generis artes et disciplinae ce-

perint. Atque ista felix ingeniorum aemulatio ab aula magni regis et a metropoli fomitis instar, cui igniculi apponuntur, mox etiam in provincias manavit, et per universam Germaniam propagata est. In his ingeniorum certaminibus nulla fere reperiebatur ars aut scientia, quae prorsus jaceret neglecta aut inculta, nec boni Scriptores id solum curabant, ut libros, quos edebant, a novitate rerum, ab inventionis copia, et ordine dispositionis, sed etiam ab orationis nitore et concinnitate lectoribus commendarent. Constat, FRIDERICUM regem a pueris gallico sermoni assuetum, eique penitus imbutum patrium sermonem sprevisse. Idem tamen contemtus patrii sermonis quem videlicet rex ex antiquioribus et sui temporis libris germanico idiomate scriptis tanquam horridum cognoverat, quantum valuerit ad eum perficiendum, locupletandum et expoliendum, nemo nescit. Omnes enim Scriptores germanici, qui ex hac epocha prodibant, certatim operam dabant, ut puro, eleganti, terso et polito dicendi genere uterentur, plurimique eorum nunc etiam inter classicos nostrae linguae Scriptores numerantur, et a posteris numerabuntur. Ut vero nova lux scientiarum a FRIDERICO MAGNO accensa posteris etiam luceret, et sequentes generationes ex incrementis earum lucrarentur, paedagogicas quoque disciplinas aggressi sunt istius aetatis eruditi, et ad emendandam tum publicam tum privatam institutionem atque educationem studia sua magno ardore contulerunt. Sic inventis novis et melioribus docendi methodis, factisque variis quanquam impari eventu experimentis, hoc tandem lucrum nostra aetas ex industria istius temporis reportavit, ut jam pluri-

nae in Germania scholae in meliorem formam sint redactae, et ad utilitatem reipublicae aptius constitutae. Tantum valuit unius, at quanti regis exemplum et industria ad cultum scientiarum in Germania. Quemadmodum vero flos artium et scientiarum summa in Germania repetendus est ab regno FRIDERICI MAGNI, sic citius jam in Gallia artes et literae regnante LUDOVICO decimo quarto, et in Italia regnante familia Medicaeorum magnorum in Etruria Ducum tanta incrementa ceperunt, et ornamenta nacta sunt, quanta nunquam alias. Regnante inprimis LUDOVICO illo, cui suae aetatis adulatio cognomentum Magni tribuit, posteritas magis ex vero res aestumans abjudicavit, cognitum est, uti herbas solibus, ita artes et scientias regiis opibus crescere et roborari. Allecti enim et invitati praemiis et honorum ornamentis Scriptores gallicae gentis praemiorum et honorum semper avidae aemulis inter se studiis concertarunt in augendis et ornandis cujuscunque generis artibus et scientiis. Sic quidem magnifici et luxuriosi regis ostentatio et praemiorum aviditas, quae animos scriptorum occupabat, hanc bonam frugem procreavit, ut non solum artes et literae ad laetissimum florem perducerentur, sed lingua etiam gallica in urbanitate et lepore aulae omnibus vitae socialis deliciis et amoenitatibus affluentis jam tum ad summum elegantiae et puritatis fastigium excoleretur. — At non recens historia solum, sed antiqua etiam confirmat, quanta sint artibus et scientiis parata praesidia in regno aut imperio Unius.

Apud Romanos quidem liberam reipublicae constitutionem artibus et literis parum profuisse, historia clamat.

Nulla erat alia antiquitatis gens, apud quam artes et literae serius emergerint, tardius creverint. Continuus hujus populi imperium artis terrarum affectantis post conditam rempublicam bella primum externa cum finitimis et remotioribus gentibus, tum domestica et civilia, quam diu stabat respublica otia literarum excludebant, et scientiarum florem impediebant.

Per aliqua secula, per quae bella Romanorum intra fines Italiae continebantur, tota civium vita tractandis armis consumebatur, aut inter belli negotia et culturam agrorum dividebatur. Omnis scientia constabat usu armorum, agrorum consitione, et horrida quadam eloquentia. Etiam tum, cum subacta Graecia atque Asia Graecorum literae Romam deferrentur, unde peterentur oblectamenta artium et scientiarum in populo duduum ad ferociam composito, cui persuasum erat, liberalium artium studio viriles effeminari animos? Repentinae opes bellis paratae luxum et ignaviam procreabant, mores perdebant, nullum literis relinquebant locum. Qui per bella praedis et rapinis se ditaverant, turpi otio et inertia diffluebant, populus, cujus majestati reges parebant, cum miseria et inopia colluctabatur. Quid vero commendationis haberent artes et scientiae in populo, cujus ipsi adeo magistratus summi et exercituum Imperatores clarissimi aut literarum et artium rudes erant, aut easdem, (quod pessimum est, sed ignorantiae plerumque adnexum) contemnere etiam solebant, et fastidire. Quis non reminiscitur istius *Mummii*, cognomine Achaici, qui tam rudis fuit, ut capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in

Italiam portandas locaret, juberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. aut istius *Marii*, qui, Sallustio teste, sibi quoque honori ducebat, graecas nescire literas. Quanta erant artibus liberalibus objecta impedimenta in republica, in qua praetoriis etiam et censoriis edictis Philosophi graeci, qui legationis causa primi Romam venerant, tum vero etiam Rhetores graeci et latini urbe et Italia pellebantur, ne quid ex literarum et literatorum hominum consortio detrimenti caperet respublica. Atque hunc artium et scientiarum contemtum Romanis fuisse proprium, et cum natura reipublicae romanae, quae belli non pacis artibus omnem sibi quaerebat gloriam, intime connexum, celebres illi testantur versiculi Virgilii, quibus Augustei seculi cultissimus poëta Anchisen romanae gentis patrem sic de futura sui populi gloria vaticinantem inducit:

„Excudent alii spirantia mollius aera;
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus;
Orabunt causas melius, coelique meatus
Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane memento;
Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.“

Ultimis quidem romanae reipublicae temporibus inter ipsos bellorum civilium furores eloquentiam publicam aemulis summorum Oratorum studiis ad summum pervenisse fastigium, et cum eloquentia philosophiam quoque vehementer fuisse excultam facile largimur. Neque quisquam hoc mirabitur, qui reputaverit inter dissidia et factiones civium potissimum ali et inflammari eloquentiam; in philo-

sophia vero adversus calamitates temporum quae ex illis dissidiis nascuntur, magnum inveniri solatium, eique hanc inesse vim, ut animum a praesentium malorum sensu possit abducere.

Qui vero mores et studia romanorum in ea temporum tristitia penitius cognovit, facile animadvertet, paucos tantum in philosophiae studio fuisse occupatos, atque ita philosophiae fructum ad paucos quoque potuisse penetrare. Unus fere omnium romanorum tum temporis erat Cicero, qui immortalibus suis de republica et eloquentia meritis hoc etiam addidit, ut primus philosophiam ex Graecia in Latium vocaret, et summa philosophiae graecae capita sermone latino exponeret. Nova vero lux et plenus quasi dies tum demum literis et scientiis illuxit, cum Augustus rempublicam intestinis discordiis fessam, nomine Principis reciperet. In hac imperii romani commutatione intellectum est, quantum pax et tranquillitas reipublicae et opes unius, qui civitati praeest, valeant ad ornandas et amplificandas scientias. Haec erat aetas, uti recte consuerit appellari, aurea scientiarum atque artium, haec felicissimis in omni genere scientiarum ingeniis affluebat, hac aetate artibus propter liberalitatem Augusti et amicorum ejus Maecenatis et Agrippae maxime favorabili summi canebant poëtae, Virgilii, Horatii, Ovidii, ab hac denique aetate numerantur optimi in quovis scientiarum genere scriptores et classici. Facile concedimus, majores adhuc fructus ex augmentis scientiarum hac aetate factis et ex tot ingeniorum certaminibus in rempublicam fuisse redundaturas, nisi imperium Principum, aut Caesarum statim fuisset versum in domina-

tionem atque tyrannidem. Nihilominus tamen laetus iste flos artium et scientiarum, qui Augusti aetate coepit, diuturnius fuit et per duo secula duravit, quamvis nonnunquam tyrannica potestate Caesarum esset interceptus. Licet enim a Principibus tyrannicis, qui Augusto succedebant in regno, artes et literae per tempus fuerint oppressae, aut certe coactae lubidini et immanitati istorum Principum servire, mox tamen ab aliis melioris ingenii Principibus in civitatem reductae sunt et in pristinum honorem et splendorem restitutae. Neque etiam istorum Principum, qui literis utilitatis publicae causa favebant, tanta erat paucitas, ut propterea necesse sit indolere fatis romanae reipublicae sub imperio Principum despotico. Ut omittam Titum, quem terris ostendisse tantum superi videbantur, et Vespasianum, quis nescit felicia Trajani, Hadriani, utriusque Antonini et aliorum seculo post Christum natum secundo regnantium Imperatorum tempora, a quibus, Principibus quot et quanta in artes et scientias ornamenta fuerint congesta, nemo facile ignorat, nisi qui in historia illius aetatis plane hospes est. Quin illi adeo Principes romani, qui atrocius in cives saeviebant, et ingeniorum libertati maxime invidebant, odium literarum callide tegentes, haud raro ambitionis et ostentationis causa amorem earum prae se ferebant, artesque magnificis sumtibus adjuvabant; satis videlicet gnari, immoderatam dominationem et crudelitatem imperii proclivibus in literas studiis et munificentia in literatos optime posse celari et quodammodo corrigi aut compensari. Demonstravimus hactenus, quantum emolumenti et augmenti artes et scientiae apud Romanos sæpe-

rint, cum primum imperium hujus populi ad unum esset delatum. Superest, ut eandem sententiam exemplo etiam Graecorum illustrem, atque comprobem, quos quidem inter omnes antiquitatis populos doctrinae, eruditionis et elegantiae fama maxime floruisse compertum est. — Equidem bene intelligo, quid huic meae sententiae, si de Graecis quaeritur, obstet, nec mirarer, si quis mihi imputaverit, me contra historiae fidem loqui, cum certum sit, artes et scientias graecas constituta demum libertate populi ad summum pervenisse florem, in eoque tam diu constitisse, quam diu populus libera civitatis forma esset usus, ut potius hinc inferri posset, liberam rempublicam multo magis favere literis, quam regnum.

Sed haec non ita me movent, ut, quae hactenus de bonarum artium commodis ex imperio unius dicta sunt, retractem, ut potius confidam, historiam quoque Graecorum liberorum ab hac mea sententia vix ac ne vix quidem dissentire. Non jam exemplo regis Atheniensium *Pisistrati* hominis nec indocti, nec infaceti, et, si regni dolum exceperis, satis probi me defendam, qui condita prima Athenis librorum supellectile et collectis atque in ordinem dispositis Homeri carminibus semina futura Atheniensium culturae jecit, et fundamenta posuit. At restituta etiam Atheniensibus libertate, cum finito bello persico et peloponnesiaco artes et literae praesertim elegantiores et ad humanitatis cultum proxime spectantes laetius efflorescere coeperant, cum propter alias causas, tum maxime propter aemula hominum studia civili libertate adjuta, unus tamen erat vir *Pericles*, regio quidem nomine

carens, at regia potestate in libera republica pollens, a quo artes et literae in summo perfectionis fastigio collocatae sunt. Is quippe vir summi ingenii, et ad speciem popularis quum opes civitatis, quas ipse bello auxerat, ad eum solum essent delatae, sic illis usus est, ut non solum largiendo multitudinem sibi devinciret, sed artibus quoque pulchris in honorem civitatis summa pararet praesidia. Ita unus ille vir, cum publicis pecuniis magnificentissima aedificia exstruenda curasset, et aemula artificum studia excitasset, in simulque propositis amplissimis muneribus optima ingenia ad excolendas omnis generis artes allexisset, ad hunc perfectionis gradum eas extulit, quem sine tali adjutore vix fuissent adsecutae. Verum laetus ille flos artium non solum intra Periclis aetatem Athenis constitit, sed congregatis jam in hac urbe omnium artium subsidiis ad secula propagatus est. Namque extincta etiam Atheniensium libertate haec urbs artium et literarum, inprimis philosophicarum sedes mansit, pristinamque celebritatem ita sustinuit, ut ex omnibus regionibus, quotquot ingenium literis excolere volebant, Athenas tanquam ad mercaturam bonarum artium proficiscerentur. Quicquid vero etiam de florenti artium liberalium statu in Graecia, quam diu esset libera, et de utili influxu libertatis graecae in earum culturam dicatur, haud minus exploratum est, et extra omnem dubitationem positum, *scientias* et *disciplinas proprie sic dictas* inclinata demum graeciae libertate et auctis ab ALEXANDRO MAGNO Macedonum opibus per liberalitatem et munificentiam ipsius Alexandri et successorum illius non solum laetissima cepisse incrementa, sed

latissime quoque manavisse, ut earum fructus non ad unam alteramve gentem tantum, sed institutis tum facilioribus hominum commerciis ad universum quasi genus humanum pertinuerint. Quae de hac felici ad scientias amplificandas facta tum temporis conversione rerum copiose suppeditat historia; ea summatim tantum in hunc finem attigisse sufficiat, ut exemplo etiam a Regibus graecis repetito pateat, quantopere ornari et adjuvari soleant artes imperio monarchico. Ipse primum Alexander M. Aristotelis alumnus non solum victoriis et belli gloria sed literarum maxime amore et benevolentia in doctos homines nobilitatus id praecipue in longinquis expeditionibus bellicis spectavit, ut cum regno Macedonum scientias quoque novis accessionibus locupletaret. Semper in expeditionibus contra Persas et Indos secum habebat viros eruditos, qui, quidquid in variis provinciis mirabile aut memorabile invenissent, in tabulas referrent, et deinceps ederent. Sic exempli gratia animalium historiam, cujus particulas nunc etiam habemus, Aristoteli, quo cum aliis viris doctis comite utebatur, scribendam commendavit, et ad conficiendum hoc negotium Plinio teste aliquot millia hominum in totius Asiae Graeciaeque tractu Philosopho jussit parere. Idem rex non solum ex terris incognitis, quas victoriarum cursu lustraverat, novos scientiarum collegit thesauros, sed intentata etiam hactenus maria tentavit, Nearcho ad Indos cum classe misso, quo molimine novum Graecis orbem aperuit, navigationem et mercatum auxit, hacque ratione terras maxime dissitas inter se copulavit. Idem condidit Alexandriam, urbem ad commutandas Orientis cum Occidente

merces situ opportunissimam, locupletissimae mox eruditionis et scientiae seminarium. Liberalis, largus et munificus in omnes, qui in literarum studiis vitam agebant, mortuos quoque coluit ingeniosos homines, cujus rei insigne praebuit documentum, cum, expugnatis Thebis Pindari domui parceret, eamque solam ex communi vastatione et direptione exciperet. Quot quantas accessiones scientiae potuissent nancisci sub unico hoc rege et opulentissimo et literarum amantissimo, variaeque et multiplicis scientiae curiosissimo, si diutius ipsi vivere licuisset! At, quod Alexander inchoaverat, id continuavit et perfecit non multo post celeberrima *Ptolemaeorum* Aegypti regum familia. Hi reges magnificis sane sumtibus et vere regiis apparatibus tanta literis et scientiis comparaverunt instrumenta et adminicula, quanta nunquam viderat aetas alia. Exstructo enim ab his regibus *Museo*, celebri illo conditissimorum hominum convictu, qui ad consocienda literarum studia ibi lautissimis sumtibus alebantur, et condita ad exemplum regum Pergamenorum Eumenis et Attali instructissima *Bibliotheca*, quae ex testimoniis scriptorum fide dignissimorum ultra quadringenta millia librorum continebat, Alexandria brevi tempore tantam celebritatem consecuta est, ut et multitudine ac frequentia doctissimorum hominum ibi confluentium, et copia ac varietate omnis doctrinae atque eruditionis Athenas non solum aequaret, sed etiam superaret. In tanto confluxu eruditorum, qui in plures sodalitates coiverant, vehementer exarserunt literarum studia, nec solum illae artes et disciplinae, quae antea jam per Graeciam viguerant, in Aegypto auctae sunt et

perfectae, sed novae etiam inventae, sic ut omnis paene scientiarum cyclus exhauriretur. Florebant quippe Alexandriae praeter illas artes liberales et ingenuas, quae Graecorum ingenia dudum exercuerant, poësin puto, rhetoricam et philosophiam, disciplinae potissimum mathematicae, astronomia, geographia, musica et harmonica, ars medica, historia naturae, ars denique grammatica et critica, quae maxime versatur in explicandis et illustrandis veterum scriptis, et in restituendis antiquiorum librorum genuinis lectionibus, emendandisque librariorum vitiis. In omnibus hisce disciplinis non solum aetate Ptolemaeorum sed per plura secula Alexandriae magna prodiere ingenia, magnique Scriptores, quorum nomina vetustas conservavit quidem, scripta vero plurima delevit. — —

Exposuimus hactenus exemplis quibusdam illustrioribus ex universa historia desumtis, quantam vim habeat imperium monarchicum ad juvandas et ornandas artes et disciplinas. Causae vero, propter quas ex hoc maxime imperio artes et literae sua derivent ornamenta et praesidia, ita sunt in promtu, et ex illis, quae jam dicta sunt, tam facile patent, ut eas persequi vix opus esse videatur. Igitur, ut tempori et patientiae Vestrae parcam, Auditores! brevissimis rem expediam Jam primum, cum literae et disciplinae praesertim illae, quae multa lectione et meditatione constant, otio tantum et secessu et vitae privatae tranquillitate ac solitudine crescant et alantur, exinde jam cognoscitur, regnum sive imperium unius multo magis favere literis, quam rempublicam proprie sic dictam. Regnum quippe, de quo nobis sermo est, legibus firmis et stabili-

bus innixum natura placidum est et quietum et tranquillum, et propterea quoque otium et tranquillitatem concedit literis. Reipublicae contra natura inprimis illius, quae formam plane democraticam refert, haec est, ut factiones, turbas, discordias et seditiones alat; quae quidem, quam sint literarum otiis contrariae et inimicae, quivis videt. Et si nullis etiam procellis agitetur respublica, partium tamen studiis, concursationibus continuis, fervore negotiorum publicorum, strepitu ac tumultu fori animi civium distrahuntur; civilia tantum studia, quae proxime ad rempublicam referuntur, ferrent et laudantur, reliqua, quae ad omnem humanitatem spectant, jacent aut languescunt. Quae cum sit facies et conditio reipublicae, quis negaverit, scientiarum florem ea magis impidiri, quam adjuvari. Quantas vero clades patiuntur literae in bellis civilibus, quibus respublicae maxime sunt obnoxiae et expositae! Bella quidem externa, quamvis turbare soleant florem literarum, cum tamen non tollunt, saepius etiam, uti Alexandri M. exemplo vidimus, nova literis incrementa comparant, ut bello finito laetius efflorescant. At cum bella diutius continuantur, aut alia ex aliis bella seruntur, quemadmodum in republica romana factum est, tum nascitur paullatim quaedam feritas et immanitas animorum, quae, quantum noceat literis, nemo nescit. Bella vero a populis liberis suscepta plerumque diuturniora et acriora esse, quam quae a regibus geruntur, historia omnis testatur. — At non otia solum, sed ut supra exemplis demonstravimus ornamenta quoque et praemia literis facilius et crebrius parantur regno, quam imperio populari. Cujus rei causa

non longe est repetenda. In regno enim opes civitatis ab Uno distribuuntur, qui Summus est, in imperio populari a pluribus; in illo gloria liberalitatis et munificentiae ad unum redit, in hoc communicata cum pluribus attenuatur. Ita fit, ut in regnis plerumque videamus lautiora scientiis instrumenta, et ampliora eruditis praemia parata. Ea vero est hominum natura et imbecillitas, ut, quemadmodum ad omnes magnas res gerendas, ita quoque ad artes et scientias excolendas honorum et praemiorum incitamentis praecipue stimulentur. — —

Quid jam reliquum est, Auditores! quam ut eo redeat oratio nostra, unde exorsa est, ad preces et bona vota pro Principe et patria. Te igitur appello FRIDERICE SECUNDE! Princeps Optime, Patriae parens. Te, cui hodierno die nostra etiam urbs sanctissimo fidei vinculo se obstrinxit, Te, quem tanquam de coelo missum universa Patria Dominum et Parentem salutat. Tu a primis jam auspiciis principatus Tui praescripta illa egregia publice precandi formula, Ipse proscripsisti, quid cives Tuos de Te sentire, quid a Te expectare eos velles: Tu privilegia patriae solenniori ritu confirmasti; Tu gravissimis et magno Principe dignis verbis Ordinum provincialium Conventui amorem Tuum erga communem patriam, et studia Tua in rempublicam a Te receptam declaravisti, Tu significavisti, Te non minus de officio, quam de jure et dignitate Principis cogitare, Tu denique multis jam beneficiis in patriam collatis illustria generosa mentis Tuae specimina edidisti, omnesque, qui Tuo imperio parent, ad amplissimas de futuro tempore spes erexisti, et ad summam erga Te fidem, pie-

tatem, et reverentiam devinxisti. Accipe jam, Serenissime Princeps, Domine clementissime, custos legum nostrarum sanctissime! accipe pro generosis excelsi animi Tui sensibus, pro omnibus, quae in salutem publicam hactenus a Te gesta sunt et procurata, gratias civium Tuorum devotissimas, accipe pia vota, et preces, quas hodie hoc Tuum Gymnasium pro Tua ac patriae salute ad Deum fundit. Servet Te Deus salvum et incolumem, servet augustissimam Conjugem Tuam, decus et delicias patriae, servet Serenissimum Principem Iuventutis, futuram patriae spem, cum reliqua probe Tua et universa gente Serenissima. Sub Tuo felici imperio tandem redeat pax ardentissimis omnium votis dudum exspectata, augeatur patria, vigeat cum bonis moribus religio, floreat cum reliquis patriae literariis institutis hoc Gymnasium, artes omnes et literae Tua liberalitate sustentatae nova et ampliora capiant incrementa. Ita laetus et amatus diu intersis populo Tuo, et quum fortunatissimum vitae et imperii cursum expleveris, serus aliquando in coelum redeas.

Dixi. —

XVI.

NOTATIONES ALIQUAE IN DIALOGUM PLATONIS, QUI INSCRIBITUR CRITO. 1798.

Inter Dialogos *Platonis*, quamvis omnes omnino divinum hujus Philosophi ingenium referant, atque ita scripti sint, ut attentum legentis animum occupent, sensum pulchri et honesti excitent, alantque, at meditationem quoque subtilitate disputationis acuant et exerceant, vix tamen, si *Phaedonem* exceperis, alius quisquam est ad affectus animi generosiores commovendos fortior, ad sensum recti atque honesti in teneris et incorruptis animis corroborandum efficacior, et ad acuendam juvenum intelligentiam aptior, quam Dialogus ille, qui inscribitur *Crito.* Tractat enim non, ut plures Platonis dialogi, quaestionem quandam metaphysicam subtiliorem et ab usu vitae remotam, sed practicam, ex doctrina morali desumtam, et eapropter intellectui

juvenili propiorem, atque eam sic tractat, ut omni re, de qua quaeritur, in illustri exemplo posita non solum sensus et affectus animi moveat, sed rationem simul et intellectum occupet et exerceat. Quam duplicem vim dialogo huic inesse, ipse animadvertere potui, quum hac aestate illum auditoribus meis publice interpretarer, quorum mentes in excelsis platonici hujus dialogi sensibus plane defixas iisdemque graviter commotas magna cum voluptate intellexi. Itaque operam perdidisse haud arbitror, si hoc programmate, quo publicae orationes Juvenum ornatissimorum in Academiam abiturientium indicandae sunt, argumentum hujus Dialogi gravissimi et pulcherrimi in gratiam Juvenum nostrorum sic illustravero, ut, quae tum ad aestheticam illius pulchritudinem tum ad philosophicam veritatem et gravitatem ejusdem moneri possunt, distinctius indigitarem. Est certe dialogi hujus, si omnes illius virtutes complectimur, ea indoles, ut in magna brevitate summam contineat ubertatem et copiam rerum atque sensuum, et in venustate artis maxima egregiam naturae simplicitatem referat, utque in tractando argumento gravi gravitati illius suavissimam adjungat festivitatem, amabilemque illam Socraticam εἰρωνείαν pluribus in locis elegantissime exprimat. Propositam vero rem et quaestionem ita persequitur Plato, ut Socratis argumentatio cum veritate logica et legibus methodi philosophicae plane consentiat, ordine procedat, et ubique sibi constet; quae vero, si metaphysicam rerum veritatem spectemus, in argumentatione Socratica desiderari aut notari possunt tanquam argute magis, quam vere dicta; ea tamen ita sunt comparata, ut non solum personae Socratis ad mortem

condemnati locoque et tempori convenientissima, et ad augendam veritatem dialogi aestheticam apprime composita videantur, sed etiam ex principiis purioris doctrinae moralis, e quibus Socrates platonicus quaestionem deducit, Critonique respondet, verissima appareant et luculentissima. Ut haec omnia, quae de insigni praestantia hujus dialogi hic praelibavimus, in clariori luce ponantur, necesse erit, argumentum illius curatius exponere, quae quidem expositio, quamvis vim aestheticam dialogicae formae dissolvat et quasi enervet, eo tamen conducet, ut, quae in hoc dialogo ad pulchritudinis, veritatis et honestatis sensum acuendum apta reperiuntur, eo facilius in oculos incurrant.

Jam primum dialogus a persona principali, Socrate, et ab externo statu, in quo collocatus est, magnum habet momentum, insignem gravitatem. Sistitur nobis Socrates, vir justissimus et innocentissimus, injusto judicio capite damnatus, et ultimo supplicio jam proximus, sed mortem admirabili constantia et tranquillitate animi opperiens, atque omnia potius pati paratus, quam facere aliquid aut se indignum, aut legibus adversum. Quem non capiat talis tantique Viri imago, quem non moveat illius fortuna! Sane spectaculum dignum, ad quod respiciat, ut ait *Seneca*, Deus operi suo intentus; Vir fortis cum mala fortuna compositus! Patheticam hujus scenae vim augent etiam res externae, locus et tempus colloquii. Habetur dialogus in carcere publico, cui inclusus est Socrates, fatali supplicii die jamjam imminente, pridie scilicet ante supplicium Socrati indictum, et primo lucis diluculo. Neque minus animum commovet altera dialogi persona, *Criton*, amicus et disci-

pulus Socratis, qui, quum omnia jam paravisset ad Amicum et Magistrum morti eripiendum, et eo consilio custodem carceris beneficiis sibi devinxisset, ante lucem in carcerem venit, ut Socrati argumentis ad persuadendum efficacissimis persuadeat, festinata fuga, cum periculum in mora sit, salutem sibi quaerere, et indigno supplicio se subducere. Quis non amet hominem, tanto ardore inflammatum, tanto gratissimi animi sensu perfusum, ut nullis parceret sumtibus, nullum timeret sibimet ipsi imminens periculum, si modo Magistri vitam servare sibi contigisset! In ipso autem dialogi exordio et introitu quantus tandem apparet Artifex *Plato*! Ita in eo omnia sunt affectuum nobilissimorum plena, et ad veritatem naturae expressa; ita omnia moribus personarum aptata sunt et plane respondent. Haec certe scena initialis, quae colloquium philosophicum praeparat, a Sophocle aut Euripide, summis in arte dramatica artificibus non potuisset excogitari aut ad naturae imitationem pressius, aut ad ciendos admirationis amoris et commiserationis affectus efficacius. — Socrates, integer vitae vir, scelerisque purus lectulo stratus placide dormit, imminente morte nihil territus. Crito, carcerem ingressus videt magistrum dormientem, miratur levem illius somnum, tantamque in tantis malis animi tranquillitatem; tacitus dormienti assidet. Mox Socrates expergiscens (hinc dialogus orditur), primum de tempore quaerit, et quum Crito respondisset, nondum illuxisse, insimulque dulcem Magistri somnum in tanta calamitate miratus esset, Socrates parum ea re motus interrogat Critonem, cur tam multo mane venerit, atque ita ipse discipulum propinquae mortis

tristem nuncium referre haesitantem excitat. Quem nuntium cum jam ille exposuisset, proximamque Socrati mortem ex proximo reditu Navis Deliacae, qua absente neminem licebat Athenis supplicio afficere, vehementer contristatus denuntiasset, laetus istum nuncium excipit Socrates, et de migratione sua in alteram vitam sibi gratulatur, sed somnii cujusdam ut putabat, divini, quod paulo ante adventum Critonis habuerat, religione permotus de supplicio cras jam ex Critonis significatione ineundo adhuc dubitat, et tertio demum die sibi moriendum esse affirmat. Quantopere totum hoc dialogi exordium mira arte inventum et dispositum valeat ad animum commovendum, et ad sensus in eo humaniores excitandos, pluribus verbis exponere non est opus, et unusquisque sentiet ipse, qui Platonis verba legerit. — Incipit jam prima pars dialogi, in qua Crito praecipue loquitur, atque omnia argumenta studiose conquirit et colligit, quibus Magistrum convincere sperat, ut non solum licere sibi, sed jus etiam esse existimet, vitam sibi suisque diutius servare, et opitulantibus amicis et discipulis ex carcere sine cunctatione effugere. Nihil in hoc Critonis sermone omittitur, quod conferre aliquid poterat ad animum Socratis persuadendum, et quae profert argumenta Crito, tanto ardore proponit, atque sic ea colligat et coacervat, ut eorum ponderi vix alius quisquam, si Socratem, justissimum sapientissimum et propositi tenacissimum Virum exceperis, obsistere potuisset. Argumenta haec moventia et ab utilitate, et ab honestate et a necessitate desumuntur, spectant eo, ut demonstrent Socrati, Jus se et potestatem habere salutis per fugam expediendae, fugamque

illam ex vinculis neque cum ignominia neque cum injustitia esse conjunctam; itaque in illis tum publicae opinionis et expectationis, tum amicorum Socratis eorumque famae, tum Socratis ipsius, quid ipsum facere deceat et oporteat, ratio habetur. Igitur, ut Socratem, si fieri posset, in suam sententiam trahat, eumque moveat, oblatam ab amicis salutem non recusare, monet Crito, quantam ipso mortuo jacturam facerent amici ipsius et discipuli, quantamque invidiam famaeque turpitudinem hi sibi contraherent, si salutem ipsius neglexissent, nec, cum potuissent, ipsum e vinculis liberassent. Adjungit, non opus esse, ut timeat propter amicos suae libertatis vindices, ne quid postea paterentur; omnes et singulos paratos esse, quodvis pro Magistro subire periculum; neque id magnopere esse metuendum; carceris quippe custodem beneficiis sibi esse devinctum, et pecuniam esse paratam, qua et ministri carceris facile capi possent, ut fugam adjuvent, et sycophantae, ne quid indicent; praeterea nec Magistrum de futura vitae sorte debere esse sollicitum; secura enim ipsi hospitia amicorum jam esse parata, et, si in Thessaliam abire voluerit, illic quoque asylum esse inventurum. Addit tandem his rationibus graviores quasdam, videlicet, Socratem injuste erga se ipsum esse acturum, si vitam hostibus prodiderit, et occasionem illius servandae dimiserit, praesertim, cum liberos habeat, quorum causa debeat vitam quam diutissime conservare. — Haec fere Crito. — Jam vero Socrates, qui, quanquam haud improbans studium et benevolentiam Critonis, consilium tamen fugae minime probabat, accingitur ad rationes amici convellendas, atque in refutandis illis

tali utitur demonstrationis methodo, ut ex principiis doctrinae moralis purioris Critoni per interrogationes propositis et ab eodem libenter concessis discipulum edoceat atque convincat, propositum fugae consilium neque cum honestate neque cum justitia posse conciliari, adeoque sibi non licere, fugam capessere, sed supplicium indictum patienter potius esse sibi expectandum et subeundum. Videamus nunc, quo modo et quo ordine argumentationem suam instituerit Socrates platonicus. Cum mos sit Platoni, in philosophicis etiam quaestionibus Mathematicorum morem atque methodum sequi, qui a simplicissimis ad magis composita progrediuntur, omnis etiam disputatio socratica hujus Dialogi incipit a simplici quaestione, utrum faciendum sit, quod Crito suaserit, nec ne, (εἴτε πρακτέον, εἴτε μὴ), ex quo disputationis initio sine dubio nata etiam est vetus inscriptio Dialogi περὶ πρακτοῦ aut, quae melior est lectio, περὶ πρακτέου. Hanc vero quaestionem sic persequitur Socrates, ut statim moneat, eam unice judicandam esse ex eo, quod in se rectum et justum sit, sive ex rectae rationis dictamine, non ex opinionibus hominum variis et fluctuantibus, qui rectum et justum ex utilitate, aut e commodis externis actionum nostrarum metiri soleant, et si ratio habenda sit opinionum, sola sapientum judicia esse spectanda, quorum opiniones ipsius rationis dictamine nitantur. Sapientis videlicet esse et sibi constantis hominis, quocunque rerum externarum statu sequi rectae rationis judicium, neque accommodare se rebus externis, aut vanis hominum opinionibus. Hanc dein-

ceps sententiam illustrat exemplo ab illis, qui gymnasticam exercent, petito, et ad causam praesentem apte locato. Quemadmodum enim hi in corpore curando non se accommodent ad judicia imperitorum, sed solis gymnasticae peritorum, ne quid corpori detrimentum inferant, ita quoque actiones liberas, quae versentur circa id, quod justum aut injustum, turpe aut pulchrum est, componendas esse ad id, quod justitia exigat; cumque animus multo sibi praestantior corpore, eo magis cavendum esse, ne is per injustitiam corrumpatur; et, cum vita vitiato corpore vilius pretii sit, facile esse perspectu, vitam vitiato per injustitiam animo multo minus esse optabilem. Haec quasi prima pars est argumentationis socraticae, quae quidem eo spectat, ut Critoni demonstret, ipsius vitae conservationem posthabendam esse virtutis et justitiae exercitio, nec licere eam servare violata justitia, itaque sibi etiam non esse liberum, invitis Atheniensibus e carcere exire, nisi id recte et juste fieri possit. Sequitur nunc altera pars disputationis socraticae, in qua, quae de vi et necessitate legis justitiae hactenus praemissa et exposita erant, ad praesentem causam applicantur. Omnis quippe reliqua pars Dialogi occupatur in eo, ut Socrates ostendat Critoni, legem justitiae sibi violandam esse, si consilio illius obtemperare vellet. Hanc autem disputationem sic instituit Socrates, ut primum legis moralis sive justitiae ambitum exponat, et quid illa comprehendat, clarius significet, deinde elegantissima sermocinatione atque inductione, in qua leges Atticae loquentes inducuntur, applicationem ad causam propositam faciat.

Itaque primum Socrates docet, vim legis justitiae talem esse, ut omne, quod huic legi contrarium sit, plane et sine ulla exceptione interdicat, adeoque omnem omnino injustitiam excludat; atque hinc concludit, nec injuriam acceptam injuria esse referendam, eique, qui injusta passus sit, neutiquam licere, se vindicare, aut male facere ei, a quo fuerit injuria affectus, quum videlicet male facere, et injuste agere, nihil differat. Excelsam hanc et gravem, nec solum naturae humanae dignitati, sed sanctissimis etiam religionis revelatae praeceptis convenientissimam sententiam Socrates in praeclara illa legum προσωποποιΐᾳ, quam Cicero etiam in prima Catilinaria imitatus est, sic persequitur, ut pluribus summo cum acumine conquisitis rationibus Critoni demonstret, se vere injustum et injuriosum fore erga leges et rempublicam, cujus civis sit, si consilio Critonis e carcere clam effugiendi et capitis supplicium declinandi parere voluerit. Cum in hac personatarum legum argumentatione omnia huc redeant, ut evincatur, unumquemque civem oportere injustis etiam legibus et judiciis civitatis sine restrictione se submittere, obligationem hanc revelata etiam religione et sacris literis firmatam inde deducit Socrates, ut doceat, quemlibet civem spontaneum non verbis quidem, sed facto iniisse cum civitate pactum, constitutis legibus et judiciis obediendi; illum itaque, qui poenam legibus sibi indictam subterfugiat, sive illa justa sit, sive injusta, violare illud pactum, debitum legibus obsequium infringere, et injustum esse in rempublicam. Ne autem Crito forsitan objiciat, spontaneum illud pactum tacitum nonnisi de tali republica intelligendum esse, quae

conformata sit et administrata ad leges justitiae, atque inde concludat, nullam inde nasci civibus obligationem etiam injustis legibus et judiciis parendi, Socrates ad removendam hanc objectionem monet, inter cives singulos et rempublicam non obtinere mutuam jurium aequalitatem, (οὐκ ἐξίσου εἶναι τὸ δίκαιον τοῖς πολιτευομένοις καὶ τῇ πόλει), sed civitati et patriae ampliora in cives esse jura, et majora adhuc, quam parentibus in liberos, aut dominis in servos; quemadmodum igitur nefas sit, patri aut domino injusto obsequium negare, aut ei resistere, et par pari referre, ita multo minus licere civi patriae etiam injuste agenti se opponere, aut, quamvis injusta capitis poena subeunda sit, talia facere, quae turbent ordinem publicum, quae ad destructionem legum tendant, aut eo spectent, ut judicia publica irrita reddantur. Itaque se, si contra voluntatem Atheniensium fuga poenam effugeret, manifestam injuriam adversus patriam esse commissurum, neque aliud esse acturum, quam ut pro sua parte, et quantum penes ipsum sit, publica judicia irrita faciat. Ita enim autoritatem legum, rem cuivis civitati saluberrimam, qua nihil unicuique civi sanctius esse debeat, et carius, subverti, aliisque civibus pessimum dari exemplum obsequii legibus denegandi. — Ultima haec Socratis ratio, haud quidem ex jure naturae et civili, sed ex purissimis moralis doctrinae principiis hausta, in qua praecipue cardo totius argumentationis socraticae vertitur, et a qua etiam

Socratis argumentatio proficiscitur, quam acute a Platone excogitata sit, et quam scite accommodata magno Socratis animo, nemo non videt. Quantopere vero eadem haec doctrina de obsequio in leges, eosque, qui leges administrant, παθητικῷ prosit etiam saluti et quieti civitatum, et publico rerum civilium ordini, vix est monendum. Id vero hoc loco non plane silendum arbitror, praeivisse, ut mihi quidem videtur, divinum Platonem ista, quam ipsius verbis exposui, sententia ill. *Kantio*, qui eandem sententiam in systemate morali ab ipso ad majorem puritatem revocato aliis tantummodo verbis expressit, dum hanc primam et summam doctrinae morum et juris ponit legem, ex talibus regulis et normis esse agendum, sine quibus cogitari et stare nequeat res publica ad leges conformata, et in quas omnes necessario consentire debeant, qui statum civitatis legitimum esse velint; eas igitur actiones et actionum normas (Maximen) omnes esse injustas et rejiciendas, quae constituendo ad leges communes civitatis statui repugnent, et ita comparatae sint, ut, si omnes eas sequerentur, necesse sit, formam civitatis ad externas leges constitutam tolli atqui destrui. — Ceterum Socrates, quamvis praecipue rationes ab Critone allatas ex idea justi refutet, ipsique demonstret, se ingratum et injurium erga patriam fore, si illius consilium sequi voluerit, tamen ad reliquas etiam Critonis rationes sufficienter respondet, quas ille ab utilitate desumserat, ostensurus, quanta sibi-

met ipsi et inprimis famae suae atque existimationi mala esset contracturus, si, tanquam vir septuagenarius vitam tantopere diligeret, ut turpi fuga mortem imminentem vitaret, et totius vitae honestatem suique nominis memoriam tali dedecore foedaret. Has vero rationes in Dialogo graviter et venuste expositas ulterius persequi pagellarum angustia prohibet. — Superest quippe aliud officium sanctius. Nominanda nobis est ornatissimorum Juvenum corona, qui peracto in hac schola cum laude et fructu studiorum suorum stadio hac se ipsi religione obstrinxerunt, ut morem inter nos receptum servarent, et publicis orationibus huic Gymnasio ante abitum pie valedicerent. Qui, quum verba facere statuissent *de diversis diversorum populorum ingeniis atque moribus* hanc dicendi materiam hoc ordine persequentur:

CHRISTIANUS MICHAEL SCHUH, *Thalhem. Theol. Stud.* enarrabit causas, quae ad definienda populorum ingenia et mores praecipuam vim habent, lingua latina.

CAROLUS GUSTAVUS SCHEFFER, *Stuttg. Theol. Stud.* transibit ad populos cultiores prisci aevi, moresque et ingenium *Graecorum* describet lingua graeca.

CHRIST. FRIDERICUS NANZ, *Stuttg. Theol. Stud.* imaginem exprimet morum et ingenii *Romanorum*, lingua latina,

THEOPHILUS HENRICUS WEICH, *Stuttg. Theol. Stud.* descendet ad cultiores recentioris aevi

gentes, et de moribus ac ingenio *Italorum* disseret lingua latina.

CAROLUS HENRICUS DIETERICH, *Ludovicop.* *Jur. Stud.* mores et ingenium *Franco-Gallorum* delineabit lingua vernacula.

CAROLUS FRIDERICUS HEYD, *Bissing. Jur. Stud.* quae *Anglorum* moribus et ingenio propria sunt, depinget lingua vernacula; tum

JOHANNES FRIDERICUS HARPPRECHT, *Stuttg. Jur. Stud.* *Germanorum* indolem et mores sic exponet, ut, quantum nostra gens morum indole praestet ceteris gentibus, ostendat lingua item vernacula.

Denique:

IOHANNES CAROLUS WAECHTER, *Stuttg. Jur. Stud.* adjunget lingua etiam vernacula descriptionem ingenii Germanorum, insignia Nostratium de artibus ac literis merita illustrabit, et cum gratiarum actione valedicet.

XVII.

QUID RELIGIO CHRISTIANA PRAECIPIAT DE AMICITIA. 1799.

Vetus est et laudabile Gymnasii nostri institutum, ut finitis examinibus publicis, qui absoluto cursu gymnastico ad academica subsellia transituri sunt, publicis orationibus proprio Marte elaboratis valedicant, nec sine aliquo ingenii aut industriae et collectae scientiae specimine a schola discedant, cui hactenus tanquam bonarum artium alumni fuerant adscripti, et cui, quidquid in literis profecere, maxima ex parte debere grato ipsi animo profitentur. Igitur quum et hoc anno quinque ex Auditoribus nostris hunc declamandi et valedicendi honorem sponte sibi expetiverint, et a nobis rogaverint, ut commodam dicendi materiam ipsis suppeditaremus, placuit talem proponere, quae per se gravis esset, et

jucunda, nec supra vires Oratorum Juvenum posita. Quapropter elegimus locum *de amicitia*, decantatum quidem, neque tamen ignobilem, atque ita copiosum, ut a pluribus oratoribus vix exhauriri posse videatur. Satius quoque videbatur et ipsi Auditorio gratius, continuam et cohaerentem materiam dicendo persequi, quam singulas singulis oratoribus quaestiones proponere. Ex eadem causa haud intempestivum aut incongruum esse duximus, in indicendo hoc actu oratorio ab eodem hoc argumento a juvenibus nostris pertractando programmatis materiam sumere, inquisituri, *quid religio christiana praecipiat de amicitia, et quantam habeat vim ad illam commendandam.*

Saepius jam ab hostibus christianae religionis inter alias criminationes haec etiam est jactata, quod religio christiana nihil praecipiat de amicitia, quin adeo illam repudiet ac rejiciat, cum tamen philosophia veterum tam egregie et magnifice statuat de amicitia, certumque sit, nihil hominibus a Deo datum esse praestabilius, in eaque inveniri optimum et firmissimum tum felicitatis cum virtutis praesidium. Quantum hac adversariorum sententia detrahatur divinae religionis autoritati, quivis videt. Ut igitur appareat, quam falsa et iniqua sit illa criminatio, liceat nobis breviter ostendere, quam magna insit in religione christiana amicitiae commendatio.

Jam primum hoc non est inficiendum, sacras literas, quibus religio christiana tanquam fundamento

nititur, de amicitia proprie sic dicta, quam intelligimus esse intimam animorum, voluntatum ac studiorum conjunctionem, quae inter duos vel paucos obtinet, expressis verbis non loqui, nec propria et peculiaria amicitiae praecepta continere. Exinde tamen minime potest colligi, religionem christianam amicitiae contrariam esse, aut illam e medio tollere. E genio potius ac natura christianae religionis facile demonstratur, tantum abesse, ut ea amicitiam excludat, ut potius ad commendandam, firmandam atque expurgandam amicitiam plurimum valeat. Omnis quippe religio christiana Dei hominumque amore nititur. Summa illius lex est, ut Deum atque homines diligamus. Ad hanc legem reliqua omnia ejus praecepta revocantur, in hanc resolvuntur. Est hoc christianae religioni proprium, ut Deum tanquam communem omnium hominum Patrem, homines tanquam filios Patris hujus coelestis sistat, atque ita omnes omnino homines, quatenus humanae naturae participes sunt, uno eodemque tenerrimo amoris et fraternitatis vinculo conjungat. Quamvis igitur de amicitiae, quae inter paucos locum habet, officiis sileat religio christiana, quamvis non moneat, aut jubeat amicitias cum aliis singulares contrahere, ejusmodi tamen amicitias minime prohibet, aut improbat, sed eas temporibus et privatis hominum judiciis, a quibus pendere solent, relinquit. Tantum igitur abest, ut amicitia per christianam religionem excludatur, ut potius amoris praecepto contenta et

inclusa esse videatur, cum certe amor et benevolentia in homines semina sint, e quibus velut ex herbis amicitia nascitur. Praeterea ex ipsa christianae religionis indole sufficiens potest ratio reddi, cur illa de amicitia ejusque officiis nihil expresse doceat. Cum enim, uti jam diximus, praeclara atque excellens indoles religionis christianae eo tendat, ut omnes omnino homines tanquam amicos et fratres inter se consociet, non mirandum est, quod religio christiana amicitiae doctrinam silentio praetermittat. Quo magis videlicet amor iste fraternus, quem religio christiana spirat, inter christianos vigebit atque dominabitur, eo certius in unoquoque christiano homine amicum reperiemus; eo minor erit necessitas, proprios nobis amicos adjungendi. In priscorum temporum asperitate et barbarie magnus inerat stimulus, magnum incitamentum ad amicitiam; cum illa, quicquid virtutibus socialibus deesset, compensaret. Cum vero per christianam religionem mores quoque populorum mitiores facti, mutua gentium odia ac dissidia vel sublata vel certe imminuta essent, amicitiae quoque non tantum esse poterat desiderium, quantum olim fuerat, nec tam gravis incumbebat christianis necessitas ad ineunda inter se singularis amicitiae foedera.

In hoc itaque potissimum excellit et triumphat christiana religio, quod privatis amicitiis amorem substituit sincerum ac ingenuum, qui latissime patet, et universum genus humanum complectitur, et quod

eum in veterum populorum religionibus amcitia homines ad virtutem perduxerit, in religione christiana divinitus revelata per virtutem via sternitur ad amicitiam.

Satis apparet ex hactenus dictis, perperam vitio verti christianae religioni, quod de amicitia parum loquatur; eos autem plane non audiendos esse, qui eo procedunt, ut christianam religionem vel inimicam quoque amicitiae existiment. Etenim quo pacto christiana religio noceat aut obsit amicitiae, cum eam potius efficacissime commendet non verbis quidem, sed exemplis gravissimis et luculentissimis in sacra scriptura propositis. Atque hic primum se nobis offert ipse christianae religionis Conditor et Servator noster optimus *Jesus Christus*, qui, uti omnium virtutum, ita quoque amicitiae et amoris perfectissimum nobis exemplar reliquit. Is primum purissimi amoris in universum genus humanum edidit immortale monumentum, cum ex aeterno Dei Patrisque sui coelestis consilio voluntariam mortem pro redimendis hominum peccatis obiret, qua morte spontanea ex suo ipsius et Apostolorum suorum testimonio omnes, qui suae religioni se addixerunt, admonere insimul voluit, ut et ipsi, si necesse sit, exemplum ipsius sequerentur, animamque pro fratribus ponerent. Sed in ipsa quoque amicitia, de qua jam sermo est, colenda illustrissimo nobis exemplo praeivit *Jesus Christus*, quo satis superque declaravit, et homine christiano dignum esse, contrahere amici-

tias, contractasque colere ac tueri. Ita quidem ex universo populo Judaico duodecim Apostolos secrevit, quorum opera et ministerio in Ecclesia condenda uteretur, eosque in amicitiam suam ac familiaritatem recepit; (Joh. XV, 12—17.) ex his tres sibi adjunxit interioris quasi admissionis amicos et comites, *Petrum* videlicet, *Jacobum* Seniorem et *Johannem*; inter quos vero Johannem tenerrimo amore ita complexus est, et in oculis gestavit, ut is in coena quoque proxime accubaret Magistro, capite in gremium atque sinum Domini reclinato. (Joh. XIII, 23. XXI, 20.) Neque vero solum Apostolos suos, quibuscum arctior ipsi intercedebat communio, amicos habuit, sed alios quoque extra illam societatem viros atque feminas probitate ac simplicitate animi insignes; inter quos, quis ignorat *Lazarum* Bethaniensem cum sororibus Martha et Maria, *Nicodemum* et *Josephum de Arimathia*, utrosque viros nobiles, et inter Judaeos pollentes, et clandestinos Jesu Christi discipulos, qui, quamvis non auderent, Jesum, dum viveret, publice sectari, mortuum tamen palam novi sepulcri et pretiosissimorum aromatum honoribus prosecuti sunt. Jam quid gravius, quid efficacius excogitari potest ad amicitiam commendandam illustri hoc optimi Servatoris exemplo! Quis religionis christianae verus cultor dubitabit, etiam hac in re exemplum Christi sibi esse ad imitationem propositum? Ab exemplo Christi ad Apostolos, ab Apostolis ad ecclesias quoque ab ipsis institutas manavit

tener iste, generosus atque incorruptus amicitiae et amoris mutui sensus, qui, quantam vim habuerit ad unitatem fidei conservandam, et ad alendum christianae virtutis exercitium historica primaevae ecclesiae monumenta satis ostendunt. Ex hoc sensu per adflictiones et vexationes inflammato innumera bona in Ecclesiam fluxere. Cum primum vero aucto Ecclesiae ambitu et splendore externo frigere coepisset, virtutis quoque studium paulatim, deferbuit, et puritas et simplicitas doctrinae christianae cum disciplina morum depravata et corrupta est. Ita deficiente hoc amoris sensu virtus christiana, virtute deficiente sensus amoris ac amicitiae inter christianos defecit. Nunquam tamen religiosus iste amoris sensus ita prorsus extinctus est, ut non in diversis Ecclesiis vestigia illius remanerent. Conservatus maxime est a Waldensibus, a Fratribus Moravicis ac Bohemicis, et hodienum praecipue viget in illa memorabili societate christiana, quae sub nomine Unitatis Fratrum Evangelicorum A. C. nota et per omnes orbis partes sparsa est. Non est hujus loci, constitutionem illius societatis vere christianae recensere; satis est, monuisse, ex hoc religioso amoris et amicitiae christianae sensu, quo, tanquam fundamento unitas fratrum continetur, saluberrimos jam fructus et in ipsam fratrum communionem et in universam rempublicam christianam nostris praesertim temporibus, a christiana caritate alienissimis redundasse. Ex hoc enim fonte profluunt omnes, quibus

illa societas distinguitur, virtutes, concordia mutua fratrum, libertas eorum et aequalitas christiana haud sublato externarum relationum discrimine, tranquillitas animi, morum comitas et placiditas, prudens in egentes ac pauperes largitio, hospitalitas, liberalitas in rebus indifferentibus, vitae negotiosae industria, spontanea adversus leges civiles obedientia, ardens denique studium religionis christianae et vitae socialis excultae beneficia cum barbaris et religionis revelatae luce nondum collustratis gentibus communicandi, ceteraeque omnes virtutes, quae hanc societatem unicuique sobrie judicanti venerabilem reddunt atque amabilem. — —

Quantum religio christiana valeat ad commendandam amicitiam, hactenus vidimus. Superest, ut breviter etiam videamus, eam non ad commendandam solum sed ad firmandam quoque, purgandam atque excolendam amicitiam plurimum conferre. Jam primum religio christiana, quum amicitiam cum amore Dei copulet, illamque ex hoc pulcherrimo fonte derivet, sanctiorem eam facit, nobiliorem et augustiorem. Christiana quippe religio ad amicos quaerendos et amandos nosmet impellit non voluptatis solum et utilitatis causa, sed ut in amandis quoque amicis Dei voluntatem exsequamur, et ad similitudinem ejus accedamus. Igitur, si quos invenimus aut elegimus, quibuscum arctius et familiarius vivere nobis curae est, hos eo fortius et constantius amabimus, quo magis persuasum nobis erit,

eos ab ipso Deo nobis ad amicitiam esse commendatos. Ita novo quodam, eodemque sanctiori et acriori stimulo trahemur ad amicitiam, et vehementer gaudebimus, si quidem nobis contigerit unitis cum hominibus, qui eodem divini amoris vinculo nobiscum conjuncti sunt, benefacere aliis, h. e. eorum cum felicitati tum virtuti providere atque prospicere, atque ita consiliis Dei sanctissimis in hac terra, quantum penes nos est, satisfacere. Quapropter amicitia, quae inter veros Christianos locum habet, non solum civilium, sed omnium quoque moralium virtutum fons est uberrimus. Ipsae adeo virtutes civiles inter amicos vere christianos pulchrius ac laetius efflorescunt, quoniam ad has quoque excitandas atque alendas nihil religione potest excogitari efficacius. Ita quidem amor patriae, obsequium erga leges earumque custodes, omnis denique reipublicae quies et securitas plurimum accipiunt roboris ab amicitiis ad veram christianae religionis indolem compositis. Quanta sit christianae religionis vis in adjuvanda amicitia, exinde etiam cognoscitur, quoniam quicquid amicitiam impedit, aut turbat et dissolvit, removere studet. Summa pericula maximam pestem amitiae minitantur affectus in animis hominum vel delitescentes vel erumpentes; ira, invidia, fastus ac superbia, pecuniae cupiditas, honoris et gloriae studium, ceteraeque animi commotiones. Jam cum religio a nobis exposcat perfectam mentis atque morum sanctitatem, cum

fortissima non solum incitamenta, sed optima quoque remedia ad domandos coërcendosque affectus suppeditet, amicitiam quoque purgat ab omnibus, quae labem et maculam afferre ei possunt, illamque facit constantem, perpetuam ac indissolubilem. Nunquam inter amicos christiana mente praeditos amicitiae commutabuntur in odia et inimicitias, eo plerumque acerbiores, quo diuturnior et familiarior amicitia fuerat. Summam denique et maximam vim amicitiae conciliat christiana religio, quod, quum ex oraculo divino divinaque revelatione nos de altera et beatiori vita certissimos faciat, amicitias quoque per hanc vitam cum bonis initas aeternitati consecrat. Est haec christianae religionis praestantia, ut ex Dei autoritate promissionibusque divinis omnem de futura vita dubitationem tollat, cum philosophia, quamvis de immortalitate animorum eorumque post mortem statu egregie doceat, rationes tamen nonnisi probabiles afferre possit. Optimi certe veterum philosophi, Socrates, Plato aliique magnifice quidem, neque vero sine omni formidine oppositi de animorum immortalitate statuerunt. Ita quidem Cicero in praeclaro de amicitia libro, in quo amici Scipionis viri excellentissimi inter se colloquuntur, Laelium de mortuo Scipione ita loquentem inducit: „Si ita est, ut optimi cujusque animus in „morte facillime evolet, tanquam e custodia vincu„lisque corporis; cui censemus cursum ad Deos faci„liorem fuisse, quam Scipioni? Sin autem (ita per-

git Laelius) illa veriora, ut idem interitus sit animorum „et corporum, nec ullus sensus maneat; ut nihil boni est „in morte, sic certe nihil mali." Sola igitur religio christiana, cum certissime pronuntiet de futura vita, et de bonorum hominum in illa meliori vita aeternis consortiis, firmissimam quoque affert persuasionem, amicitias terrestres morte non deleri, sed in omnem potius aeternitatem esse duraturas. Hac vero persuasione quantopere augetur amicitiae pretium! Quanto magis optanda et expetenda nobis erit amicitia, saluberrima malorum omnium terrestrium medicina, cum nec mors eam nobis eripere poterit! Quam patienter et placide feremus amicorum ex hac vita discessum, cum sciamus, nos in eadem loca mox esse migraturos, in quae isti praeiverunt, atque tum conjunctionem nostram fore sempiternam. — Tantum de vi christianae religionis in amicitiam pro angustia paginarum dixisse sufficiat: Reliqua amicitiae capita principalia persequentur Juvenes Oratores sequenti ordine:

CAR. FRID. AMAND. KOHLER, *Birkac. Theol. Stud.* praedicabit magnum amicitiae pretium, sermone latino.

FRID. EUGEN. DE MAUCLER, *Montisbel. Jur. Stud.* enumerabit conditiones amicitiae, lingua gallica.

JOH. HENR. FRID. LANG, *Dürkhem. Jur. Stud.* aget de virtutis et amicitiae mutuo nexu, idiomate germanico.

mus religionem a superstitionibus magis magisque purgatam, sed contra incredulitatis labe contaminatam. Exempla innumera illustrissimarum virtutum, sed atrocissimorum quoque scelerum animo obversantur. Quot et quanta denique per ultimum tantummodo hujus saeculi decennium nostra aetas adspexit miracula et prodigia; quorum ea vis est et natura, ut continua priorum saeculorum spatia cum postremo abeuntis saeculi decennio vix conferri posse videantur. Quantae per exiguum hoc temporis intervallum non urbium solum expugnationes, sed magnorum regnorum conversiones! Quanta nunc etiam animorum agitatio! Quantus opinionum politicarum conflictus! Quanta in defendendis contrariis sententiis ex utraque parte pertinacia! Bellum atrox, exitiale, paene internecinum nondum plane desaeviit. Pax saepe frustrata suspensos jam tenet animos hominum et populorum inter spem metumque fluctuantes, et — prudens futuri temporis exitum

Caliginosa nocte premit Deus.

Jam cum anniversaria publice valedicendi solemnitas in Gymnasio nostro in ultimam hujus saeculi metam hoc anno incidisset, et propterea Ornatissimi Juvenes Oratores publicarum declamationum materiam a *genio saeculi fugientis et ab illius virtutibus vitiisque* petiissent, nec injucundum nec intempestivum fore putavi, prolusionis loco de *annis ludisque Romanorum saecularibus* nonnulla praefari.

Dudum quidem hunc antiquitatis romanae locum

tam copiose atque accurate excusserunt plures superioris jam saeculi Eruditi *), ut novum quid aut

---

*) Antiqui Scriptores, qui de Ludis Romanorum saecularibus retulere, sunt *Valerius Maximus* (L. II. c. IV. n. 6.) *Zosimus* in Hist. (L. II.) et *Censorinus* de Die natali c. XVII. Et primus quidem de origine et institutione ludorum saecularium aliqua monet, alter vero uberius agit de eadem re, intertexens carmen Sibyllinum historiae, quo instituti fuerunt ludi saeculares, et recensum quoque ludorum exhibet. Tertius itidem ex ordine recenset ludos Romanorum saeculares et libera republica et ab Imperatoribus editos, cum ex testimoniis eorum, qui Annales et Fastos composuerunt, tum ex Quindecim Virorum commentariis, atque inde ostendit, quam incertae sint temporum rationes, quibus editi fuerint ludi isti saeculares. E recentioribus, qui ex professo materiam hanc pertractarunt, nominandi sunt praeter *Angelum Politianum*, qui carmen Sibyllae a Zosimo servatum latinis versibus expressit, et *Alexandrum ab Alexandro* (Genial. dier. V. 26, et VI. 19.) praecipue *Onuphrius Panvinius* Frater Eremita Augustinianus, cujus commentarius de ludis saecularibus adjectus est Fastis Consularibus ab eodem a. 1588 editis, et insertus dein Thesauro Antiquitt. Graeviano (Tom. IX.) *Petrus Taffinus* S. J. qui Tornaci 1641. edidit librum de veterum Romanorum anno saeculari pariter insertum Thesauro Graeviano (T. VIII.) et *Jo. Ad. Turretinus*; cujus *academicae quaestiones de ludis saecularibus* prodiere Genevae 1701. Anni saecularis rationes et ludorum saecularium chronologiam speciatim illustrare annisi sunt *Joseph. Scaliger de Emendat. Temporum*, et *Dion. Petavius*, qui in Opere *de Doctrina Temporum* L. II. convellere studuit Scaligeri rationes: Peculiaribus denique dissertationibus hanc materiam tractarunt. *Jo. Math. Gesner* in Comment. de *Annis ludisque saecularibus Romanorum*. Vinar. 1717. *J. Ch. Stussius* in Commentatione *de opinatis saecularium ludorum notis in numis romanorum*

hactenus indictum proferre vix quisquam possit. Nos igitur, quae in hanc rem passim tradita fuerunt ab istis Viris, colligamus atque in compendium redigamus, multis forsitan lectoribus novum quid allaturi in re minime nova, cum antiquariorum opera nostris temporibus a paucissimis inspiciantur, et sepulta quasi jaceant in Bibliothecarum latebris.

Ludorum, apud Romanos saecularium festivitatem, sicut reliquorum omnium ludorum pompam proxime ad rem sacram et divinam pertinuisse, tum ex origine eorum, tum ex caerimoniis, quibus peragi solebant, satis apparet. Celebritatem itaque suam, non tam a novitate spectaculorum, quae populo exhibebantur, sed a raritate ipsorum ludorum accipiebant, et a majoribus sumtibus, apparatuque splendidiori, quo usitata spectacula per hosce ludos edi consueverant. "Mittimus jam sacras fabulas a *Valerio Maximo* et *Zosimo* relatas, quae primae horum ludorum institutioni occasionem dedisse perhibentur. *Varronis* tamen, Scriptoris docti testimonium de institutione horum ludorum, quod Censorinus ex libro ejus de scenicis originibus servavit, heic non est praetermittendum. Is quippe dicit „cum multa portenta fierent, et murus ac turris, quae est intra por-

---

gentium Goettingae sub Praesidio Gesneri ventilata a. 1745. et *J. D. Ellrodt* sub Praesidio Doct. *Schwarzii* in Dissert. *de Tempore Ludorum saecularium sub Philippis Augustis celebratorum. Altorf. a. Acad. Saecul.* 1723.

„tam Collinam et Exquilinam, de coelo essent tacta,
„et ideo libros Sibyllinos Duum Viri adissent, re-
„nunciarunt, uti Diti Patri et Proserpinae ludi Te-
„rentini *) in Campo Martio fierent, et hostiae fur-
„vae immolarentur; *utique ludi centesimo quoque anno*
„*fierent.*" Patet ex hoc testimonio, saeculares ludos
primum quidem pro avertendis malis Diti ac Proser-
pinae dicatos, ludorumque caerimonias ad Sibyllae
carmina a Duum Viris sacris faciundis, quorum nu-
merus posthac ad decem et quindecim Viros auctus
est, fuisse praescriptas. Sequentibus autem tempo-
ribus ritus istos fuisse et immutatos subinde et auctos
potissimum, tum per se est verisimile, tum ex Oda
Horatii saeculari (L. V. od. 18.) et ex oraculi sibyl-
lini formula a Zosimo servata, quae ludorum caeri-
monias exacte praescribit, et ex ejusdem scriptoris
reliqua narratione satis cognoscitur. Ita quidem
Diti et Proserpinae alii quoque Dii adjuncti sunt,
quibus sacrificia offerri mos erat in ludis saeculari-
bus; Augusto certe regnante Apollo atque Diana
praesides erant Dii in sacris saecularibus, qui prop-
terea prae aliis Diis invocantur in Oda Horatiana.
Nec mirum. Apollo enim non solum vaticiniis prae-

*) Terentini vocabantur primum ludi saeculares a *Terento*,
loco quodam sacro in Campo Martio prope Tiberis ripam,
in quo cum Valerius quidam ex narratione Zosimi et Va-
lerii Maximi pro filiorum salute aram votivam Diti ponere
voluisset, ara Ditis jam exaedificata per miraculum e visce-
ribus terrae effossa fuerat.

esse, sed solis quoque uti Diane lunae conversiones et annorum ac saeculorum orbes regere credebatur; praeterea Augustus in Palatio, s. palatino monte, in quo ipse domum habebat, aedem Apollini Palatino exstruxerat, librosque sibyllinos antehac in Capitolio asservatos, nova eorum collectione et recensione instituta in Apollinis aede reposuerat. Similiter ludi saeculares primum ad expiandos Deos inferos instituti mox ad Urbis natales relati sunt, licet quotannis Urbis primordia in Palilibus celebrarentur; cautumque fuit, ut in illis non solum pro incolumitate sed etiam pro aeternitate Urbis et Orbis romani vota nuncuparentur. Qua propter haec perpetua Romanorum fuit consuetudo, ut saeculares ludos ab Urbe condita numerarent. Nec est, cur miremur, quod Romani in saecularibus ludis prosperitatis et diuturnitatis urbis et imperii maximam habuerint rationem; cum sciamus, eos ab initiis urbis, quam arcem omnium gentium et imperii caput habebant, orbis terrarum imperio semper inhiasse. Placet jam ea breviter enotare, quae de ritibus et caerimoniis saecularium ludorum Zosimus tradidit. Imminenti quippe ludorum tempore, quos aestate et per messem celebrari moris erat, populus per praecones invitabatur, ut conveniret ad spectaculum, quod nemo vidisset antea, nec visurus posthac esset. Paucis ante diebus, quam ludi peragerentur, in Capitolio Temploque Palatino XV viri sedentes in suggestu lustralia s. suffimenta populo distribuebant. Ea sunt faces,

sulphur et bitumen. Coibat tum populus in Dianae templum; unusquisque secum ferebat triticum, hordeum et fabas, ibique et in supradictis locis Parcis sacrificabant, et nocturnas agebant caste vigilias. Feriae ipsae tres dies atque noctes continuabantur. Dii autem, quibus sacra fiebant, erant Jupiter, Juno, Apollo, Diana, Latona, Parcae, Ceres, Pluto et Proserpina. Nocte, quae primum ludorum diem antecedebat, Consul aut Imperator cum XV Viris in tribus ad ripam Tiberis exstructis aris totidem agnos immolabat. Constructa etiam erat scena, in qua luminibus atque ignibus accensis hymni sacri canebantur. Ritus ipsi ludorum per triduum ita erant distributi. Primo die mane in Capitolium ascendere, et consuetas ibi hostias immolare, tum in theatris convenire, et Apollini Dianaeque ludos facere consueverunt. Postero die matronae itidem hora ab Oraculo designata in Capitolium conveniebant, Deo supplicabant, et sacros ex more hymnos cantabant. Tertio denique die in Apollinis palatini templo ter noveni pueri nobiles, totidemque virgines patrimi omnes et matrimi i. e. quorum parentes adhuc superstites erant, carmina et paeanas alternis versibus concinebant, quibus perpetuitatem imperii romani et incolumitatem populi Diis commendabant. — Hae fere sunt caerimoniae saecularium ludorum a Zosimo descriptae et sibyllinis oraculis praeceptae, quas negligere religiosum fuisset; sed additi tamen sunt ad augendam horum spectaculorum pompam ab Impera-

toribus interdum etiam ludi scenici, circenses et venationes rarissimarum belluarum, quae magno numero ex remotissimis terris apportari consueverant. — Quod ad tempus ludorum saecularium attinet, chronologia eorum est incertissima, tantisque difficultatibus implicata, ut nulli Eruditorum, qui de hac re disceptaverunt, eas penitus extricare contigerit. Variant enim Annalium Scriptores a *Censorino* nominati et in annis ludorum saecularium, et in nominibus Consulum atque Imperatorum ludis hisce praesidentium, sic ut ipse Censorinus nihil certi audeat definire, praesertim cum notationes temporum ab Annalium scriptoribus prolatae plane dissentiant ab iis temporum notis, quae in Commentariis Quindecim Virorum inveniuntur. Nec ipsius saeculi modus, si Censorinum audiamus, apud Romanos certus erat atque definitus. Interea tamen saeculum 100 annis absolvi, tum ex superiori Varronis loco tum ex testimoniis Livii aliorumque scriptorum satis patere videtur. His vero testimoniis repugnat carmen Sibyllae a Zosimo servatum, quo ludi saeculares post C. annos repeti jubentur, et commentarii Quindecim Virorum, quos Censorinus excerpsit, et e quibus apparet, ludos saeculares usque ad Augustum nonnisi completis undecim decenniis fuisse celebratos. Eandem sententiam quoque tuetur *Horatius* in carmine saeculari, dicens:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos:

Itaque quum commentarii Quindecim Virorum, quibus procuratio ludorum saecularium commissa erat,

omni jure fidem publicam mereantur, non dubitamus, autoritatem Quindecim Virorum in definienda chronologia ludorum saecularium cum *Onuphrio Panvinio* et *Josepho Scaligero* autoritatibus veterum Annalistarum, quas Censorinus pariter affert, anteponere, praesertim cum anni ludorum saecularium ab istis Annalium Scriptoribus proditi nec cum Varroniano nec cum Quindecimvirali saeculo congruant. Superest jam, ut exhibeamus brevem recensum ludorum saecularium a Censorino ex commentariis Quindecim Virorum excerptum. *Primos* itaque ludos saeculares ex testimonio Quindecim Virorum edidere M. Valerius Maximus et Sp. Virgin. Tricostus, COSS. Anno Urbis conditae 298. *Secundi* habiti sunt A. U. C. 408 M. Valerio Corvino et C. Poetilio Libone COSS. *Tertii* A. U. C. 518 P. Cornelio Lentulo et C. Licinio Varo COSS. *Quarti* A. U. C. 628 M. Aemilio Lepido et L. Aurelio Oreste COSS. *Quintos* fecit *Augustus* anno anticipato, scilicet A. U. C. 737 C. Furnio et C. Junio Silano COSS. Patet jam ex hoc recensu ludorum saecularium, sub libera republica habitorum, eos usque ad Augustum paribus semper intervallis, videlicet exacto quovis anno centesimo atque decimo sibi successisse. Sequentes autem Imperatores in edendis ludis saecularibus modo communem saeculi centenarium orbem, modo Quindecim Virorum decennio longiorem secuti sunt. Ita statim *Claudius*, qui *sextos* edidit A. U. C. 800, ab Augusti rationibus discessit. „Quare, ut *Suetonius* ait, irrisa etiam est vox prae-

„conis, invitantis more solenni ad ludos, quos nec „spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cum „superessent, qui adhuc spectaverant, et quidam „histrionum producti olim tunc quoque producerentur." *Septimos* ludos egit *Domitianus*, ut ex nummis quoque hujus Imperatoris apparet, A. U. C. 841. computata, uti Suetonius refert, „ratione temporum „ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim „Augustus ediderat." Attamen iste annus minime conspirat cum Augusti regula, secundum quam ludi a Domitiano facti demum anno urbis 847 fuerant edendi. Sine dubio facile tolleretur haec chronologica difficultas, si *Taciti* monumenta historica integra ad nos pervenissent. Is quippe Autor scribit (Annal. XI. c. 11.) „Iisdem Consulibus ludi saecu„lares octingentesimo post Romam conditam, quarto „et sexagesimo, quam Augustus ediderat, spectati „sunt. Utriusque Principis, (scil. Augusti et Claudii, ut ex toto orationis nexu apparet,) rationes prae„termitto, satis narratas libris, quibus res Impera„toris Domitiani composui. Nam is quoque edidit lu„dos saeculares, iisque intentius affui, sacerdotio „quindecimvirali praeditus, ac tum praetor. Quod „non jactantia refero, sed quia collegio Quindecim „Virorum antiquitus ea cura, et magistratus potissi„mum exsequebantur officia cerimoniarum." *Octavos* ludos, (qui enim ad annum urbis 900 Imp. *Antonino Pio* tribuuntur a quibusdam, plane sunt incerti,) sine dubio edidere Caesares L. *Septimius Severus* et M.

Aur. Ant. Caracalla A. U. C. 957, qui in anno ludorum definiendo aperte secuti sunt Augusti regulam, cum ab anno, quo Augustus eosdem ediderat ludos, numerentur anni bis centeni et deni. S. 220. *Nonos* denique et ultimos ludos saeculares summa magnificentia fecit Imp. *Philippus Arabs* a. u. c. millesimo (1000) a qua memorabili periodo vocati quoque sunt millenarii. Hos tamen a multis Scriptoribus allegatos ludos omisit Zosimus, sine dubio religione motus, quod eos censeret non legitimos, quoniam ad praescripta Quindecim Virorum et ad Augusti normam non computati fuerant. Idem certe Scriptor in ethnicis religionibus admodum superstitiosus non dubitat ruinam Imperii suo tempore imminentem huic causae adscribere, quod Imp. *Diocletianus*, neglectis justo ac legitimo tempore ludis saecularibus imperio se abdicavisset. Haec de ludis Romanorum saecularibus sufficiant. Nominandi jam sunt ornatissimi Juvenes Oratores, quorum causa haec prolusimus, et lectoribus significandum est, qua ratione orationum materiam supra jam indicatam inter se fuerint partiti. Primus quidem

CAROLUS ALBERTUS KIELMANN, *Stuttg. Medic. Stud.* gallica lingua exponet artium et scientiarum progressus hoc saeculo ad finem vergente factos. Alter

CHRISTIAN. FRIDERICUS FRANK, *Stuttg. Ser. Stip.* latina lingua, quantos morum cultura nostro saeculo auctus ceperit, explicabit. Tum

GEORGIUS FRID. SIMEON GUNDERT, *Stuttg. Ser. Stip.* speciatim dicet de praesidiis, rei scholasticae et publicae educationi hoc saeculo paratis, itidem lingua latina. Quartus

GOTTLOB FRIDERICUS GLOKER, *Stuttg. Ser. Stip.* dicet germanicà lingua de vitiis majori hujus saeculi culturae adhaerescentibus. Denique Quintus

THEOPHILUS FRIDERICUS JAEGER, *Stuttg. Ser. Stip.* ititem lingua germanica pro meliori temporum conditione in saeculo proxime venturo vota faciet, et Commilitonum nomine publicà gratiarum actione valedicet.

XIX.

DE UTILITATE DECLAMATIONUM SCHOLASTICARUM. 1803.

Quae superiori anno propter paucitatem juvenum e scholis nostris ad Academiam patriam abiturientium intermissa fuerat pia et laudabilis publice valedicendi consuetudo, hoc iterum anno felicibus auspiciis revertitur. Septem quippe sunt adolescentes ornatissimi, qui rite finito gymnasticorum studiorum stadio, cum jam literis humanioribus satis instructi et praeparati videantur ad altiora Academiae studia inchoanda, hoc etiam nulla exhortatione aut commendatione excitati ad humanitatem pertinere ipsi arbitrabantur, prouti fas est facere eos, qui artium humaniorum Studiosos sese profitentur; ut videlicet publicis orationibus Antistitibus, Praeceptoribus et Commilitonibus suis valedicerent, nec sine publica quadam pietatis grati-

que animi tessera a nobis discederent. Itaque cum nostrarum sit partium, ex veteri more actum hunc oratorium publico programmate indicere, et ad benevole audiendas nostrorum Juvenum declamationes omnes hujus Gymnasii Fautores et Patronos invitare, e re visum fuit, *de necessitate atque utilitate declamationum scholasticarum deque apta et prudenti earum rectione* aliqua praefari.

Apud Veteres quidem declamandi studia inprimis viguisse, in aperto est, et ex multis testimoniis Ciceronis praesertim et Quintiliani, tum vero etiam aliorum scriptorum, Plinii, Petronii et Autoris incerti de causis corruptae eloquentiae satis cognoscitur. Apud Graecos et Romanos Grammaticorum et Rhetorum auditoria declamationibus semper personabant. Erant haec exercitia declamatoria eloquentiae publicae velut progymnasmata, eumque in finem instituebantur, ut adolescentes in scholis rhetorum et grammaticorum versantes mature discerent, praecepta rhetorica ad usus publicos adhibere, ut facultatem de variis rerum generibus apte, distincte, copiose et ornate dicendi consequerentur, ut, quod maxime valet ad persuadendum et ad commovendum, vultum atque vocem, gestum, universumque oris et totius corporis habitum rebus atque sententiis propositis accommodarent adaequarentque, uno verbo, ut ad publice pro concione dicendum optime hoc modo praepararentur. Qua propter etiam Quintilianus declamationes vocat forensium actionum meditationes. Jam certe mirum haud debet videri, veteres tantum curae et solertiae in declamationibus posuisse, cum illae viam sternerent ad publicam et forensem eloquentiam, sine qua

nemo in republica autoritatem sibi comparare, aut magnum aliquid efficere poterat. Quo quis enim erat facundior et disertior, eo magis colebatur et suspiciebatur a populo, eo majoribus honorum ornamentis afficiebatur, eo facilius ad magistratus publicos gerendos et reipublicae negotia adhibebatur, in quibus tractandis utiles civitati operas poterat praestare. Neque vero putandum est, hanc Veterum eloquentiam, ad quam declamando tirones praeparabantur, solummodo positam atque occupatam fuisse in copia et ornatu verborum atque sententiarum sed optimarum potius artium scientiam et multiplicem eruditionem atque rerum cognitionem comprehendit. Ex Ciceronis scriptis rhetoricis, et ex institutionibus oratoriis Quintiliani, qui de industria totum corpus universumque campum eloquentiae emensus est, apparet, quam late patuerit eloquentia apud Veteres, quamque amplus ejusdem fuerit ambitus. Etenim cum ex partitione veterum rhetorum eloquentia tribus potissimum absolvatur partibus, inventione, dispositione, atque elocutione; ad inventionem omnis pertinebat scientiae complexus, e quo materia dicendi pro diverso genere causarum desumenda erat oratori. Ecquis vero res ad dicendum inveniet, nisi variarum multarumque scientiarum cognitione instructus? Itaque Veterum eloquentia complectebatur non solum grammatica studia, sed etiam historica et philosophica; tum vero etiam jurisprudentiam, i. e. jurium atque legum civitatis actionumque ex lege agendarum locupletem notitiam, sic, ut is demum censeretur orator, cui non deesset dicendi copia ex hisce scientiis, quique omnibus istis praesidiis satis in-

structus ad dicendum consurgeret, et ad populum prodiret. Ceterum, cum oratores Veterum maxime ad res gerendas vocarentur, et in luce publica versarentur, intelligitur etiam, cur veteres populi in oratoribus suis non tam reconditam et abstrusam eruditionem, quam claram, perspicuam et popularem expositionem rerum ad publicam utilitatem spectantium et a communi sensu minus remotarum desideraverint. Qua propter etiam *Cicero* in Oratione pro Archia de suis ipsius studiis oratoriis in hunc modum loquitur: „Ego vero fateor, me his studiis esse dedi„tum. Ceteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, ut „nihil possint ex his neque ad communem adferre fruc„tum, neque in aspectum lucemque proferre.“ Ad hunc itaque finem consequendum spectabant etiam illae declamationes in scholis Rhetorum exercitii et praeparationis causa cum adolescentibus institutae; nec, si Quintilianus, Petronius, aliique illa exercitia scholastica graviter perstringunt, et exagitant, id de ipsis exercitiis, sed de malo et perverso eorum usu intelligendum est, qui in scholis locum habebat, et tum praeceptorum tum discentium culpa accidebat. Vituperant quippe isti Scriptores ineptum praecipue materiarum ad dicendum propositarum selectum, cum tales proponerentur causae et quaestiones, quae vel judicium et acumen adolescentium excederent, vel a vita communi et a veritate causarum publicarum et judicialium prorsus abhorrerent; tum quod juvenes moderantium praeceptorum vitio magis exercerentur in captandis conquirendisque verborum flosculis, quam in rebus ipsis vere, apte et lucide exponendis; denique perstringunt etiam histrionA-

lem illam et theatralem licentiam in declamationibus usitatam. Liceat hanc in rem unicum tantum afferre testimonium Quintiliani, quo gravis ille Autor intempestivam et promiscuam laudem declamantium consuetudine introductam sequentibus (L. II. 2, n. 10 — 12.) verbis perstringit. „Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque „assurgendi exultandique in laudando licentia: quin etiam „juvenum modicum esse, cum audient, testimonium debet. „Ita fiet, ut ex judicio praeceptoris discipulus pendeat, „atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. „Illa vero vitiosissima, quae jam humanitas vocatur, invi„cem qualiacumque laudandi, cum est indecora et theatra„lis, et severe institutis scholis aliena, tum studiorum per„niciosissima hostis. Vultum igitur praeceptoris intueri, „tam qui audiunt, debent, quam ipse, qui dicit: ita enim „probanda atque improbanda discernent. At nunc proni et suc„cincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam „excurrunt, et cum indecora exultatione conclamant. Id mu„tuum est, et ibi declamationis fortuna. Hinc tumor et „vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulo„rum tumultu inflati, si parum a praeceptore laudentur, „ipsi de illo male sentiant." Intelligitur ex his, quae hactenus attulimus, declamationes illas scholasticas probatissimis harum rerum censoribus non quidem per se displicuisse; quamquam abusus cum iisdem conjunctos recte notaverint.

Annon vero declamandi illud studium, cui Veteres tam strenuam navabant operam, supervacaneum videri posset nostris temporibus, quibus in plurimis civitatibus pu-

blica illa eloquentia fori plane obmutuit, cum jam gravissima rerum publicarum negotia non viva voce sed scripto et per libellos pertractari soleant? Vix crediderim. Quamvis enim multis in civitatibus politica ista et forensis eloquentia cessaverit, mansit tamen judicialis, istaque veteribus jam usitata publice accusandi atque defendendi consuetudo, natum vero est etiam novum veteribusque populis incognitum eloquentiae genus, sacrae videlicet, quae, quanquam natura, indole ac consilio longe diversa ab eloquentia fori, et multo latius patet, et multo etiam majus momentum habet cum ad civitates universas, earumque publicam quietem et securitatem, cum ad singulos homines rite de rebus divinis instruendos, emendandos, salvandos beandosque in hac et futura vita per praecepta et promissiones religionis a Deo revelatae. Praeterea, quamvis nostrarum civitatum, uti nunc sunt constitutae, parum intersit, magnos habere Oratores, plurimum tamen interest, ut, qui in litteris addiscendis occupantur, et publicis aliquando muneribus, qualiacunque fuerint, admoveri volunt, facultatem sibi comparent, publice etiam, si casus inciderit, deposito omni metu verba faciendi, eaque, quae secum meditati sunt, viva voce coram aliis exprimendi. Itaque non futuro tantum Jurisconsulto aut Theologo, cui de rebus divinis olim pro sacro suggestu verba ad populum facienda sunt, sed unicuique, qui aliis etiam scientiis operam navat, plurimum expediet, si in scholis jam edoctus et exercitatus fuerit, aut aliena, aut sua bene eloqui. Cum igitur vis orationis cujusque ab ore, voce ac vultu dicentis maxime pendeat, neque aliter quisquam placere,

aut persuadere aut commovere dicendo possit, nisi vocis oris atque gestuum conformatio externa conspiret cum orationis argumento, et cum sententiarum atque sensuum tenore, intelligitur inde, quam necessarium atque utile sit, ut in arte bene eloquendi sive declamandi mature instituantur atque exerceantur adolescentes in scholis publicis. Et praestant certe scholae publicae hac in re etiam institutioni et educationi privatae, quod in illis exercitia declamandi locum habent, multique inter multos audiunt atque audiuntur, atque ita facilius bonam elocutionem consequi possunt, cum contra privata institutio in qua unus vel pauci erudiuntur, illa exercitia penitus excludat. Facultas enim bene eloquendi non tam regulis et praeceptis quam ipsa exercitatione et auditione aliorum comparatur, neque quisquam vocem poterit excolere, nisi saepius audiverit alios bono et suavi eloquio praeditos. Ita vero imitatione eorum et repetita exercitatione ipse proficiet, quin etiam vitiis aliorum, quae a praeceptore corriguntur, discet. Nemo quidem negabit, externam illam eloquentiam, quae in oris vocisque gratia, totiusque corporis consensu ponitur, natura magis constare, quam arte; nihilominus tamen ad facultatem bene declamandi comparandam opus est, ut ad naturam accedat etiam conformatio artis et diligens exercitium; neque etiam ista linguae atque oris vitia quae perperam saepius naturae tribuuntur, cum potius negligentia et mala consuetudine contrahantur, ejusmodi sunt, ut assidua exercitatione corrigi nequeant. Est omnino, uti oris, ita etiam vocis quaedam commendatio, qua, qui natura pollent, rebus etiam parum elaboratis talem possunt gratiam aut gra-

vitatem addere, ut facile placeant, eosque vincant, qui sine illa naturali commendatione vocis meditata et diligenter elaborata asserunt; et, cum natura inaequaliter sua bona dividere, neque omnibus omnia tribuere soleat, quod aliunde, idem quoque in scholis observatur, ut saepius pueri aut adolescentes, qui memoria, aut judicio et ingenio praestant, naturalibus istis ad bene declamandum praesidiis plus minusve destituantur, ut vel aliquo linguae vitio laborent, aut voce sonora et flexibili careant, aut ut etiam in habitu et motibus corporis sinistrum quid habeant et impeditum. Horum itaque causa praecipue instituenda sunt exercitia declamandi, ut ab istiusmodi vitiis sibi caveant, iisque paulatim desuescant, nec inepta, aut difficili et ingrata declamatione auditorum aures offendant, suasque ipsorum ceteras virtutes corrumpant. — Jam, si colligere volumus variam utilitatem cum recitationibus et declamationibus scholasticis conjunctam, prima, ut jam diximus, haec est, ut vitia linguae per eas sensim sensimque corrigantur. Deinde exercitia illa declamatoria removent etiam timiditatem, pueris atque adolescentibus propriam, quae quamvis per se non vituperanda propter cognationem cum modestia et verecundia, vim tamen rerum propositarum infringit, et oratoris fiduciam, sine qua nulla potest oratio placere, tollit. Ut vero illa timiditas, quae, quando insedit animo, vix potest eradicari, mature abjiciatur; praeceptores curare debent, ut suavi exhortatione et laude dicentis fiduciam augeant, donec ingenua quaedam liberalitas in locum anxietatis successerit. Possunt etiam istae recitationes atque declamationes utiliter adhiberi ad me-

moriam adolescentulorum exercendam. Lectio clara et vocalis ea, quae leguntur, multo facilius memoriae imprimit, quam tacita et muta, qua propter ea, quae memoriae mandanda sunt, alta claraque voce plerumque a pueris recitantur. Igitur si praeceptor optimos quosque probatissimorum scriptorum locos eliget, pluribusque ad recitandum proponet, memoriam simul discipulorum quasi aliud agendo exercebit, istorumque locorum sententias repetita plurium recitatione facilius et firmius mentibus eorum imprimet. Adultiorum etiam declamationes ipsorum ingenio elaboratae memoriae exercendae inserviunt, quandoquidem cavetur, ut pleraque rarius inspectis tantumque in subsidium memoriae adhibitis chartis memoriter recitent, quod ex hac etiam causa necessario fieri debet, ne actio cum declamatione conjuncta plane impediatur. Utiliter denique etiam adhiberi potest declamatio ad cognoscendum, utrum discipuli sensum eorum, quae ab iis recitantur, rite intelligant, aut ad interpretationem publicam classicorum autorum, si qui forte ad declamandum proponuntur, aures animumque rite adverterint. Ita quidem in exercitiis declamatoriis privatis, quae apud nos cum interpretatione orationum Ciceronis conjunguntur, semper constabat, attentissimum quemque auditorum sensuumque Ciceronis intelligentissimum verba etiam Ciceronis ceteris paribus optime declamasse. Sic ex varia vocis inflexione, ejusdemque elatione aut depressione, ex intervallis, quae servantur, ceterisque, quibus declamatio constat, facile intelligitur, utrum is, qui scriptorem aliquem declamat, sensum illius rite teneat, nec ne. Plurimum vero in exercitiis

istiusmodi declamatoriis necesse est, viva voce praeire praeceptorem, ut exemplar quoddam habeant discipuli, ad quod se accommodent. Uti enim in cantu musico vox canentium attemperanda est ad vocem praecentoris, ita quoque in arte declamandi discipulorum choro opus est quodam quasi duce et chorago, nec qnidquam proficere possunt hac in re praecepta aut censurae magistrorum, nisi antea, quam discipuli declamaverint, quod optimum est, praeceptores viva voce praeiverint, ita ut discipuli aurium judicium adhibere possint. Cavendum denique erit praeceptoribus, ut in moderandis istiusmodi exercitiis declamatoriis seposita tristi austeritate tamen omnem adhibeant severitatem dignitatemque, ne res per se gravis et seria ab adolescentibus natura ad levitatem pronis ad risum vertatur et jocum, adeoque totum negotium videatur esse ridiculum et nugatorium. Facillime hoc potest accidere in istis declamationibus, in quibus exercitii causa aliena opera, v. c. veterum Oratorum, Ciceronis maxime, certis locis, personis ac temporibus accommodata recitantur. Cum enim ista Veterum opera sine quadam illusione voluntaria rite declamari nequeant, cum necesse sit, ut adolescentes, qui ea declamant, personas veterum Oratorum quasi induant, atque omnia, quae istis Oratoribus ante oculos versabantur, sibi quoque repraesentent, fieri aliter nequit, quin illa exercitia per rei naturam histrionalem quandam prae se ferant speciem severitati rerum

inimicam, quae tamen ne in lusum degeneret, facile cavebit solers atque prudens praeceptor aptis admonitionibus suaque ipsius severitate. — Haec de necessitate variaque scholasticorum declamationum utilitate dixisse sufficiat. Ipsas vero bonae declamationis regulas, quae actionem quoque comprehendunt, et quae tribus maxime rebus constant, pronunciatione, modulatione vocis, accentibusque et temporum intervallis rite observandis, nunc quidem persequi paginarum angustia vetat. Superest jam, ut nomina juvenum Oratorum, et argumenta orationum ab ipsis habendarum breviter indicemus. Propositam quippe *de peregrinationibus* materiam suo ipsorum ingenio elaboratam ita persequentur:

GEORGIUS PHILIPPUS CLESS, *Ludovicopol. Med. Stud.*, verba faciet generatim de utilitate peregrinandi, idiomate germanico.

CAROLUS FRIDERICUS VEIEL, *Blabyrens. Jur. Stud.* enumerabit incommoda cum peregrinationibus conjuncta; lingua latina.

CAROLUS HENRICUS HETTLER, *Stuttg. Jur. Stud.* recensebit varia peregrinationum genera; itidem lingua latina.

CHRISTIANUS FERDINANDUS FRIDERICUS ZELLER, *Nelling. Theol. Stud.* aget de prudenti institutione itinerum literariorum; lingua graeca.

EDUARDUS GMELIN, *Goetting. Jur. Stud.* indicabit quaedam de raritate et difficultate peregrinationum apud Veteres; lingua latina.

CAROLUS HARTMANN MAIER, *Bischofsh. Jur. Stud.* modesta perstringet censura communem recentiorum consuetudinem, quaevis itineraria vulgandi; lingua gallica.

Denique:

GEORGIUS FRIDERICUS JAEGER, *Stuttg. Med. Stud.* Vernaculo sermone Elogium dicet Cookii celebratissimi peregrinatoris, cui aucta telluris notitia plurimum debet; publicaque gratiarum actione valedicet.

XX.

DE DIVINAE PROVIDENTIAE SPECIMINIBUS IN FATIS SERENISSIMAE DOMUS WÜRTEMBERGICAE REGUNDIS. ORATIO DICTA IN GYMNASIO, CUM DIGNITAS ELECTORALIS COLLATA ESSET IN DUCEM FRIDERICUM SECUNDUM. 1803.

Fortuna NOSTRO prospera PRINCIPI
Belli secundos reddidit exitus;
Laudemque et optatum futuris
Imperiis decus arrogavit.

HORAT. L. IV. OD. 14. STR. 10.

Saepius jam, Auditores! patriae nostrae, Principibusque qui illius gubernacula regebant, providente Deo dies illuxere festi et illustres; — at illustriorem patria nunquam vidit, quam hodiernum. Tria jam secula effluxerunt, cum EBERHARDUS, cognomine barbatus, Würtembergiae *Comes*, ornatus a *Caesare Maxi-*

milano primo Dignitate Ducali, et honorificentissima Caesaris appellatione in Comitiis Wormatiensibus in Senatum Imperii Principum introductus Würtembergiaeque primus *Dux* renunciatus novum honoris et gloriae curriculum successoribus aperuisset; regnarunt ab hoc Auspice novi honoris in Familiam regnantem illati ad nostra usque tempora tredecim *Duces;* sed, quod nulli Eorum contigerat, ut videre sibi liceret Familiam novis adhuc et altioribus honoris insignibus majorique opum adjectione auctam, id nostra aetate divinitus contigit FRIDERICO, *Duci* nostro clementissimo, quem *Dei* providentia destinaverat, ut jam adscitus in augustum *Collegium* S. R. I. *Electorale* Is esset, qui summum post regiam dignitatem decus et splendorem ad Familiam et Nepotes propagaret, et a quo nova patriae illucesceret epocha laudis et gloriae. Etenim quid excelsius fingi aut excogitari potest isto honoris fastigio, Ducalisque Dignitatis, quam a majoribus acceperat, illustrissimo complemento! In eo jam splendidissimi honoris gradu constitutum videmus *Ducem* nostrum, qui, cum satiare videatur cupidissimi cujuscunque Principis ambitionem, eo desideratior etiam et acceptior videri debet *Principi* ad quaevis magna animum adplicandi, et de splendore Familiae ornamentisque patriae vehementer sollicito. Et profecto laetatur etiam ex animo *Princeps* noster de hoc ultro sibi per S. C. I. novamque constitutionis Imperii formulam a *Caesare* confirmatam demandato honore, et eo magis laetatur, cum ipse sciat, lubent-

que et grato in Deum animo profiteatur, tales tantasque res non humanis consiliis, sed divina quadam gubernatione administrari, nec sine omnipotentis Dei numine factum esse, ut ex procellis atque tenebris calamitosissimi belli, quod etiam patriam infestavit, nova et pulchrior lux effulserit Württembergiae; utque eodem tempore, quo Germanici Imperii statu plane immutato complures principatus in Germania extinguerentur, Württembergia non solum adjecta magna agrorum parte creverit, sed ad multo majorem splendorem emerserit. Auget hanc justam *Principis* nostri laetitiam et voluptatem hoc maxime, quod intelligit, novas jam sibi et ampliores ab ipso Deo suppeditatas esse opportunitates ad procurandam universi populi Sui felicitatem, et quod animo prospicit, quot et quanta emolumenta ex auctis *Serenissimae Familiae regnantis* opibus et decoribus in ipsam patriam ad ultimam usque posteritatem tanquam ex perenni fonte sint redundatura. Quam sublimia nunc gaudia pectus nostri *Principis* pertentent, testatur solemnis hodierni diei pompa, testantur festi apparatus, publicae gaudiorum significationes, ludi et spectacula, ad celebrationem festi hujus diei instituta, testantur maxime preces publicae et supplicationes actae, quibus *Princeps Ipse* solemniori comitatu ad templum deductus interfuit, ut grates ageret Deo publicas, et ministrorum atque populi corona cinctus palam faceret, Se novos honores per Imperatorem Sibi decretos ad Deum opti-

num maximum praecipue referre, benignissimum sapientissimumque rerum omnium humanarum dispensatorem et arbitrum. Ecquis igitur ex tota civium Württembergicorum universitate tam erit iners aut abjectus, ut, cum sentiat, ornamenta in *Principem* patriaeque Patrem congesta ad ipsam pertinere patriam non insolita gaudii exsultatione se ipsum sentiat commotum; qui non coeat in communionem laetitiae cum *Principe*, non publici et communis gaudii fiat particeps, non de amplitudine honoris, quo Principem videt collustratum, et *Principi*, et patriae et sibi ipsi congratuletur. Nemo sane nostratium civium, quibus semper fuit proprium, colere, revereri et amare Principes suos cum patria, tam parum studiosus erit, liceat hoc sperare, rerum ad splendorem *Familiae regnantis* et ad augendum patriae florem spectantium, ut FRIDERICUM electorali purpura nunc vestitum non prosequatur piis precibus, votis et acclamationibus; ut memoriam horum dierum illustrissimorum, qui unumquemque ad summam laetitiam et ad sanctissima pro salute Principis vota concipienda tam graviter invitant, non velit aureis literis inscribi annalibus patriae, et ad aeternitatem consecrari; ut denique non auguretur, firmiterque speret, eosdem hosce dies ad secula futura publicae prosperitatis fortunarumque omnium fore praenuntios, pignoraque certissima. Atque hoc eo certius sperare nobis licebit, cum meminerimus, quot et quanta jam in vetustissimis Würtembergi-

corum annalium monumentis extent divinae providentiae specimina et quasi miracula in conservanda tuenda et ornanda *Celsissima Stirpe Württembergica*, procurandaque per Eandem felicitate publica. Igitur, cum mihi Oratori tenuissimo id honoris evenerit, ut in hac Panegyri nomine *Gymnasii* nostri nunc electoralis publica verba facerem, nec a festivitate splendidissimi hujus diei, nec a piis sensibus, quibus maxime animatos esse illos decet, qui literis et artibus operam dant, alienum esse putavi, si, priusquam vestro nomine, Auditores! vota nuncuparem pro salute novi *Electoris* nostri FRIDERICI, *praecipua quaedam divinae providentiae specimina in fatis Serenissimae Domus Württembergicae regundis* breviter vobiscum recognoscerem.

Cuicunque persuasum est, fata singulorum hominum privatarumque familiarum a Deo regi; (et, quis neget hoc, cum Deum esse negare nequeat;) is eo facilius firmiusque sibi persuadebit, populorum etiam et regnantium fata subesse divino Numini. Et cum nationum secundae vel adversae fortunae maxime pendeant a sorte et casibus eorum, a quibus gubernantur, in promptu est, credere, personas Principum, Familiasque eorum praecipue commissas et commendatas esse divinae providentiae. Hoc sensu animati, hac persuasione imbuti agite, Auditores! revolvite mecum annales historiae patriae, et quae nobis ibi occurrunt documenta divinae curae in rectores populi nostri edita, lustrate. Multa se nobis

offerent laeta et gloriosa, multa etiam adversa et sinistra: cum vero ex adversis maxime eluceant divinae providentiae vestigia, nec illa plane tacenda esse, nec notatione eorum fausta hujus diei omina turbari arbitror. Haec enim est divinae providentiae sancta quaedam et tacita lex et regula, ut, quemadmodum sol e nocte, lux e tenebris, ita ex adversitatibus bona eveniant; utque saepius, quae in rerum humanarum mobili cursu ad speciem mala nobis videantur, ad bonum, contra, quae ad speciem bona appareant, ad perniciem vertant.

Jam primum, si veteres medii aevi annales revolvimus, memoratu dignum est, quam cito Würtembergia sub primis jam Comitibus, quorum historia annalium fide nititur, creverit, et quam firma jam istis temporibus jacta sint fundamenta amplitudinis Domus Württembergicae. Primae quidem origines illius, ut omnium fere familiarum regnantium, propter inopiam aut obscuritatem annalium incertae sunt, neque hujus loci est, tenebras illas dispellere: attamen satis certum est, perantiquam fuisse Celsissimam Stirpem Württembergicorum Comitum. Neque etiam splendor et amplitudo regnantis familiae solum videtur metienda esse ex antiquitate generis, sed ex eo potius, quam repente illa creverit, et super alias familias regnantes eminuerit. Ut tamen de antiquitate stirpis Württembergicae constet, non alienum erit ab hoc loco, qualis fuerit facies Sueviae seculo undecimo, duodecimo et decimo tertio brevi-

ter videre. Suevia tum temporis praeter potentem stirpem caesaream Hohenstauficam inter complures duces, comites et dynastas erat divisa, aut potius discerpta. Longum foret, eorum nomina recensere, extinctis dudum eorum familiis et oblivione sepultis. Monasteria quoque per Sueviam sparsa callidis artibus religionis specie tectis magnos sibi vindicaverant agros, et urbes imperiales mercatura, industria et civium affluentia ad tantas opes pervenerant, ut ultro citroque terrerent, terrerenturque. Jam quidem inter istos Dynastas inveniuntur Comites Württembergiae, quorum tamen res et fata temporum obscuritate teguntur, quanquam inter hos jam ager Württembergicus „crevit occulto velut arbor aevo." Ceterum tristissima erat facies istius aevi, magno praesertim interveniente interregno, et extincta Caesarum stirpe Hohenstaufica, ejusdemque ultimo nepote Conradino Neapoli per carnificem caeso. Rapere tum omnes et praedari, vacua hereditas gentis Stauficae cedere primis occupantibus, arma pro juribus esse. Talis rerum status non poterat durare; necesse erat, ut distractae partes Sueviae paulatim sub imperio paucorum potentiorum coalescerent. Quis vero in tanta multitudine Dynastarum tum divinásset, ad quemnam eorum perventura sit in Suevia opum et honoris praerogativa? Mox tamen apparuit, Domum Württembergicam fato destinatam esse, ut aliquando per varios licet casus et rerum discrimina primum inter potentes Sueviae locum ob-

tineret. Et inter procellas turbulentissimae istius aetatis visum, „quid virtus, et quid sapientia possit.“ Quippe cum alii Magnates in Suevia opes suas somno et inertia perderent, patrimonia sua ac possessiones aut per luxum dilapidarent, aut per necessitatem venderent, aut propter superstitionem monasteriis donarent, aut denique eas in minutas particulas dissectas filiis relinquerent; Württembergiae Comites virtute bellica, consilio, prudentia, parsimonia, constantia patrimonia sua et ditiones sic amplificabant, ut inter reliquos Sueviae Dynastas mox splenderent „velut inter ignes luna minores,“ multosque aemulos quidem, parem vix ullum haberent. Alios enim agros bello parabant, alios coemebant, alios contrahendis illustribus et pecuniosis matrimoniis adquirebant; atque ut strenuissimi erant in facultatibus opibusque conquirendis, ita non minus erant studiosi, parta tueri. Accedebat ad extollendum Familiae florem inter magnos etiam et splendidos apparatus diligens et attenta rei familiaris administratio per manus quasi tradita, et, quae ex antiquissimis jam familiae pactis elucet, sollicita cautio, ut universum patrimonium sub imperio et tutela unius contineretur, aut divisi etiam ex more aetatis agri ad prolem alendam mox redirent ad unum Caput Familiae. Hac continuata prudenti procuratione reipublicae tantam quoque autoritatem brevi tempore per omnem Sueviam consecuti sunt Württembergici Comites, ut in frequentissimis per injuriam

et licentiam istius temporis controversiis vel ipsi litigantibus eligerentur litium arbitri, vel ab Imperatoribus, quorum plurimum intererat, tam potentes viros sibi devincire, iisdemque amicis uti, ad componendas urbium maxime imperialium lites adhiberentur, quibus dirimendis, quantopere ipsi autoritatem suam suasque opes et fortunas auxerint, facile est auguratu. Expectatis jam Auditores! ut vobis nominem EBERHARDOS istos antiquos, quos Dei providentia esse voluit Statores excelsae amplitudinis in Serenissima Familia Württembergensi, ad secula propagatae, quorumque nomina immortalia sunt in annalibus historiae patriae. Et est certe hujus loci, exemplis quibusdam illustrioribus ex antiquiori praesertim historia desumtis, demonstrare vigilantem Dei providentiam in Celsissimam Stirpem Württembergicam. Itaque mihi non erit verendum, ne aures vestras onerem, si, quae huc spectant, ex rebus gestis et fatis EBERHARDORUM breviter expromsero.

Jam EBERHARDO I. *illustri* filio ULRICI, cum pollice, a quo verior et luculentior historia patriae incipit, Dei providentia tanquam instrumento usa est ad ditionem Württembergiae multis novis possessionibus locupletandam, et ad amplitudinem Stirpis regnantis firmissimis fundamentis substruendam. Is cum rara felicitate circiter sexaginta annos imperasset, mirum non est, quod agrum plus quam tertia parte auxerit. Bellicis artibus a pueris adsuetus terror erat vicinorum, et urbium imperialium flagel-

lum, nec offensionem ullam inultam transmittebat. Viderat septem reges Germaniae, quorum se tulit vel amicum vel inimicum, tantaque per omnem Germaniam pollebat autoritate, ut mortuo ALBERTO Austriaco non sine spe canditatum se ferret Imperii romani. Qua re cum invidiam hostium suorum inflammasset, et HENRICUS Luxenburgicus EBERHARDI inimicus Imperator electus esset, tum aliquamdiu in pejus verti coepit fortuna Eberhardi. Caesar enim, ut odio suo in Eberhardum satisfaceret, lubenter auditis querelis urbium imperialium, hostem imperii declaravit Eberhardum, eumque tanta vi armorum oppressit, ut patria pulsus omnique agro exutus aliquamdiu in exilio viveret. Tantus erat hostium furor et crudelitas, ut non solum arcem Würitembergicam diruerent, a qua genus ducebant Comites, sed in ossa quoque Comitum, quae Beutelspaci asservabantur, saevirent. Neque tamen illa calamitas diuturna fuit, sed melior mox Deo providente fortuna rediit Eberhardo. Extincto enim hoste suo Henrico in Italia, singulari fato Eberhardus statim in omnes suas possessiones restitutus est, quas deinceps usque ad mortem suam magis adhuc amplificavit.

Eberhardo successit filius ULRICUS III. Neque hujus regimen vacuum erat speciminibus divinae providentiae pro incremento Domus vigilantis. Is quippe praeter aliquot ditiones in Alsatia Familiae partas Comitatui Württembergico Groningam cum

dignitate Antesignani Imperii (Reichs-Sturm-Fahne) et urbem cum castello Tubingensi adjecit. Avo magis quam patri similis erat moribus EBERHARDUS II. cognomine Contentiosus, quanquam virtute et fortuna bellica et autoritate avo aliquantum superior. Inditum huic nomen Contentiosi, quod omnem aetatem bellis consumeret. Nec mirum ab hoc ista praesertim aetate summam laudem bellis etiam sumendis quaesitam fuisse et inventam, cum et summi nostrae aetatis viri summam gloriam serendis bellis et quaererent, et invenirent. Tam potens et valida hujus Comitis erat autoritas, ut Caesar Carolus IV. ei non modo jus praefecturae et patronatus in viginti quatuor urbes imperiales concederet, sed alia etiam quaestuosa munia in ipsum deferret, quin adeo Comitis bellicosi amicitiam magna pecuniae summa redimeret. Postquam quadraginta annos varia fortuna contra foederatas civitates et consociatos nobiles bellaverat, tandem quadriennio ante mortem suam in pugna Dorffingensi hostes plane devicit, insignemque de illis victoriam reportavit. Quo in proelio, cum filius suus unicus pugnans ad patris latus cecidisset, ad morem Xenophontis istius Graeci exclamasse fertur: „Scio, filium meum mortalem esse et militem; agite jam, ulciscamur illius mortem, et hostes fugientes persequamur." Qua voce heroe digna cum inclinantes jam suos et infelici fato ducis perterritos revocasset, illustri victoria potitus est. Accidit eodem hoc die, qui victoriam Eberhardi morte unici filii foedaverat, ut Dei providentia luctum patris jamjam senescentis et de imminente familiae orbitate gravissime solliciti pronepotis nativitate solaretur. ULRICUS quippe

in hac pugna mortuus, unica patris proles, unicum saltem ex matrimonio suo cum Elisabetha Bavarica susceperat filium Eberhardum, mitis cognomine nobilitatum, cui avus Eberhardus, ut, quantum liceret homini, ruentis familiae averteret casum, Antoniam ex fertili Insubriae comitum stirpe oriundam conjugem selegerat. At illud matrimonium per octo annos Eberhardi spem elusit; ut miro Dei arbitrio tum demum venerabilis senex, cum funeri filii illacrimasset, puerperio Antoniae neptis recrearetur. Quapropter etiam Eberhardus de nativitate pronepotis in ipso victoriae theatro certior factus, gaudii plenus et persuasus, evidens Numen rebus suis adesse, exclamavisse legitur: „Immortales Deo gratiae; ita nova mihi, in qua reflorescam, ex scisso velut stipite, recrevit soboles.“ Atque is pronepos Eberhardo tum natus ille fuit Eberhardus, qui Henrietta Montisbeligardensi in matrimonium ducta ex voluntate divinae providentiae novus mox sator stirpis Würtembergicae ad nostra usque tempora extitit.

Ceterum negari nequit, regimen magni hujus Comitis, de quo nunc loquimur, in tumultuosissima incidisse tempora; cum modo pro se ipso, modo pro Caesare, modo pro sociis arma capere cogeretur. Neque etiam, ut iste Achilles apud Homerum sic erat „iracundus, inexorabilis, acer,“ ut nullis flecteretur precibus, nec in gratiam iterum rediret cum hostibus. Cum fortitudine etiam animi generositatem ita conjunxit, ut, cum debellasset superbos, parceret victis. His virtutibus regiis accedebant etiam privatae; maxime comitas et clementia in cives suo regimini subjectos, et frugalitas, quibus effecit, ut inter tot belli

calamitates tamen agrum Württembergicum multis accessionibus, juribus et privilegiis ditatum relinquere posset. Post mortem Eberhardi contentiosi providentia Würtembergiae donavit imperantem pacificum, ut ex turbis bellorum requiesceret patria. Is erat EBERHARDUS III. Contentiosi nepos, vocatus mitis, quod ab avi indole bellica plane abhorrebat. Sub mansueto hujus amati Comitis regimine patria adflicta cladibusque belli attrita satis poterat respirare, cum Eberhardus viginti quatuor annos regnaret. Sed quamvis regnante hoc Comite patria continua perfrueretur quiete, futurae tamen ejus felicitati parum videbatur prospectum, cum tota Stirps Würtembergica unico tantum regnantis Comitis filio EBERHARDO IV., de quo jam monuimus, et qui suscepta post patris mortem reipublicae administratione patri non ultra biennium superstes fuit, niteretur. Eundem tamen sapiens et benignum Numen destinaverat, ut contracto conjugio cum HENRIETTA Comitatus Montisbeligardensis herede non solum opes et ornamenta Stirpis Würtembergicae mirifice augeret, sed ipsam quoque stirpem per filios ex conjuge susceptos LUDOVICUM et ULRICUM bene amatum ad nostram usque aetatem propagaret. Quantopere illud matrimonium ad opes et splendorem Stirpis Württembergicae valuerit, jam tum temporis apparuit, cum per illud totus ager Montisbeligardensis cum agro Württembergico esset unitus; et nunc etiam apparet, cum pro cessione istius agri multo major jam et amplior agrorum compensatio cessisset DUCI NOSTRO ET ELECTORI: sed quo pacto illud etiam matrimonium, uti postea apparuit, ad conservationem et

propagationem Serenissimae sobolis Ducum ad hunc diem regnantium divinae providentiae ductu inservierit, hoc ut indigitemus, et operae pretium est, et orationis argumentum jubet. In evolvendis enim istorum temporum annalibus cum admiratione deprehendemus, quam diligenter divina providentia prospexerit conservandae Stirpi Württembergicae, et quam solerter caverit, ne inter istos temporum fluctus extinctioni nonnunquam proxima penitus interiret, sed novis semper frondibus efflorescceret.

Primum quidem fratres, quos nominavimus, LUDOVICUS et ULRICUS *bene amatus* universum agrum Württembergicum ita inter se partiti sunt, ut ager Montisbeligardensis possessionibus Ludovici senioris adscriberetur; quo defuncto (A. 1450) ad filium immortalis memoriae EBERHARDUM *barbatum* primum Württembergiae Ducem devolutus est, quem Principem providentia non solum ad illustrandam universam familiam, sed et ad conservandas provincias patruo Ulrico in administratione Württembergiae adjunxisse videtur. Jam ex pacto illo Uracensi, quod Eberhardus barbatus cum patruo (A. 1473) sanxit, eximium plane elucet providentiae specimen. Ulricus quippe filio suo natu majori EBERHARDO (inter Duces postmodum secundo) integrum Ducatum conservaturus, minorem natu filium HENRICUM ordini ecclesiastico adscribendum curaverat; mutato autem postea consilio a nepote suo Eberhardo barbato cessionem principatus Mon-

tisbeligardensis pro Henrico ea lege impetravit, ut, si frater Henrici Eberhardus sine prole mascula decesserit, universus ager Württembergicus ad Eberhardum barbatum ejusque prolem perveniret. Hoc pactum, quod humana prudentia in hunc finem sanxerat, ut unione universi agri Württembergici novus Principibus splendor novaeque vires conciliarentur, diva Numinis providentia, quae in humanis rebus ludit, eo vertit, ut conservationi Stirpis Principum simul prospiceret. Eventus mox illud comprobavit. Eberhardus enim barbatus ex suo conjugio unicam tantum filiam mox intermortuam, Eberhardus alter frater Henrici ex suo nullam suscepit. Universa itaque Stirps Württembergica post aliquot lustra fuisset extincta, nisi ager Montisbelgardensis per pactum Uracense Henrico cessus ei voluntatem, ordini ecclesiastico renunciandi inspirasset, et facultatem, conjugium ineundi, dedisset. Attamen, quae sequebantur, fata Comitis Henrici tantis implicita fuerunt vicibus, ut ne perspicacissimus quidem praesagire potuisset, ipsum universae familiae ducalis parentem futurum esse. Suscepta enim administratione Comitatus sui incidit in tempora belli Helvetiis a Carolo audace illati. Henricus, qui Imperatoris et Helvetiorum partibus favebat, per insidias in captivitatem Caroli pervenit, ex qua, cum per aliquot annos multa atrocia pertulisset, et vitae adeo discrimen adiisset, fractus animi corporisque viribus reversus est. Quis ex hac tragica Henrici sorte et longo ejus

caelibatu sperare ausus fuisset, quod suprema Numinis sapientia ipsum novae ducalis Württembergicae Stirpis satorem selegerit? Selegit vero. Duobus enim Eberhardis sine prole defunctis, omnis patriae spes in biga illa ex bino Henrici conjugio (A. 1487 et 98.) prognatorum Principum, ULRICO, Duce postmodum tertio, et GEORGIO posita erat et restricta. Quot quantisque vero periculis hi etiam novae stirpis satores ab incunabulis per maximam vitae partem obnoxii fuerint, testatur historia. Quid dicam de CHRISTOPHORO, unico Ulrici filio, quem primo jam aetatis anno a matre derelictum, quarto a patre avulsum, omnibusque praesidiis propter parentis exilium destitutum, Ferdinando Austriaco, qui Württembergiam armis occupaverat, postea traditum, ab eoque Viennae detentum, tum vero ineunte adolescentia tenebris monasterii cujusdam hispanici destinatum, et in fuga per Galliam et Italiam innumeris periculis circumventum miraculosa tamen Dei providentia post restituti patris mortem patriae praefecit, et per eum omni adversitatum genere subactum et exercitum collapsas Württembergiae res restituit! Quid tandem dicam de GEORGIO Ducis Ulrici fratre, omnium illius calamitatum socio, qui, cum temporum et familiae suae calamitate motus caelebs vixisset, postea spontanea cessione Principatus Montisbeligardensis et urgentibus precibus Ducis Christophori, qui stirpis suae extinctionem in filio suo Duce Ludovico (A. 1593) consecutam praesen-

sisse videbatur, permotus serum tandem iniit matrimonium cum filia Philippi Magnanimi Hassiaci, (A. 1555) ex qua ipsi jam sexagenario ad finem vitae (A. 1557) natus est FRIDERICUS novae Stirpis Montisbelgardensis conditor, a quo tanquam novo sidere felicissimoque numerosae prolis parente nova series Ducum Württembergensium ad nostros usque dies processit.

Exposuimus hactenus Auditores! conspicua quaedam divinae providentiae specimina in conservanda Serenissima Stirpe Würtlembergica; quam efficax vero illa etiam fuerit ad ornandam hanc stirpem, quanta elaboraverit solertia, ut per ornamenta Serenissimae Familiae patriae quoque flori, qui cum flore regnantium arctissime cohaeret, consuleretur; et quam diligenter denique providerit, ut per ipsas Principum et patriae adversitates extolleretur publica salus et fortuna, id ut exemplis quibusdam illustrioribus pariter ostendamus, necesse est. Cujus vero esset tanta vis et copia dicendi, ut omnia, quae huc spectant, divinae curae documenta non dicam exornare verbis, sed commemorare valeat! Neque etiam, cum omnis historia patriae eorum plena sit, enumerandis illis sufficeret dies. Itaque praecipua tantum aliqua delibabimus.

Cum de ornamentis loquimur, per providentiam divinam in Stirpem Württembergicam congestis, iterum iterumque nominandus est EBERHARDUS ille barbatus, qui primus dignitatem ducalem Familiae

intulit, qua, si non opes, certe honos Familiae jam jam in excelsiori loco collocatae auctus est, et autoritas inter ceteros Germaniae Principes amplificata. Nec certe quisquam alius isto honore dignior fuit. Quamvis enim hujus Principis jam in prima infantia parentibus orbati educatio plane esset neglecta, ipse tamen, transactis per levitatem et lasciviam primis adolescentiae annis, animum suum juvenis adhuc ita ad meliora erexit, ut omnibus postea virtutibus, quae principem ornant, inclaresceret. Tanta illius erat prudentia, gravitas, constantia, comitas et benevolentia erga cives, pietas in Deum, fides erga Caesarem, ut eum subditi tanquam parentem amarent et venerarentur, alii Principes colerent, Imperatores Germaniae vehementer suspicerent atque observarent. Civium salus, patriae incrementum et prudens reipublicae administratio tantopere ei curae erant cordique, ut patruum etiam, antequam solus regnaret, in administratione provinciae suis consiliis atque opibus juvaret. Insigne hujus rei documentum est pactum illud Uracense cum patruo ictum, cujus supra jam mentionem fecimus. Illustrior vero ejusdem sollicitudinis Eberhardi pro patriae flore testis est illa pactio celebris post mortem Ulrici patrui, cum totius Comitatus Würtembergici regimen ad ipsum pervenisset, Münsingae (A. 1482) transacta, qua more adhuc in reliquis familiis regnantibus insolito cautum fuit, ut in posterum omnis ager Würtembergicus indivisus ad unum natu maximum in Familia regnante

devolveretur. Quantopere hac nova sed prudentissima successionis lege provisum fuerit non solum opibus et splendori Serenissimae Domus Württembergicae, sed flori etiam et utilitatibus patriae, unusquisque intelligit. Sed apparet etiam simul, quam immortaliter EBERHARDUS, quem divina providentia autorem hujus legis esse voluit, hac unica familiae lege condenda de sua stirpe et de universa patria fuerit promeritus. Aliud aeternae gloriae monumentum, quod silere hoc maxime loco indignum foret et ingratum, sibi posuit EBERHARDUS condenda et ornanda Academia Tubingensi, florentissimo adhuc optimarum artium et scientiarum per omnem Germaniam seminario. In condenda hac Musarum sede Princeps ille non solum rarum ista aetate inter Principes amorem in literas, et persuasionem de insigni earum fructu ad salutem publicam, sed raram quoque animi liberalitatem testatus est, cum illam jam tum conderet (a. quippe 1477) insignibusque bonis et privilegiis dotaret, cum nondum praeesset universo Comitatui Württembergico. Qualem vero egregius ille Princeps gesserit animum erga eos, quibus imperabat, demonstrat vox illa multis Principibus adstantibus ab Ipso edita: „gloriari se, quod in gremio cujuscunque suorum subditorum securus dor„mire posset;“ quae vox vere digna patriae parente, utrum gloriosior sit Principi, an iis, quibus imperat, vehementer ambigo. Talem tantumque Virum, quis dubitaverit, dignissimum fuisse, qui summis

honorum ornamentis decoraretur a *Caesare*, quique Ducalis Dignitatis decus ad nepotes transferret. Quam praeclare etiam *Caesar Maximilianus I.* de EBERHARDO, cujus virtutes dudum cognoverat, senserit, ex memorabili illa patet voce, incorrupto affectus sui testimonio, in quam, cum postea tumulo EBERHARDI in Eremo S. Petri adstitisset, erupisse fertur: „Hic Princeps jacet, prudens et probus, cui parem inveni nullum; hujus consilium saepe mihi profuit.“

Colligenda jam mihi essent reliqua omnia singularia divinae providentiae specimina in vitis reliquorum Serenissimorum Ducum, qui Eberhardo successerunt, obvia; sed cum illorum speciminum tanta sit ubertas et copia, ut orationis cancellos multum excedant, verendum esset, ne oratio mea in longiorem excresceat modum, si omnia verbis enarrare vellem. Satius itaque erit, ad acuendos pietatis sensus pauca tantum notare; quamvis difficillimum sit, inter tot illustrissima rerum monumenta illustriorum facere selectum.

Atque in hoc vastissimo rerum gestarum campo vellem Auditores! quod ad speciem quidem ineptum videtur, re ipsa vero aptissimum est, oculos vestros potissimum defigi in adversis Serenissimae Domus Württembergicae patriaeque carissimae fatis, cum in his, ut supra monitum est, maxime cernatur occultus providentiae cursus, quo bona ex malis, secundas res ex adversis praeparare et elicere amat.

Est enim haec sapiens et variabili rerum humanarum naturae accommodata lex providentiae, ut, quemadmodum in rerum naturalium consecutione contraria ex contrariis eveniunt, ita etiam in fatis singulorum hominum et civitatum bona malis, tristia laetis prudenti temperamento misceantur, sibique invicem succedant. Hac adversarum secundarumque rerum vicissitudine paulatim discimus et adsuescimus, vera rerum pretia rectius aestimare, aequabiliori animo utramque fortunam ferre, neque in laetis altius nos jactare, neque in adversis despondere animum. Inprimis adversitates hanc habent vim salutarem, ut non solum stimulos addant animo, vires animi excitent et exerceant, et quoddam quasi theatrum virtutibus aperiant, sed ut etiam sensum subsequentis jucunditatis multo magis acuant. „Ut bona valetudo, liceat mihi Ciceronis verbis uti, jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro corpore fuerunt, sic omnia, quae bona sunt, desiderata magis, quam assidue percepta, delectant." Qui secundo semper fortunarum cursu utuntur, facile ad inertiam et socordiam delabuntur, et tandem quotidiano bonorum fructu ipsa bona fastidiunt. Eadem quoque est operum artis natura et conditio, ut demum ex contrariis composita placeant. Pictura tum demum oculos allectat, cum colores ita mixti sunt, ut aptum quoddam umbrae lucisque temperamentum appareat; neque dramatica fabula trahit animos,

nisi inter se confligant virtutes et vitia, atque sibi invicem opponantur.

Mirabilem hujuscemodi permixtionem rerum et laetissimarum et adversissimarum exhibet primum vita ULRICI, Ducis ab Eberhardo I. tertii. Splendidissima fuerant auspicia principatus Ducis hujus heroica indole praediti, qui rempublicam non ultra sedecim annos natus susceperat, media illius fata tristissima, ultima tandem feliciora. Rerum summae vix potitus, bellum gessit contra Philippum Electorem Palatinum, excitatus a Caesare et futuro suo socero Bavariae Duce tanta felicitate, ut unica brevi expeditione quatuor urbes et praefecturas cum monasterio Mulifontano Ducatui adjiceret, praetereaque pro resarciendis belli sumtibus a Bavaria omni Dynastia Heidenhemiensi cum tribus in ea sitis monasteriis augeretur. Tale tantumque erat hoc belli lucrum, ut simile nullum inveniatur in annalibus Würtembergiae. — At quam graves casus mox excipiebant laeta haec initia! ULRICUS quippe secundis rebus elatus, vehementiorique ingenio praeditus, tantas postea pluribus ex causis inimicitias contraxit; tantamque hostium acerbissimorum multitudinem in se armavit, ut tandem mole hostium oppressus, at invicto animo succumberet fatis. Intra brevissimum temporis spatium totus Ducatus in praedam et rapinam cessit Suevico Foederi, moxque venditus ab hoc fuit pro vili summa regi Ferdinando Austriaco, ut spes restitutionis eo magis minueretur Ulrico. Ne-

que etiam Ferdinandus injustam detrectavit possessionem, sed velut legitimam suis ditionibus adscripsit. ULRICUS interea patria carens et undique derelictus quindecim annorum exilium velut alter Ulysses pertulit, et inter atrocissimas vitae procellas talem ostendit animum, qui ludibria fortunae contemneret. Saepius enim spe frustratus Helvetiorum ope, inter quos diu commorabatur, patriam recipiendi, spem tamen nunquam abjecit, tandemque adjutus sociatis copiis hospitis et amici sui *Philippi* Hassiaci, quibus alendis Rex Galliae Franciscus pecuniam subministrabat, uno secundo praelio prope Lauffam (1534) victricibus armis totum Ducatum inter laetissimas omnium civium acclamationes recuperavit. En admirabilem Dei providentiam ex rebus ULRICI tam cito in meliorem statum conversis exsplendescentem! Quis enim tam coecus est, ut non videat praesenti Numinis auxilio factum esse, ut ULRICUS toties spe falsus recuperandi patriam, post longum exilium unica dimicatione in avitos agros non solum restitueretur, sed ut eodem quoque anno Ferdinandus gravioribus tum negotiis implicatus pactione *Cadavensi* usurpato hactenus in Württembergiam imperio renunciare cogeretur! Longe vero clarissimum providentiae specimen in regendis ULRICI fatis hinc cernitur, quod ipso Ducis exilio in salutem patriae sic usa est, ut patriam puriori Evangelii luce collustraret, eamque in perpetuum a vinculis atque superstitionibus pontificiae religionis liberaret. ULRICUS

enim, cum inter Helvetios et apud Philippum Magnanimum in familiaritatem novae religionis doctrinae jam tum per magnam Germaniae partem propagatae et opibus potentissimorum Principum sustentatae pervenisset, ipse non solum amplexus est fidem evangelicam, sed statim quoque post receptionem Ducatus omnem dedit operam, ut ad illius normam sacra repurgarentur. Dudum quoque animi Württembergensium ad amplectendam novam religionem inclinabant, et praeterea sic erat fere moribus istius temporis comparatum, ut in rebus etiam ad religionem pertinentibus cives ad exemplum principis se componerent. Ipse vero ULRICUS usque ad mortem evangelicae causae patrocinium acerrime sustinuit, eundemque ardorem in propugnanda re evangelica successoribus etiam quasi per hereditatem transmisit. — Quod pater in restauranda civili et condenda nova ecclesiastica constitutione patriae inchoaverat, filius CHRISTOPHORUS consumavit. Miraculosam Principis hujus a prima infantia omnis generis calamitatibus expositi conservationem supra jam attigimus; quam immortalia vero ejusdem optimi et in rerum gerendarum usu longe versatissimi Principis merita sint de omni republica, inprimis autem de re ecclesiastica et scholastica, deque prudenti, verecunda et patriae utilitatibus accommodatissima administratione bonorum Ecclesiae, annales clamant; nec quisquam erit civium Württembergensium, qui haec nesciat, aut qui, cum sciat, non sanctam hujus

Principis memoriam in animo conservet. Quapropter etiam omnes mecum consentient, totum hujus Ducis regimen illustrissimum esse monumentum divinae providentiae pro perpetua patriae salute vigilantis. Neque vero desiit vigilare Numen divinum post CHRISTOPHORI mortem pro flore Serenissimae Domus regnantis et patriae, sed utrique potius optime consuluit longa pace ultra dimidium seculum producta, nullisque bellorum turbis interrupta. Pacata erant non solum CHRISTOPHORI, sed etiam LUDOVICI, et FRIDERICI imperia. Hoc diuturno otio Dei benignitas providit, ne publicae felicitatis aedificium vix consummatum iterum corrueret; atque ut conservatis auctisque pacis ornamentis belliquae praesidiis patria vires quasi colligeret ad sustinendas belli clades imperante JOHANNE FRIDERICO primum imminentes, postea sub EBERHARDO III. gravissimam patriae ruinam trahentes. — Ceterum in longa hac externa quiete principatus FRIDERICI minime erat otiosus, sed potius ad amplificandum splendorem Domus patriaeque quam maxime negotiosus. Acre erat huic Principi et strenuum a natura ingenium, jamque Comitatum Montisbelgardensem per duodecim annos rexerat, antequam Ludovico orbo in Ducatu succederet. Dudum improbatis, quae sub antecessore Ludovico acta fuerant, qui propter nimiam indulgentiam summam potestatem ministris reliquerat, contrarium iniit imperandi morem, solusque per se regnare statuit. Itaque cum esset in retinendis

et amplificandis Serenissimae Domus juribus vehementer ambitiosus atque pertinax, quidquid illis superiori tempore derogatum videbatur aut detractum, vindicare annisus, multa quidem suscepit, quae ex altera parte cum publicis pactis et cum juribus et privilegiis civium vix conciliari posse videbantur; patriae ceteroquin commodorum ita erat studiosus, ut multa et magna ornamenta isti Principi deberet patria. Ingratum foret et injustum, silentio praetermittere, quae ab impigerrimo hoc Duce instituta sunt ad industriam suorum subditorum excitandam, et ad patriae florem quaestu et mercatura extollendum. Huc referri merentur assidua illius studia, ut Nicarus fieret navigabilis, et vecturae mercium opportunus, praeterea fodinae et fabricae ferrariae, quarum singularem gerebat curam, ut bonorum ferramentorum copia superesset patriae; nova in hunc finem condita Colonia ad silvae nigrae fauces; solertissima denique Principis cura ad erigendas et ornandas linorum textrinas spectans, per quas, quantum lucri et peregrinae pecuniae usque ad nostram aetatem in patriam confluxerit, incredibile esset, nisi recentibus rite ac docte institutis computationibus res ipsa constet. (v. Ephem. Geogr. Oct. 1801.) Idem Princeps augendo etiam territorio vehementer intentus coemtis a Marchione Badensi aliquot urbibus atque vicis in superiori atque inferiori parte Ducatus sitis territorium ducale non solum auxit, sed commode etiam clausit, illiusque partes melius inter se

copulavit. Illustria ejusdem Principis beneficia in Academiam patriam Tubingensem collata non solum eminent ex nova legum academicarum revisione ab ipso instituta, sed maxime ex consummatione Collegii illustris a Ludovico primum conditi, studiisque Principum et nobilitatis germanicae destinati, quod per longam annorum seriem frequentatum a flore principum atque nobilium Germaniae, et splendorem Academiae et fortunas civitatis Tubingensis mirum in modum extulit. Inter gravissimas hasce occupationes domesticas externas tamen res strenuus Princeps minime neglexit, inprimis vero ad exemplar Antecessorum rei evangelicae firmiter adhaesit, consultationes Principum evangelicorum de firmandis juribus ecclesiae novae contra insidias et machinationes Principum Catholicorum consiliis, opera, opibus adjuvit, et unione sua cum Electore palatino Friderico IV., acerrimo tum patrono causae protestanticae unioni Principum evangelicorum mox natae signum dedit.

Luctuosissima mox ingruebant tempora Duce FRIDERICO fatis functo (a. 1608); ingravescente quippe bello isto religionis funestissimo, triginta annos per omnem Germaniam grassante, quod ad delendum evangelicae religionis exercitium spectans tandem, innumera strage facta, libertatem religionis corroboravit. Decem anni, dimidia pars principatus JOHANNIS FRIDERICI per quietem transiebant, nunc autem (a. 1618) bellum eo ferocius exarsit, quo longius erat praeparatum, quoque magis animi utriusque partis dudum erant exacerbati. Uniti principes evangelici propter inconstantiam et discordiam catholico foederi impares molem belli suis viribus parum sustinebant. Quod

cum videret JOANNES FRIDERICUS, melius sibi patriaeque consulturum se ratus, ab unione discessit, atque ita imminens exitium prorogavit quidem, non avertit. Mox enim prostrato Friderico quinto unionis evangelicae capite belli incendium patriam quoque hausit. Jam Caesaris et catholici foederis copiae patriae occupatae immensa imperare tributa, quibuscunque exactionibus vexare cives, vi et rapinis complere omnia. His malis alia, quae bellum comitari solent, accedebant, annonae caritas, fames et pestilentia. Haec interim mala, licet gravissima, majorum tamen calamitatum erant praesagia, quas Joannes Fridericus morte effugit. Respirare tum coeperat aliquantulum patria victoriis Suecorum, sed post infelicem pugnam *Nördlingensem* (a. 1634) omnis belli rabies sic effusa est in miseram patriam, ut intra quadriennium (ab a. 1634—38) totus ager Württembergicus foecundissimus omnibusque telluris muneribus a Deo locupletatus in vastam solitudinem converteretur. Hostes tum exuta humanitate ferro flammaque omnia vastare, nulli aetati parcere, sacra profanis miscere, nil humani, nil divini juris intaminatum relinquere, caedibus et stupris polluere omnia. Undique nunc agricultura deserebatur, cives, quibus facultatum aliquid supererat, emigrabant, aut fuga salutem quaerebant, reliqui ferro et fame absumebantur. Annales fide dignissimi per tempora illa funestissima numerant octo urbes incendio deletas, quadraginta quinque vicos exustos, trecenta aedificia publica diruta, et triginta sex millia privatarum aedium in ruinas conversa. Neque vero solum praesens calamitas oppresserat patriam Principemque, sed spes etiam

videbatur erepta propter iracundiam Caesaris Ferdinandi in EBERHARDUM, Evangelicorum partibus addictum. Antea jam Caesar promulgaverat Edictum illud restitutionis, quo mandabatur, ut monasteria cum bonis Ecclesiae redderentur antiquis possessoribus catholicis. Quippe hoc edicto tanquam fulmine imperatorio citissime arbitrabatur prosterni posse opes Evangelicorum, et extirpari novam religionem. Frustra legati ducales objecerant, vim istius edicti non posse extendi ad monasteria Württembergica, quae nunquam fuissent exemta jurisdictioni Dominorum territorii, sed summo imperio ac praesidio Ducum semper subjecta, quorumque reditus nunc etiam post sacra ex jure Principum reformata ad pios usus converterentur. Nihil impetratum. Non solum claustra cum bonis Ecclesiae monachis reddebantur, sed ipsum quoque Ducis patrimonium totusque fere Ducatus distrahebatur et dividebatur inter amicos et ministros Caesaris, sic ut omnis spes redeundi in patriam EBERHARDO videretur erepta. — Quis ex hac malorum colluvie unquam putasset eluctaturam esse patriam? Attamen spe et opinione citius eluctata est. Mox enim mortuo Imperatore *Ferdinando* II. acerrimo rei evangelicae hoste, et Eberhardi inimico, EBERHARDUS per intercessionem plurium potentissimorum Principum non solum Caesari *Ferdinando* III. reconciliatus patriaeque desiderio redditus, sed postmodum etiam per pacem Westphalicam (a. 1648) impigris studiis et circumspecta prudentia legatorum Württembergensium, quorum memoriam nulla aetas silebit, contra callidas hostium machinationes et insidiosas eorum exceptiones ita in integrum restitutus

est, ut bona etiam ecclesiastica iterum redderentur, monachique tandem monasteriis exire cogerentur. In tam repentina tamque felici rerum conversione quis non videt Deum fata ipsa flectentem! Quanto clarius autem apparent divinae providentiae miracula, cum ex annalibus illius temporis intelligimus, quanta celeritate patria exhausta vires suas collegerit, et ex miserrimo statu fuerit refecta; sic ut ipsi etiam EBERHARDO, qui ruinas patriae viderat, contingeret, revirescentem illius florem suis oculis videre. Qui emigraverant, catervatim nunc reverti, novorum colonorum ingens accedere numerus, aedes dirutae cito ex ruderibus resurgere, agrique tanta undique industria coli, ut deletis paulatim pristinae miseriae vestigiis vita ex morte, bona spes ex desperatione, ex inopia opes redirent civibus. Prudenti etiam administratione EBERHARDI totus civitatis status mox ordinatus, leges et jura revocata sunt. Publici quoque reditus in tantum ordinem brevi tempore redigebantur, ut non multo post (mirabile dictu!) magna superesset EBERHARDO pecuniae summa ad coemendos novos agros, e quorum proventu peculiarem condidit fiscum principis (Kammerschreiberei-Gut), atque ita de Serenissima Stirpe praeclare est promeritus. Quanta vero vigilantia Dei numen ab obitu illius Ducis usque ad nostra fere tempora prospexerit patriae, ne diuturnioribus certe bellorum calamitatibus infestaretur, non satis potest depraedicari. Quamvis enim regnante EBERHARDO LUDOVICO ad finem seculi decimi septimi et ab initio decimi octavi quies patriae aliquoties Gallorum invasionibus esset turbata, et graves jacturae factae essent, brevia tamen illa fue-

runt mala, et ipsa respublica salva stetit et incolumis.

Ceterum eundem hunc Principem FBERHARDUM III., de quo hactenus locuti sumus, divina etiam providentia destinaverat numerossimae prolis parentem, ut cum renovato flore patriae flori etiam et conservationi Serenissimae Domus Württtembergicae simul in futurum tempus prospiceret. Cum enim filius Eberhardi III. natu major, GUILIELMUS LUDOVICUS per triennium tantummodo regnasset, hujus antem filius EBERHARDUS LUDOVICUS post diuturnum quidem principatum tamen filius orbus decessisset, alterum Eberhardi III. filium FRIDERICUM CAROLUM minorennis Eberhardi Ludovici tutorem, et Administratorem Ducatus, cui florentissima haec schola suos debet natales, providentia selegit divina, qui principatum ad suam familiam transferret, et a quo descenderet nova Stirps Serenissimorum Ducum ad hunc usque, diem gloriose regnantium. Novam hanc longe illustrissimam Stirpem inchoavit Dux CAROLUS ALEXANDFR, qui cum paucos annos post susceptum principatum obiisset, eundem reliquit filio natu majori CAROLO EUGENIO, a quo, licet regimen hujus dimidium fere seculum expleret, illud rarissimo inter familias regnantes exemplo ad reliquos duos fratres natu minores pervenit, sic, ut tres fratres in principatu sibi invicem una serie non interrupta succederent. Cum enim CAROLUS plane orbus, LUDOVICUS EUGENIUS autem post biennium principatus gesti sine mascula prole decessisset, successit frater natu minimus FRIDERICUS EUGENIUS, *Serenissimi Ducis* nostri. et jamjam *Electoris regnantis* Pater dilectissimus, cujus

dulcissima memoria recens adhunc viget in animis omnium Württembergensium.

Ad haec nostra tempora delati, Auditores! nobis ipsi videremur impii in Deum, et ingrati erga divos manes b. nunc FRIDERICI EUGENII, nisi verbo saltem attingeremus illa divinae curae specimina, quae vitam desideratissimi hujus Principis illustrant. Nil jam dicam de hoc providentiae munere, quo Princeps ille bello et pace clarus exantlatis tot tantisque per juventutem belli laboribus tamen bigae Fratrum superstes senex jam reipublicae gubernacula capessivit; nihil de insignibus humanissimi Principis meritis per breve inquieti regiminis spatium in patriam collatis; ea tantum breviter indigitabo, quae ad antecedentem privatam hujus Principis vitam exornandam valent, quibusque nondum admotus ad publicum regimen sequentem Ducis gloriam praeoccupavit. Nonne enim Dei munere factum est, ut iste Princeps felicissimo matrimonio junctus cum nepte *Friderici* magni Parens evaderet numerosissimae et florentissimae Stirpis Ducalis, in qua nunc spes patriae futurarumque generationum nititur; Stirpis, quae jam in tot novas frondes effloruit et excrevit, ut, quantum homini licet augurari, nullo tempore patriae timendum sit de extinctione Serenissimae Gentis Württembergicae. Quis porro neget, Dei beneficio factum esse, ut FRIDERICUS EUGENIUS, licet Ipse ab infantia romanis sacris, ad quae Pater Carolus Alexander transierat, initiatus, tamen omnem familiam in evangelica religione educandam curaret, ut jam nobis liceat *Principem* venerari, communia patriae sacra ore ac animo profitentem, et novo

avitae religionis vinculo cum patria rursus conjunctum. Denique, quem fugit, quantopere FRIDERICI EUGENII matrimonium propter fecunditatem tam salubre patriae ad splendorem etiam Domus jam per se valuerit propter novam cognationem cum Regia Stirpe Borussica; quantum vero providente Deo posthac etiam, secuta per duarum Filiarum nuptias propinqua cognatione cum utraque *Domo Caesarea* contulerit ad amplitudinem Serenissimae Stirpis magis adhuc extollendam, summorumque Principum familiis aequiparandam. Etenim extraordinaria Dei providentia accidit, ut una ex filiabus FRIDERICI EUGENII, dudum proh! dolor fatis praerepta, nuberet Archiduci Austriaco *Francisco* II. nunc *Imperatori Augustissimo*, altera vero magno Russorum Duci *Paulo* I., postea Imperatori, quae nunc viduata quidem Russorum Imperatrix, sed felicissima numerosae prolis Imperialis Mater inter principes feminas terrae non solum longe illustrissimum tenet locum, sed, quod majus est, a Filio tali Matre dignissimo *Alexandro* I. *Russorum Imperatore*, ab universa Familia augustissima, a tota Russorum natione, et ab exteris etiam propter egregias et excelsas animi virtutes sanctissime colitur.

Percepistis hactenus, Auditores! praecipua quaedam providentiae divinae specimina in regundis Serenissimae Domus Ducalis fatis, in hunc maxime finem a me decerpta ex annalibus historiae patriae, vobisque exposita, ut ex praeteritis de futura etiam et nunquam intermoritura prosperitate Serenissimae Stirpis et patriae spes caperetis amplissimas.

Sed quid moramur in praeteritis, cum praesentia tam sint laeta tamque gloriosa *Principi* nostro, ut ex his jam cum fiducia augurari possimus, divinam providentiam rebus patriae futurorumque illius Principum usque ad seculorum omnium consummationem clementer esse affuturam. Novus quippe honos, per quem nunc *Ducem* nostrum electorali Diademate redimitum atque inter *Electores* Imperii assidentem cernimus, jam per se tantus est tamque amplus, ut omnia laudis ornamenta, omnes honorum titulos superiorum Ducum non solum exaequet, sed longe superet; cum vero conditiones etiam temporum perpendimus, sub quibus nova Dignitas electoralis ad *Principem* nostrum Ejusdemque Successores pervenit, eo graviores inveniemus causas, Supremi Numinis providentiam depraedicandi, devotaque mente adorandi. Hae enim conditiones temporum, meministis omnes, tales fuerunt, ut ex illis damna potius atque detrimenta reipublicae metuenda, quam incrementa speranda essent. Neque vero ego illas adversitates Vobis, Auditores! in mentem revoco, ut praesentis laetitiae sensum in Vobis minuam, sed ut eundem potius augeam, Vobisque recentissimo eodemque illustrissimo et ad communem voluptatem omnium nostrum gravissimo exemplo demonstrem, quemadmodum inter turbas periculosissimi belli gloria Serenissimae Stirpis Principum nostrorum, salusque patriae commendatae fuerint divinae providentiae. Quod enim insignius exstare potest monumentum, quis major divinae providentiae quasi triumphus, quam quod jam *Princeps* noster in bello ad perniciem Germaniae ab initio fatali, et in ultimis quoque periodis parum

prospere gesto, tamen Ducatus Sui integritatem non solum servavit, sed magnam quoque opum et terrarum accessionem cum splendidissimo *Diademate electorali* exinde reportavit! — Aut quis mortalium conjectura potuisset assequi, bellum a Gallorum gente adversus Germaniam motum, quod, antequam *primus* Galliae *Consul* reipublicae Gallorum gubernacula in se susceperat, non ad immutandum, sed ad penitus evertendum universum Imperii Romani statum spectabat, hunc tandem habiturum esse eventum, ut ex eo nova prodiret Imperii forma, immutata quidem, et a pristina aliquantum diversa, sed emendatior; quae sublatis omnibus majoribus minoribusque principatibus ecclesiasticis non ipsi solum religioni melius consuleret; sed auctis potentiorum Principum secularium opibus novum Imperio Germanico robur conciliaret, spemque faceret Germanis, antiquae autoritatis inter populos recuperandae. — Ita

„Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas metuit, trepidatve.“

Quid vero nostri jam officii est, Auditores! — Scio, Vos omnes ita mecum esse affectos, ita piis in Deum et *Principem* sensibus inflammatos, ut in hujus Diei splendore non solum cum *Principe* gaudeatis, sed etiam repetitis, quae commemorata sunt, divinae providentiae speciminibus, Deo gratias agatis ardentes pro conservato hactenus et aucto decore et flore *Serenissimi Principis et*

Familiae regnantis; ut novam hoc die legibus obedientiam, *Principi* reverentiam, patriae caritatem spondeatis, ut piis denique votis *Principem Electorem* prosequamini, mihique nunc pro salute Illius pia vota concepturo ex animi sententia annuatis. — Conservet Deus O. M. pacem ardentissimis omnium gentium votis tam diu expetitam, tandemque terrarum orbi redditam, ne fundamenta felicitatis gentium vix jacta novis bellorum turbis iterum concussa labefactentur; servet FRIDERICUM novum *Electorem et Ducem* nostrum *Clementissimum*, ad quem nunc Majores Sui in coelos dudum assumti laeti oculos convertunt, quemque tanquam Auspicem novi et splendidissimi honoris Nepotes gratissima mente reverebuntur, sospitem et incolumem; ut diu Ipse laetus populo Suo intersit, novoque honore, quem jam felix auspicatur, ad ultimam senectutem possit perfrui. Faxit Deus, ut *Princeps* noster et *Elector* aucta etiam publicorum negotiorum mole nunquam defatigetur in procuranda salute publica, et in explendis gravissimi sanctissimique Sui muneris officiis; utque novis etiam civibus Suo jam imperio subjectis ab auspiciis imperii Sui nova illucescat Epocha felicitatis publicae. Servet inprimis Supremum in coelis Numen *regiam Cunjugem* Serenissimi nostri *Electoris*, fidissimam omnium *Illius* fatorum Sociam, quaeque omnium virtutum muliebrium exemplar, quamquam regia nativitate, et connubii dignitate principibus feminis excellat, facilitate tamen, humanitate et modestia par infimis esse videatur. Servet denique Deus *Serenissimum Principem Electoralem hereditarium*, omnemque *Serenissimam Familiam*

Electoralem, cum toto flore *Serenissimae Domus Württembergicae*, in quo futurae spes patriae positae sunt et reconditae. Desinat summa omnium votorum, omnium precum nostrarum in hac religiosa et sanctissima precandi formula:

Domine! salvum fac Electorem nostrum, salvam ac Familiam Electoralem, salvam fac patriam!

XXI.

DE PRUDENTIA OCTAVIANI IN CONDENDO PRISCO ROMANORUM IMPERIO.

Pars prima et altera. 1804.

Licet nobis hoc etiam anno in conspectum Vestrum, Lectores benevoli! producere ornatissimos aliquot optimaeque spei juvenes, qui rite ac feliciter absolutis studiis humanioribus in hac florenti omnium bonarum artium schola non sine quadam publicae pietatis gratique animi tessera ab hoc Gymnasio, cui omnis verae scientiae ac virtutis initia atque progressus debere se palam profitentur, discedere voluerunt, atque ita more apud nos recepto publicis orationibus sunt valedicturi. Qui quum habitis novissimi temporis rationibus orationum suarum materiam ex memorabili, quae hoc anno facta est, commutatione reipublicae Franco-Gallicae in Imperium

hereditarium delegissent, in indicenda hac solemnitate publica nec injucundum Lectoribus nostris, nec ab erudita curiositate eorum alienum fore putavimus, si antiquitatis memoria revocata *de prudentia Octaviani Augusti in condendo prisco Romanorum Imperio* ad fidem optimorum Historiae romanae Scriptorum aliqua dissereremus.

Rem publicam romanam, quae primis seculis unice in potestate Senatus populique fuerat, ita, ut summis etiam magistratibus parendum esset Senatui ac populo, jam diu ante aetatem Octaviani ad potentiam et dominationem paucorum Optimatium recidisse, historiae romanae Annales satis testantur. Antiquus quippe reipublicae status, quo omnia agebantur ex auctoritate Senatus populique, quique tam bene convenerat modicis R. reipublicae terminis, non poterat perdurare, auctis postea in immensum imperii romani finibus. In ipso bellicae gloriae prorogandaeque in exteras gentes dominationis studio, quo Romani inclarescebant, imminutae postmodum ac deletae libertatis publicae semina latebant. Quippe dum respublica exiguis continebatur finibus, cives etiam frugalitati et morum simplicitati studebant, nec ambitioni, nec avaritiae et cupiditati, nec invidiae locus relinquebatur. Ipsae turbae civiles inter plebejos et patricios saepius etiam tum obortae parum labefactabant reipublicae statum, quia facile poterant reprimi et sedari interposita Senatus auctoritate. Si qui regnum affectabant, aut plebis studia

largitionibus aliisve modis captantes in suspicionem tantum affectatae tyrannidis incurrebant, ab ipso populo statim deserti exilio aut morte mulctabantur, nullo ipsis praesidio nullaque spe relicta in publicis armis. Non solum legum autoritas, sed jus etiam belli pacisque penis Senatum erat, a quo etiam imperia militaria decernebantur; tantumque ista aetate valebat Senatus populique majestas, ut, qui cum imperio missi fuerant in provincias, non auderent, illud contra voluntatem Senatus retinere, aut eo ad infringendam libertatem publicam abuti. Et ne quid periculi ab Imperatoribus exercituum immineret reipublicae, salubri lege cautum erat, ne quis Imperator rediens e bello aut provincia injussu Senatus atque populi armatus urbem ingrederetur, aut saltem cum exercitu propius ad urbem accederet. Quamvis enim Imperatores plena potestate uterentur in milites, et jus vitae necisque in hos haberent, Senatui tamen cum exercitu erant subjecti. At quanta rerum commutatio postmodum facta est, cum expugnata magna terrarum orbis parte immensae in Urbem opes confluerent, et omnes omnium libidines protinus incenderentur! Ab hoc enim tempore sic paulatim imminuta est antiqua Senatus autoritas, ut ii, qui exercitibus praeerant, partis per bellum immensis opibus omnia ex suo arbitrio agerent, milites suo sacramento addictos agris, pecunia et promissionibus in suas partes traherent, imperia militaria militum suorum praesidio tecti invito Senatu continuarent,

jus bellorum gerendorum sibi arrogarent, minis Senatum terrerent ac cogerent; et intestinis discordiis, cum unusquisque summae rerum praeesse cuperet, rempublicam identidem lacerarent. Sic nata sunt funesta illa bella civilia, quorum exitus is erat, et esse debebat, ut principatus in republica primum ad paucos, dein ad Unum perveniret. Ipse Senatus, in partes divisus, cum plurimi turbidis istis temporibus homines indigni in hunc ordinem allecti essent, cumque magna parte potestatis se jam videret exutum, nihil ultra opis invenit, quam ut ipse Potentiorum partes sequeretur, horumque acta confirmaret, ut, quae impedire non posset, sua voluntate suoque consensu gesta viderentur. Ex altera vero parte Magnates etiam, qui de summo in republica imperio inter se decertabant, satis erant callidi, ut omnibus, quae per vim in suum commodum agebant, speciem reipublicae obtenderent, fraudesque suas honestis tegerent nominibus, nequid contra rempublicam fecisse viderentur. Hanc rationem inierunt primi isti summae potestatis in republica aemuli *Marius* et *Sulla*, quorum uterque, dissensionibus antiquis populi ac Senatus callide utens, pro republica niti simulabat, quum alter populi, alter Senatus se ferret vindicem. Idem Sulla, cum devicto Mario, *perpetuam Dictaturam* primus in se recepisset, in eaque ultionis causa innumeris caedibus et proscriptionibus saeviisset, omnia reipublicae et jurium Senatus tuendorum causa fecisse simulabat, posteaque, cum lubens Dictatura

decederet, non solum crudelitatis memoriam obliteravit, sed popularitatis adeo famam consecutus est. Eandem postea viam ingressi sunt clarissimi Viri *Cn. Pompejus* et *Julius Caesar*, qui primum societate cum *Crasso* inita nomine *Trium-Viratus* summam imperii inter se partiti sunt, deinde autem simultatibus, ut fit, inter ipsos obortis arma sibi ipsis intulerunt, donec Caesar, Pompejo victo, Crassoque a Parthis caeso, solus imperio summo potiretur. Hic vir, quo respublica romana nullum antea viderat ingenio rebusque gestis illustriorem, victoria sua, postquam iterum sub nomine Dictatoris perpetui rempublicam susceperat, tanta moderatione usus est, et in ordinanda bonis legibus salubribusque institutis republica tantam demonstravit sapientiam, ut absolutam, quam exercebat, potestatem populo jam tum bellis civilibus fesso gratam faceret et acceptam. Absolutam vero hujus viri potestatem fuisse, talemque, qualem nullus alius ante ipsum exercuerat, res ab eo gestae satis declarant, cum videlicet omnia legum, Senatus et magistratuum munia ad se traheret, milites in sua potestate haberet, leges ferret, judicia constitueret, Senatum legeret, et magistratus fere omnes ex sua voluntate non Senatus aut populi suffragiis crearet. Quapropter non solum hac ex causa, sed etiam propterea, quia parens illius gentis extitit, in qua postea imperium per manus traditum est, recte censeri potest Autor et Conditor Imperii Romani, quamvis fato infelici interceptus gloriam illius condendi et

confirmandi *Octaviano* filio ex sororis filiâ, quem adoptaverat, et heredem ac successorem testamento scripserat, reliquisset. Qua igitur prudentia et cautione *Octavianus* ille in constituendo et firmando Imperio romano versatus fuerit, id jam singulatim secundum testimonia locupletissimorum et fide dignissimorum Scriptorum, *Suetonii*, *Taciti* et inprimis *Dionis Cassii* persequemur. Cum prudentiam Octaviani in condendo romano imperio extollimus, minime negamus, eum in hoc difficillimo negotio rara admodum fortuna fuisse adjutum; at quis nescit, in eo praecipue conspici prudentiam, ut quis oblatâ sibi fortuna recte sciat uti. Magnum certe Octavianus praesidium principatus in republica parandi habebat in testamento parentis, e cujus hereditate immensae opes ad ipsum redibant, magnum in fide militum veteranorum, qui Patri suo addicti indignam illius necem ulcisci flagrabant, quosque novis largitionibus facile sibi poterat devincire, magnum denique in studiis multitudinis, quae Caesarem desiderabat, et quietum servitium malebat, quam turbidam libertatem. Ex altera vero parte antiquae libertatis studium nondum erat in animis civium extinctum; multi, qui priscam reipublicae formam restitui volebant, caedem in Caesare factam justam et reipublicae utilem, percussores autem Caesaris bonos et de republica bene meritos cives praedicabant; Senatus ipse, in cujus medio caedes facta erat, et cui multa in Caesare displicebant, ita se gerebat, tanquam suo consensu facinus fuisset admissum. Alii primorum, inter quos maxime *An-*

tonius, hanc sibi occasionem oblatam putabant, ut morte Caesaris ulciscenda sibi ipsis viam sternerent ad occupandum imperium. Itaque Octaviano, inprimis Juveni, (quippe agebat decimum octavum aetatis annum, cum Apolloniae, ubi studiis vacabat, Caesarem occisum, seque heredem comperit,) maxima opus erat prudentia, ut simul his, qui rempublicam ad priscam libertatem revocare, et illis, qui principatum in ea obtinere studebant, obviam iret. Ad hanc vero prudentiam Juvenis Octavianus omnes actiones statim composuit. Non enim, quod in Juvene immensis opibus repente aucto praecipue mirandum est, statuit omnia simul experiri, sed lente, uti saepius ajebat festinare, patris caedem ante omnia ulcisci, reliqua deinceps tentare. Igitur fretus paternarum legionum studiis, multorumque civium voluntatibus, primum Caesaris nomen assumsit, et Romam profectus est ad hereditatem patris adeundam. Ibi quum, obnitente licet Antonio, animos hominum in se inclinatos vidisset, animum statim contulit ad percussores patris persequendos. Sed cum videret Antonii opera sibi opus esse, tum ad puniendos interfectores patris, tum ad condendum imperium, compressis in praesens inimicitiis cum *Antonio* et *Lepido* foedus iniit publicum ad constituendam rempublicam, summamque igitur potestatem exemplo jam a patre dato cum duobus his partitus est. In hoc altero Trium-Viratu qui honesta appellatione inibatur ad constituendam rempub-

licam scelera tanta et crimina ab Antonio maxime et Lepido committebantur, quae Sullanorum temporum saevitiam excedebant, et propter communionem dominationis Caesari etiam imputabantur, quamvis collegarum saevitiam ipsi coërcere haud licuisset. Victo deinceps *Bruto* et *Cassio* consociatis Caesaris et Antonii armis, pristina mox resuscitata sunt odia inter utrumque, novis insuper exortis controversiis de partitione provinciarum; et quum neuter eorum parem imperii socium ferre posset, sibi ipsis arma intulerunt. Quo in novo bello civili Caesar postquam Lepidum etiam triumvirali potestate exuerat, tam prospera fortuna usus est, ut Antonius proelio *Actiaco* navali devictus non solum imperii Societate sed vita etiam cedere cogeretur. Ita *Caesar Octavianus*, cum parem in universa republica haberet neminem, solus ab hoc tempore rempublicam rexit, cunctaque, discordiis civilibus fessa, ut ait *Tacitus*, nomine *Principis* sub imperium accepit.

Quantam vero prudentiam, quamque insignem regnandi artem ab hoc potissimum tempore Caesar in administratione imperii declaraverit, id jam nobis accuratius est dispiciendum. Cum omnia, quae in longo principatu ab ipso gesta sunt, (vixit enim et regnavit usque ad septuagesimum sextum aetatis annum) animo comprehendimus, id sibi constanter proposuisse cernimus, ut immenso, cui praeerat imperio, non solum adversus externos hostes, sed etiam adversus intestinas turbas novarumque rerum moli-

mina securitatem firmitatemque praestaret, atque ut justa, miti ac sapienti reipublicae gubernatione imperium suum omnium ordinum civibus carum et gratum redderet. In hoc administrationis publicae negotio ne quid peccaretur, in consilium semper adhibuit duos sibi fidissimos amicos, *Agrippam*, quem etiam generum assumserat, summisque honoribus extulerat, et *Maecenatem*, equestris dignitatis hominem, utrosque spectatae fidei et probitatis viros, ingenio praevalentes, et rerum usu exercitatos. Itaque haec erat Octaviano Caesari in suscipiendo imperio summa prudentiae lex, ut ad declinandam imperii invidiam speciem atque formam reipublicae antiquitus constitutae sancte servaret, omniaque, quae ex imperio agebat, per Senatum populumque et per magistratus in republica dudum constitutos ageret, ne ex arbitrio et potentia quidquam, sed ex legibus omnia acta viderentur. Ex eadem causa non solum *regni* vocabulum et appellationem *regis*, cujus insimulationem avunculo suo Caesari exitio fuisse sciebat, aversatus est, sed *Dictatoris* etiam et *Domini* appellationem sibi ab ipso Senatu oblatam tanquam invidiosam repudiavit, *Imperatoris* contra, et *Augusti*, et *Patriae parentis* nomina lubens accepit, quoniam cum his nullam invidiam conjunctam esse intelligebat. Imperatorium quippe nomen saepius usurpatum in republica propter victorias more vetusto tribui solebat a Senatu Consulibus, qui exercitibus praeerant, nonnunquam etiam Consules ec

Praetores ab ipsis militibus propter res prospere gestas eo nomine solebant salutari; Octaviano autem eminentiori sensu nomen illud inditum est, quo scilicet summa imperii demonstraretur, quemadmodum jam antea ejus Patri *Julio* fuerat decretum. Vim nominis illius, quo postea omnes Caesaris Successores utebantur, et quod omnibus in aditu principatus a Senatu ad omnem vitam tribui solebat, ita describit Dio Cassius; hujus videlicet tituli ratione Imperatoribus exercitus scribendi, pecuniae conficiendae, bella suscipiendi, pacem faciendi, peregrinas et urbanas res plena potestate constituendi et ordinandi, equites senatoresque intra pomoerium capite plectendi, omniaque, quae consulibus, aliisque cum pleno imperio magistratibus facere licet, agendi jus esse concessum. Quam caute vero et callide Caesar Octavianus in recipienda potestate imperatoria processerit, hoc loco non est praetereundum. Cum enim post victoriam Actiacam, per quam Summa rerum re ipsa ad se Unum pervenerat, urbem intrasset, et ab Senatu populoque universo summis et exquisitissimis honoribus esset exceptus, per simulationem non modo de deponendo imperio cogitavit, et sententias amicorum *Agrippae* et *Maecenatis* rogavit, sed ipse etiam in Senatu orationem de hoc consilio habuit artificiosam, qua, quum se velle imperium deponere, simulasset, effecit, ut ei a Senatu populoque confirmaretur, atque illud non sumsisse, sed accepisse tantum videretur. Neque etiam

exorari se passus est, ut in omnem vitam Imperium acciperet, sed tantum in *decennium*, quo finito illud in aliud atque aliud decennium prorogatum ei est, sic, ut usque ad finem vitae per quatuor decennia summam imperii obtinuerit. — Haec jam sufficiant; cum alia proxime dabitur occasio, ea, quae de prudentia Octaviani in constituendo Imperio adhuc dicenda restant, exponendi. —

Nunc alia superest officii pars. Indicanda nobis etiam sunt nomina ornatissimorum Juvenum, qui in Actu valedictorio, *de Imperio recens condito in Franco-Gallia* publice verba sunt facturi. Hanc materiam divisis inter se partibus sic persequentur.

FRIDERICUS AUGUSTUS WEISSER, *Stuttgard. Jur. Stud.* germanico Sermone exponet causas Imperii Gallici recens conditi ab ipsius populi ingenio profectas.

CAROL. LUDOV. FRID. ROSER, *Vaihing. Jur. Stud.* persequetur causas novi imperii condendi ab ingenio, prudentia et industria novi Imperatoris repetendas; item germanico idiomate.

CAROL. CHRIST. THEOD. PLIENINGER, *Hochb. Theol. Stud. et Ser. Stip.* ulterius exequetur novi Imperatoris prudentiam et regnandi artem, in praeparando novo Imperio conspicuam, latino sermone.

JOAN. THEOPH. FRID. KOELER, *Stuttg. Theol. Stud. et Ser. Stip.* exponet necessitatem novae potestatis imperatoriae hereditario jure in Familia novi Imperatoris firmandae; latino sermone.

Denique:

CHRIST. LUDOV. FRIDER. GESS, *Stuttg. Theol. Stud. et Ser. Stip.* latino Sermone novam Gallici Imperii formam, quatenus a pristino regno differt, breviter describet; et gratiarum actione publica valedicet.

CONTINUATIO PRIORIS MATERIAE.

Redit propediem *Serenissimi nostri Electoris ac Domini Clementissimi* dies natalis, ab hoc etiam Gymnasio panegyri publica piisque votis et precibus concelebrandus. Cujus festi diei concelebrationem quum solemne sit, publico programmate indicere, laeta jam et opportuna se nobis offert occasio, ea, quae *de Augusti prudentia in condendo Romano Imperio* a nobis nuperrime disputari coepta sunt, ulterius persequendi.

Qualem, quantamque prudentiam Octavianus in parando et auspicando imperio expromserit, diximus; nunc etiam, quali prudentia in retinendo, firmando, propagandoque ad familiam imperio, atque in ipsa illius administratione fuerit usus, videndum est. Summa imperii, cum duabus maxime rebus absolvatur, potestate leges ferendi easdemque exsequendi, cui inclusa etiam est potestas magistratus

creandi, juris dicundi, puniendique, ad singula haec imperii absoluti capita referenda erit oratio nostra, ut eo clarius intelligatur, tum, quid in antiqua reipublicae constitutione mutatum fuerit atque novatum ab Octaviano, tum, qua arte prudens iste Vir in illa mutanda processerit, ut nihilominus species quaedam reipublicae liberae superesset. Constat, priscam reip. R. constitutionem hanc fere fuisse, ut summa imperii esset penes Senatum populumque, ita quidem, ut leges in Senatu per S. Consulta proponerentur, in Comitiis a populo sancirentur, magistratus, quibus cura legum erat demandata, quique etiam jus habebant, agendi cum populo, legesque rogandi, item populi suffragiis in Comitiis crearentur, Senatores autem ipsi, sive Patres, uti vocabantur, a summis magistratibus, Consulibus quippe, Dictatoribus, maximeque a Censoribus legerentur. Etiam judicia in potestate Patrum et populi fuerant, sic, ut forma eorum praescripta quidem esset a Praetoribus, ipsa vero judicia publice haberentur; et judices promiscue ex patriciis et ex populo legerentur. Denique in bellis decernendis populi non nullae erant partes, quamvis summum belli arbitrium esset penes Senatum. In omnibus hisce summi imperii partibus novum rerum ordinem introduxit Octavianus, omnemque et Senatus et populi et magistratuum autoritatem ad se Unum pertraxit. Quam vero rationem in hoc negotio inierit, hoc ut singulatim spectemus, operae pretium est. Prima statim novi

Imperatoris post receptum imperium haec erat cura, ut, quum videret, sine Senatu nihil agi posse in republica, imminutam tum temporis dignitatem Senatus propter multitudinem hominum indignorum, etiam libertinorum, qui per ambitum in hunc ordinem inter civiles turbas lecti fuerant, restitueret, simul vero etiam Senatum ipsum sibi obnoxium redderet, ut, quidquid ipse vellet, Senatui quoque ratum esset et placeret. Ipse igitur, quod Censores antehac fecerant, pro imperio novum instituit Senatorum recensum, quotquot videbantur indigni, loco movit, aliosque genere nobiles, moribus probatos, opibusque valentes in eorum locum substituit. Quanta moderatione et cautione in invidioso hoc et difficili negotio fuerit usus, non est tacendum. Non enim Ipse nomina eorum, qui loco erant movendi, ex albo delevit, sed sua potius autoritate eos compulit, ut sponte cederent, quum ipsis ignominiam de genere suo, vita et moribus rationem reddendi remitteret, et, ne nomina ipsorum ederentur, polliceretur. Neque in subrogandis novis Senatoribus gratiae aliquid daturum se volebat videri, quum novos pariter Senatores non Ipse legeret, sed probatos sibi e Senatu viros designaret, per quos habita legum ratione per sortem legerentur. Nec sane quisquam in legendis Senatoribus diligentior unquam fuit principe Octaviano; nempe intelligebat, ordinis Senatorii splendorem atque dignitatem etiam ad sui imperii majestatem magnopere esse valituram

Eodem prudenti consilio numerum Senatorum, qui ultimis temporibus usque ad *mille* creverat, imminuit, et ad *sexcentos* restrinxit, censum vero senatorium, id est, rei familiaris summam, quae primum ad quadringenta Sestertia (nostra pecunia circiter 20000 fl.), deinde ad octingenta, (40000) definita fuerat, ad duodecies HS. (s. 60000 fl.) auxit. Statuerat ab initio, senatorium ordinem ad antiquum numerum *trecentorum* revocare; satis contentum se esse censens, si tot dignos senatoria majestate reperiisset; sed, cum reputaret, aucto in majus imperio majorem quoque convenire numerum Senatorum, et sibi quoque usui futurum, si plurium senatoria dignitate ornandorum potestatem sibi relinqueret, sexcentos constituit. Igitur utroque hoc instituto, et imminuto Senatorum numero, et aucto eorum censu cavit, ne homines indigni aut inferioris conditionis ad honorem istum adspirare possent, atque ita plurimum ad augendam senatorii ordinis majestatem contulit. Et cum veteri more in legendis Senatoribus praeter censum ratio habenda esset et generis, et aetatis, et morum, hunc etiam morem retinuit *Augustus*, neque tamen in servando illo sic erat religiosus atque diligens, ut eos, quibus forte vel genus, vel aetas, vel census deesset, hoc honore excludendos censeret, si modo vitae probitate, et ingenii ac meritorum fama inclaruissent. Talibus enim viris tanquam optimis imperii ministris et adjutoribus se usurum bene intelligebat. Quapropter etiam nonnullis eorum, quod in

censu senatorio deficiebat, ipse sua pecunia supplevit, ut et legi satisfieret, et ipsi senatores electi pro dignitate muneris vitam sustentare possent. Cumque antiqui esset moris, ut Senatores ex equitibus subrogarentur, ab hac etiam consuetudine non recessit, triumque in republica Ordinum, senatorii, equestris et plebeji distinctionem solicite servavit. Insignem porro prudentiam *Caesar Augustus* in hoc demonstravit, ut de omnibus rebus ad rempublicam pertinentibus Senatum prius consuleret, nec quidquam ageret aut decerneret, nisi rogatis antea et auditis Patrum sententiis; utque sine odio aut invidia citraque periculum cuivis libere sentiendi et censendi potestatem faceret, haud ignorans, aliquorum dissensu non tolli consensum plurimorum ad mentem Principis sentientium, impunitatem vero contradicentium sibi ipsi gloriae futuram. Attamen, cum sciret, gravioris momenti negotia melius communicari cum paucis, quam cum multis, et arcanas deliberationes saepius praeferendas esse publicis, instituit sibi etiam *consilia* sortiri *semestria*, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret. Ad haec semestria secretiora consilia adhibere solebat e Senatoribus XV. et ex reliquis magistratibus singulos, quos, cum pariter per sortem eligeret, omnes atque singulos honoravit, neminem offendit. Tandem, cum propter senectutem rarius in Senatum veniret, viginti annuos consiliarios sibi e Senatu delegit, decretumque est per S. C. ut, quae-

cunque cum his, consulibusque, cum filiis et nepotibus, reliquisque, quos quoque tempore assumsisset, domi deliberans statuisset, rata non minus haberentur, quam si in curia statuta fuissent. Hanc communicati cum Senatu imperii speciem Augustus usque ad mortem servavit, cum sequentes Imperatores suos libertos in ludibrium Senatus ad secreta de imperio consilia adhiberent, et per literas tantum Senatui rescriberent, quid fieri vellent. — Tali vero prudentia et verecundia cum Caesar se gereret in Senatu de omnibus publicis negotiis consulendo, mirandum non est, hunc ita semper fuisse obsequentem erga Caesarem et officiosum, ut ei non solum summam et absolutam potestatem in totam rempublicam sponte concederet, omniaque acta et decreta ad ejus voluntatem componeret, sed summos etiam et cumulatos honores ei saepius decerneret, in quibus tamen accipiendis Caesar tantam prae se tulit modestiam, ut plures sibi oblatos excusaret.

Inter summa jura, quibus ab Senatu concessis atque decretis absolutum Caesari imperium deferebatur firmabaturque, referri maxime merentur *jus liberae et perpetuae relationis* in Senatu, non solum, si praesens, sed etiam, si absens esset per libellos et epistolas; deinde summa *jurisdictio* in omnes magistratus, maxime autem illud decretum, quo Caesar declarabatur *legibus solutus*, et ab omni legum exactione immunis, sic, ut nemini teneretur de imperii actis rationem reddere.

Stante quidem republica jam Consulibus reliquisque magistratibus majoribus jus erat ad Senatum referendi, sed tantum praesentibus; neque etiam liberum iis erat, referre, quae vellent, quia a Senatu cogi poterant, ea referre, quorum relationem praesens tempus et reipublicae utilitas exigebat; Caesari contra jus illud eo sensu tribuebatur, ut ipsius arbitrio relictum esset, quidquid vellet, referre, atque ut nulla res gravioris momenti inprimis nova legum rogatio in deliberationem venire posset, nisi a Caesare aut jussu Caesaris proposita; (die Initiative aller Geseze) quod vero ad jurisdictionem in magistratus attinet, ea quidem reipublicae temporibus Senatui erat commissa; nunc autem ita in Caesarem transibat, ut ipsi cum jure creandi magistratus jus etiam ad rationem reddendam eos adigendi et poenis coërcendi tribueretur; immunitas vero a legibus (Souverainité) nemini antea, ne summis quidem magistratibus erat concessa, cum omnes magistratus reipublicae deposito saltem magistratu in jus vocari propter acta publica possent, nec raro Consules durante etiam magistratu a Tribunis plebis ad rationem muneris reddendam adigerentur. Ceterum, quam prudentiam Caesar in legendis Senatoribus et in consiliis omnibus cum Senatu communicandis declaraverat, eandem etiam in eligendis magistratibus et in definienda eorum potestate demonstravit. Constat, ex reipublicae romanae constitutione in *Comitiis* populi non solum leges perlatas, sed omnes

etiam magistratus liberis suffragiis fuisse electos. Quamvis igitur Imperator jus eligendi magistratus in se recepisset, Comitia tamen ipsa, quae demum sub ipsius filio et Successore *Tiberio* abrogabantur, non plane sustulit, populoque magistratus quosdam minores creare permisit, cavens tamen, ne qui per ambitum indigni, aut qui displicerent Sibi, eligerentur, et ut in universum nihil in illis praeter ipsius voluntatem ageretur. In eligendis vero magistratibus hanc sibi legem proposuit, ut omnes antiquitus constitutos magistratus, Consulatum, Praeturam, Censuram, Tribunatum, Aedilitatem et Quaesturam retineret quidem, sed potestati eorum, integro tamen honore relicto, plurimum detraheret. Ex omnibus magistratibus solum *Consulatum* adjuncto sibi veteri more Collega saepius ipse gessit, imperatoria dignitate haud indignum judicans, si summo reipublicae magistratu ipse fungeretur; ceteros vero magistratus majores, quamvis omnem eorum potestatem in se traxisset, ipse quidem non gessit, sed designavit, qui suo nomine gererent, sibique in gerendo munere obnoxii essent. Quapropter, quum aliquando Senatus primis imperii sui annis *Censuram perpetuam*, qui magistratus post Consulatum semper in summo fuerat honore habitus, sic, ut Consulares tantum Viri florente republica cum gerere possent, ipsi obtulisset, non accepit, sed statim duos nominavit Sub-Censores; magis gloriosum putans, si nominaret, qui suo nomine Censuram ge-

terent, quam si ipse fungeretur. *Pontificatum* contra, quem vivo Lepido recusaverat, quia religiosum erat apud Romanos, viventis Pontificatum capere, mortuo illo cupidus suscepit, haud ignarus, quantum firmamenti imperio suo adjiceretur, si jure etiam sacrorum tanquam Pontifex maximus uti posset, omnesque religiones et sacrificia in sua manu haberet. Antiquissimum quippe vinculum erat religionis cum republica romana, tantaque Romanorum superstitio, ut nihil ipsis in republica legitimum videretur, nisi quod auspicatò factum, aut sacris ritibus ac caeremoniis esset sancitum. Proinde maxima semper erat vis Pontificum, Augurum, reliquorumque Sacerdotum in publica omnia reipublicae negotia, et, si quid magni in republica magistratus volebant efficere, religionis integumento debebant uti, Pontificumque autoritate adjuvari. Itaque Caesar etiam suscepto pontificatu ad roborandum imperium omnem dedit operam, ut collegiorum sacerdotalium studia templis exstruendis et ornandis, ludis sacris habendis, et antiquis ceremoniis restituendis in se traheret. Tradit Suetonius, Caesarem non solum plures aedes sacras opulentissimis donis instruxisse, sed in cellam Jovis Capitolini unicam sedecim millia pondo auri, gemmasque et margaritas quingenties HS. (2½ Million Werth) una donatione contulisse. Inprimis vero heic notandum est, eum recepta pontificali dignitate statim libros Sibyllinos, in quibus fata imperii perscripta ferebantur, quosque nemini, nisi Quindecim

Viris sacrorum inspicere permissum erat, revidisse, eosque, ut sub sua essent tutela, condidisse in aede Apollinis, quam in palatino monte suis aedibus contiguam aedificaverat; ludos etiam seculares ex praecepto librorum istorum fatidicorum instaurasse, et splendidissimo apparatu celebrasse, quoniam ludorum istorum celebratione romani Imperii perpetuitatem firmari romana superstitio credebat. Suscepto etiam pontificatu aedes Caesaris palatinae hactenus privatae *publicae* factae sunt et quasi sacratae, quoniam solus Pontifex publice olim habitare consueverat, unde sine dubio factum est, ut ab aede publica palatina primi Imperatoris Octaviani sequentium Imperatorum habitationes *sacra palatia* vocarentur. — Ceterum longum esset, si, quae mutata sunt ab Augusto in jurisdictione veterum magistratuum, enumerare velimus; aliqua tamen, quae prudenti et salubri consilio ab eo novata sunt his in rebus, non sunt praetereunda. Ita quidem vetuit, ne magistratus urbani deposito honore statim in provincias mitterentur cum imperio militari, ne militum compotes facti ad novas res moliendas tentarentur, atque ut provinciales eo mitius tractarent, si per aliquod tempus privatam vitam egerint; ita porro sanxit, ut proconsulibus ad mulos et tabernacula, quae alioqui publice locari solebant, certa pecunia constitueretur; et ut cura aerarii a quaestoribus urbanis ad praetores transiret. Denique, ut plures partem administrandae reipublicae caperent, nova

etiam munera et officia constituit; curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberini, annonae et frumenti populo dividundi, et Urbis praefecturam, antiquitus jam quidem absentibus Consulibus usurpatam, nunc autem ab Imperatore revocatam, et separata ab natu magnaque civili jurisdictione auctam; in quibus officiis novis constituendis non solum ad imperii sui gloriam, sed maxime ad populi civiumque romanorum utilitates respexit. Ad illustrandum commendandumque universo populo imperium plurimum etiam contulerunt saluberrima instituta et leges, quibus luxuriam et libidines, gravissima tum civitatis mala compressit, cura Imperatoris assidua, ut omnium civium classibus jus ex aequo diceretur; modica denique tributa civibus imposita, in quibus exigendis sollicite providit, ut pauperiores sublevarentur. Hac in re Imperator eam tenuit legem, ut ad publicos sumtus tributa subditis et provincialibus imperarentur, cives maximam partem immunes essent, et gratuito tantum pecunias conferrent. Quidquid a civibus romanis exigebatur, non pro arbitrio e facultatibus eorum repetebatur, sed ex eorum quaestu et luxu, quo factum est, ut immensa divitum luxuria saltem ad aerarii utilitatem verteretur. Omnium etiam vectigalium et publicorum agrorum administratio tam prudenter erat excogitata et disposita, ut aerario ad expensas publicas pecunia aut fides deesse non posset. Plebem vero, infimam quidem, at, si numerum spectes, haud spernendam ho-

minum classem facile sibi devinxit Caesar ludit et spectaculis varii generis, maxime autem largitionibus et numariis, et frumentariis, bene sciens, pane et Circensibus satis expleri plebis desideria. Tradit Dio Cassius, numerum eorum, qui frumenta publica gratis acciperent, ab Augusto ad ducenta millia definitum fuisse, quorum quisque pretium LX denariorum i. e. 12 fl. acceperit, quod summam efficit per annum 2'400000 fl. Hoc loco non est praetermittendum, quantum prudentiae Caesar inprimis in procurandis ludis publicis declaraverit, quorum quidem omnium ordinum cives erant studiosissimi, et qui praecipue ad religionem pertinere, atque ita partem reipublicae constituere videbantur. Quippe cum Caesar omnium ludorum publicorum procurationem Praetoribus atque Aedilibus olim commissam in se transferret, imperio suo novum splendorem et novam simul gratiam omnium civium conciliavit. Veteri quidem more magistratus isti suis sumtibus ludos tanquam munera populo dare consueverant; unde factum est, ut opes suas saepius exhaurirent, atque ita ad res novas moliendas, aut ad diripiendos socios incitarentur, quum in provincias abiissent. Itaque huic etiam malo occurrit Caesar ludorum procuratione sibi ac Senatui reservata. Omnes vero ludos, quos edidit, summa egit magnificentia, memor, in tot atque tantis imperii sui subsidiis pecuniam nunquam sibi ad istos sumtus defuturam, et in re, ad majestatem imperii populique romani gloriam spectante sumtuum non esse rationem habendam. Utque eo magis magnificentiam ludorum, quae Romae habebantur, augeret, et spectatorum confluxu celebriores eos redderet, ludorum in

aliis urbibus frequentiam et licentiam graviter coercuit. Sed ut Augustus ludorum copia, varietate et magnificentia Romam tanquam Caput et sedem imperii illustrabat, ita quoque Urbem splendidissimis operibus publicis et aedificiis exornabat, et pro salubritate et securitate urbis summa vigilabat assiduitate. Inter praecipua publica opera ab eo exstructa *Suetonius* nominat Forum novum cum aede Martis Ultoris, Templum Apollinis in Palatio adjunctis porticibus cum Bibliotheca latina atque graeca, aedem Jovis Tonantis in Capitolio, Theatrum Marcelli, porticus et basilicam Caji Luciique nepotum, item porticus Liviae uxoris et Octaviae sororis. At non ipse solum talibus monumentis urbem exornavit, sed amicos etiam suos hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis urbem adornarent; inter quos etiam tam flagranti studio eminuit gener *Agrippa*, ut in urbe splendidissimis monumentis decoranda cum socero suo decertaret. Qui supra nominati sunt magistratus novi ab Imperatore constituti, satis declarant, quanta solertia salubritati urbis et necessitatibus atque commoditatibus incolarum prospexerit, non minori autem studio eum quoque pro custodia urbis et securitate publica invigilasse, hinc luculenter apparet, quod sex millia militum Urbis praesidio destinaverit, quadrifariam divisa, nocturnos praeterea custodes sive vigiles instituerit, qui dispersi per muros vigilias agerent, et ad fortuita incendia aut quoscunque casus subitos statim parati essent, totamque urbem in XIV. regiones s. vicos descripserit, singulisque regionibus ex plebe aliquos praefecerit, qui vicorum curatores vocabantur, tribunisque plebis et

praetoribus suberant. Quantopere haec prudenter instituta ad comprimendos quoscunque motus subitos aut clandestinos et ad firmandam securitatem ac tranquillitatem publicam valuerint, per se intelligitur. — Ex moribus etiam Augusti et ex privata ejus vita eminuit egregia prudentia. Etenim non solum in consuetudine cum aliis privati hominis facilitatem, humanitatem et comitatem prae se tulit, sed in domestica etiam vita inanem pompam fastumque omnem aversatus est, imperatoris potestate contentus. Munificus et liberalis in alios, et magnificus, atque sumtuosus, si majestas imperii postularet, ipse in quotidiano victu et epulis, in supellectili, atque in vestitu frugalis erat atque simplex, et ab omni luxu alienus. Ad ministeria domus non publicis, sed privatis utebatur ministris, libertinis quippe et servis, quibus etiam, si fidem sibi probassent, praemii loco minora negotia in vectigalibus reipublicae exercendis permisit, nunquam vero imperii partem commisit; sollicite cavens, ne extollendo istos homines ingenuorum animos offenderet. Aulici apparatus tum quidem nondum erant inventi, sed varia aulae ministeria et officia a serioris aetatis Imperatoribus demum excogitata sunt. Ut etiam populo Romano, cui praeerat, honorem conservaret, in jure civitatis servis aut peregrinis dando sic fuit parcus et difficilis, ut filio Tiberio, pro cliente Graeco petenti rescriberet: „non aliter se daturum, quam „si praesens sibi persuasisset, quam justas petendi causas „haberet;“ atque ut dilectissimae adeo Conjugi Liviae, pro tributario Gallo roganti, civitatem negaret, immunitatem offerret: affirmans „se facilius passurum, fisco aliquid

„detrahi, quam civitatis romanae vulgari honorem." In puniendis delictis ad clementiam magis quam ad severitatem propensus, privatis etiam offensionibus et malevolorum criminationibus facile indulsit, tantaque aut animi generositate aut prudentia excelluit, ut quibusdam etiam, qui vitae insidias struxerant, ignosceret. Tradit Suetonius, eum aliquando Tiberio, graviter apud se per epistolas de licentia criminatorum famosos etiam libellos spargentium conquerenti, ita rescripsisse: „Noli, mi Tiberi, nimium „hac in re aetati tuae indulgere, et nimium indignari, „quenquam esse, qui de me male loquatur. Satis est enim, „si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit." Solertiam Augusti in administranda justitia supra jam attigimus, qua providit, ut omnes causae privatorum ex aequo et justo incorrupte cognoscerentur. At, cum intelligeret, quantum intersit reipublicae, ut jus omnibus et singulis ex aequo diceretur, non solum sapientissimas tulit leges judiciarias, judicesque de sanctissimis officiis saepius admonuit, sed ipse etiam assidue pro tribunali jus dixit, causasque cognovit, neque adeo in amicorum causis, quasi privatus esset, patroni et testis partes suscipere dedignatus est. In publicis honoribus talem denique ostendit modestiam et verecundiam, ut nullos ipse sibi sumeret, aut decerni curaret, sed sponte etiam oblatos et decretos saepius recusaret. Hoc tantum permisit, ut pro ipsius salute nonnunquam vota fierent, atque ut sui natales ludis Augustalibus ab Senatu institutis quotannis celebrarentur. Concursus etiam populi, acclamationes, plausus et nimias adulationes tanta diligentia vitavit, ut, quoties ex provinciis rediret,

noctu semper Urbem ingrederetur, ne populus ipsi obviam iret. Ipse vero saepius et e palatio et in publico populum salutavit. Talibus moribus et virtutibus civilibus cum insignitus esset Augustus, summum totius populi benevolentiam et reverentiam sibi peperit, imperiumque omnium Ordinum civibus commendavit. Ex omnibus jam, quae hactenus de arte Augusti in condendo et firmando absoluto imperio dicta sunt, facile explicari potest, cur de successione imperii hereditaria lege per Senatum lata nihil unquam sanxerit, aut sancire cogitaverit. Quippe cum ab initio callido consilio imperium tantummodo ad tempus reciperet, illudque per temporum intervalla prorogari sibi ab Senatu pateretur, incongruum certe fuisset, si de hereditate imperii aliquid per Senatum voluisset definire. Deinde vero, cum imperium satis firmatum domumque et familiam praevalidam cerneret, haud amplius opus sibi esse intellexit, consulere Senatum, cui post mortem suam summum imperium vellet decernere; sed potius hoc inter arcana domus et imperii retulit, ut heredem imperii ipse nominaret et testamento scriberet, sicut ipse etiam a Patre adoptivo heres imperii testamento designatus fuerat. Itaque, postquam propriam stirpem morte amiserat, privignum Tiberium in familiam suam recepit, et imperii collegam assumsit, satis habens, ostendisse Senatui atque populo, quem sibi in principatu vellet succedere. Etenim, quum Romanos longo suo principatu

unius imperio dudum assuetos cognosset, nec jam quemquam in tota republica superesse sciret, qui de imperio cum familia sua potuisset contendere; certo etiam praevidit, nec Senatum filii imperium esse detrectaturum, sed potius lubenter novi principis jussa accepturum. Ita quidem sine peculiari lege hereditatis imperium in familia Caesaris per manus traditum est, donec, extincto in Nerone Caesarum genere milites, per quos antehac conditum fuerat, jus Imperatores creandi, proclamandique per aliquod tempus sibi arrogarent, solo confirmationis honore Senatui relicto. —

Exposita hactenus Augusti prudentia circa praecipuas principatus partes, reliquum est, ut nonnihil etiam de illius prudentia in nova rei militaris constitutione ad principatum sibi firmandum dicamus. Nempe Caesar, intelligens, in militibus non solum imperii robur, sed imperatoriae etiam potestatis atque dominationis maximum firmamentum esse positum, ab auspiciis recepti ab Senatu imperii hoc maxime egit, ut milites in sua potestate *solus* haberet. Proinde, ut Senatum ab imperio militari prorsus excluderet, sed speciem tamen imperii relinqueret, provincias statim cum Senatu partitus est, eique infirmiores, quia nimirum pacatiores essent, assignavit, potentiores, ut quae plus periculi vel propter hostium vicinitatem vel propter intestinarum turbarum occasionem ostenderent, sibi retinuit. Gubernationem etiam omnium provinciarum talem insti-

tuit, in qua imperium militare a civili administratione esset disjunctum, atque separatum, sic, ut alii militibus, alii civilibus praeessent negotiis. Proconsules, quo nomine appellabantur, qui senatoriis praeessent provinciis, mittebantur *sine* imperio, aut, quod idem est, nullam fere aut admodum restrictam habebant potestatem in milites; contra Propraetores, quo nomine isti vocabantur, quos Caesar suis provinciis praeficiebat, mittebantur *cum* imperio, hisque permissum erat, ut habitum gestarent militarem, gladio accingerentur, et jus militis capite plectendi haberent, ita tamen, ut, si ignominiosae aut capitis poenae in ordinum ductores statuendae essent, res ad Caesarem referretur. Aliud in re militari novum institutum ab Augusto primum inventum erat *conscriptio militis perpetui* e civibus, foederatis atque subditis delecti, qua prudenti et amplificati nunc et inprimis pacati imperii rationibus plane congrua institutione cautum est, ut ubique robustissimi, quique sibi ipsis alendis minime sufficerent, in exercitum conscriberentur, reliqui alia obirent munia, et ab armis operibusque bellicis vacarent. Olim quidem romani moris fuerat, ut propter continua reipublicae bella cives semper in armis essent, legionesque ex omnium civium classibus ad tempus deligerentur; quo fiebat, ut, quamvis legiones saepius dimitterentur, novaeqae in locum missarum conscriberentur, reipublicae tamen nunquam deessent milites armorum usu exercitati; nunc autem re-

publica pacata satius videbatur Augusto, istos maxime, a quibus propter incultos mores atque paupertatem turbae metuendae essent, ad militiam vocari, diutiusque sub signis et imperio militari retineri, atque in armis perpetuo exerceri, ut, si bellum ingrueret, semper essent, qui pro reliquis civibus contra hostes externos pugnarent. Utque conscribendi ad militiam eo lubentius nomina darent, ad certam stipendiorum et praemiorum formulam (Capitulation) eos adstrinxit, definitis pro gradu cujusque et militiae temporibus missionum commodis. Aluit vero Augustus ex recensu Dionis Cassii XXV Legiones civicas s. e. civibus conscriptas, provinciatim distributas, propriisque nominibus insignitas, quae, quum una legio tum temporis constaret sex millibus, exercitum conficiebant militum 150000, praeter auxilia foederatorum, atque subditorum, quorum numerum Scriptor ille non iniit. Accedebant his milites praetoriani ad custodiam Caesaris decem mille, divisi in decem cohortes millenarias, et ad urbis custodiam sex mille, quorum supra jam mentionem fecimus; porro Equites extraordinarii Batavi et Evocati, denique classiarii duarum classium; quarum una Miseni, altera Ravennae ad tutelam superi et inferi maris collocata erat. Si numerum omnium harum copiarum militarium adjectis etiam equitibus legionariis, quorum tum in una legione erant ad minimum sexcenti, ad probabiles rationes computamus, credibile est, totum robur exercitus imperatorii nos

minori numero constitisse, quam 250000 — usque ad 300000 capitibus. Ad tantum exercitum in pace perpetuo alendum requirebantur extraordinarii sumtus, quibus praestandis haud sufficiebat aerarium publicum. Itaque Caesar instituit aerarium *militare* (Kriegs-Casse) cum novis vectigalibus, tam sapienter excogitatis, ut ad alendos milites sufficerent quidem, neque tamen cives nimis onerarent. Quippe non repetebantur ex re familiari atque agris et possessionibus civium, sed ex quaestu, atque ita facilius tolerabantur. Operae pretium est, breviter tantum indicare, quae subsidia ab Augusto inventa et parata fuerint aerario militari. Ipse primum ex suis pecuniis magnam intulit summam, civibusque liberam fecit potestatem, quantum vellent, conferre. At, cum parum inde rediret, aerarioque militari certi reditus essent assignandi, jussit vendi partem publicorum agrorum bello partorum fiscoque addictorum, qui hactenus fuerant elocati. Inde non solum permagnam pecuniae summam confecit, sed effecit etiam, ut agri jamjam melius a possessoribus colerentur, atque ita ex illis in posterum plus rediret. Sed cum videret, nec venditionem agrorum suffecturam, et perenni quodam subsidio opus esse, consulto in hanc rem prius Senatu instituit, ut vigesima pars (5 P. C.) hereditatum et legatorum exceptis tamen, quae proxime genere junctis et pauperibus relinquebantur, et quinquagesima (2 P. C.) pretii servorum venditorum in aerarium militare inferretur,

utque pecunia Praetoribus ad ludos gladiatorios ex aerario communi hactenus numerata ad usus militares destinaretur. Quali autem prudentia et civilitate Caesar in jubenda vigesimae pensione processerit, hoc loco non est tacendum. Etenim, quia mox intelligebat, pensionem hanc omnibus adeo esse molestam, ut motus quosdam excitare videretur, misso in Senatum libello aliorum redituum excogitandorum negotium dedit, non, ut abrogaret id tributi genus, sed, ut nullum aliud eo acceptius ipsis invenientibus, id ipsum vel ab invitis absque sua invidia confirmaretur. Cum vero in Senatu dictis hinc inde sententiis nihil esset inventum, multique tamen significarent, se quidvis aliud facilius toleraturos, quam vigesimam, Caesar haud moratus in agros et domos pensionem transtulit, statimque alios alio dimisit, qui privatorum et civitatum facultates describerent, non ostendens, quantum aut quo modo cuilibet pendendum esset; quo facto, quum singuli majorem jacturam vererentur, vigesimam pendere malebant.

In tractandis militibus ipsis Caesar disciplinae severitatem cum lenitate prudenti temperamento ita miscuit, ut omnem exercitum in fide atque obsequio facile contineret. Stipendium legionariis constituit praeter frumentum denarium in diem, (12 kr.) praetorianis duplum (24 kr.) variisque praemiis eos, qui quacunque ratione bene aut praeclare meruerant, affecit. Quia vero multi tamen exiguitatem praemiorum militarium aegre ferebant, nec ultra tempus mi-

litiae constitutum remanere sub signis volebant, constituit, ut praetoriis cohortibus, si sedecim annos meruissent, viritim vicena millia nummûm HS, (s. 1000 fl.) reliquis militibus legionariis viginti annis militiae exactis duodena millia (s. 600 fl.) solverentur.

Uti vero liberalis erat et munificus in milites, ita quoque severissimus fuit in tuenda militari disciplina, sine qua neque internam neque externam imperii securitatem munitam esse bene sentiebat. Itaque cavit, ut legiones in stativis diligenter in armis exercerentur, saepius etiam translocarentur, ne quid mali aut lascivi moris diutius commorando in iisdem locis induerent. Hunc in finem militares etiam instruxit vias per totum imperium, quibus cum impedimentis commode commeare possent. Eodem consilio prospexit, ut militiae duces haud minus, quam gregarii milites majoribus imperiis parerent, gnarus, eo lubentius milites in obsequio mansuros, cum vidissent, decuriones etiam et centuriones pari severitate coërceri. Ad continendam luxuriam et licentiam majorum militiae praefectorum jussit eos, modica habere praetoria, et legatos adeo, summos militiae duces post Praetores prohibuit, uxores et liberos secum habere in hibernis atque aestivis, nec cuiquam eorum, nisi gravate, et hibernis demum mensibus permisit, uxores intervisere. Poenas militares pro gradu et genere delictorum varias constituit, et, cum vellet, honoris maxime stimulo milites ad of-

ficia compelli, ignominiosas etiam quasdam poenas excogitavit, ut metu turpitudinis a delictis arcerentur milites. Centuriones signis aut stationibus desertis itidem, ut manipulares capitali animadversione puniendos jussit, ita tamen, ut de ordinum ductoribus, si capitale quid commiserint, ad se antea referretur. Quando manipuli, cohortes, aut universae legiones imperio militari resistebant, aut contra illud conjurabant, decimatione olim jam usurpata usus est, ut, licet poena ad paucos, terror tamen ad omnes perveniret; nonnunquam etiam, si commodius videbatur, immorigeros cum ignominia dimisit. Ita quidem teste Suetonio decimam legionem contumacius parentem cum ignominia totam dimisit; itemque alias immodeste missionem postulantes citra commoda emeritorum praemiorum exauctoravit. His omnibus in re militari sapienter institutis Augustus imperatoriam dignitatem et potestatem tanquam firmissimis praesidiis munivit, eamque apud exercitus quoque sacrosanctam et vere augustam effecit. Quapropter etiam, ut majestatem suam super omnes elatam ostenderet, statim post receptum imperium neque in concione, neque per edictum ullos militum ex veteri more *commilitones* appellavit, sed *milites*; ac ne a filiis quidem imperio militari praeditis aliter appellari passus est, addita ratione et excusatione callide excogitata; „*ambitiosius* id se existimare, quam aut ratio militaris aut „temporum quies, aut sua domusque suae majestas „postularet." —

Commemoravimus jam strictim et ex fide bonorum Autorum, Suetonii maxime et Dionis Cassii praecipua omnia, quae ab *Octaviano* ad condendum absolutum imperium facta sunt, e quibus omnibus tanta tamque insignis elucet prudentia, ut mirandum non sit, neminem etiam unquam in firmando imperio fuisse feliciorem. Qui accuratius examinaverit, quae indigitare tantum nobis licuit propter scriptionis modum, facile inveniet, nihil a reliquis, qui post Augustum vixerunt, novorum Imperiorum Conditoribus neque factum, neque ab his, qui de parandi absoluti imperii artibus et rationibus scripserunt, esse monitum, quod non olim jam ab Octaviano, primo Imperii Romani Conditore inventum fuisset atque tentatum. Neque vero prudentiae solum sed moderationis etiam in absolutae potestatis usu exemplar praeclarissimum praebuit Augustus, quod, si omnes, qui imperiis praesunt, sequerentur, nihil salubrius humano generi et civitatibus excogitari posset tali imperio absoluto nullisque limitibus circumscripto. —

XXII.

DE UTILITATE RECTAE ET LIBERALIS LITERARUM SACRARUM INTERPRETATIONIS IN SCHOLIS GYMNASTICIS.

1806.

Quemadmodum philologica studia diligensque lectio classicorum antiquitatis Scriptorum ex communi omnium Doctorum consensu optime adolescentibus viam parant atque muniunt ad solidiorem cujuscunque generis eruditionem accuratioremque scientiarum cognitionem, ita inprimis futuro Theologo et religionis Doctori sive populari, sive erudito et academico ad consequendam plenam veram et sinceram christianae religionis scientiam nihil magis necesse est, nil magis commendandum, quam solers et assiduum literarum sacrarum praesertim Novi Testamenti studium grammaticis et philologicis lin-

guarum sacrarum studiis velut firmissimo fundamento superstructum. Ceteras quidem scientias, quae ex scriptis vetustatis non tanquam ex proximo, unico aut primario fonte derivantur, addisci posse, levius duntaxat et imperfectius, absque erudito linguarum studio, aut veterum Classicorum pleniori notitia et curatiori lectione, non plane negaverim; Theologum vero neminem esse posse, nisi eum, qui rectam solidamque sibi comparaverit sacri Codicis intelligentiam, ex quo tanquam unico fonte omnis revelatae religionis cognitio hauritur, omnia christianae doctrinae capita derivantur, nemo est, qui dubitet. Quantum igitur intersit, ut adolescentes Theologiae consecrati mature familiaritatem quandam sibi contrahant cum libris Scripturae sacrae, inprimis novi Foederis, et grammatica et philologica interpretatione librorum istorum, sensuumque, qui in illis continentur, rite imbuantur, per se patet. Liceat itaque mihi indicturo hoc programmate anniversarium publicae valedictionis actum, cum ex aliquo jam tempore hoc mihi munus impositum sit, ut auditoribus nostris Theologiae studio destinatis novi Testamenti libros philologice explicarem, de hac re gravissimi momenti aliqua disserere, quae mihi, negotium hoc, quanta poteram, religione tractanti subinde in mentem venerunt. Ita vero versabor in hac materia, ut in universum primo breviter indigitem, quid ad solidam et liberalem N. T. interpretationem philologicam requiratur, tum de finibus

exponam, qui in scholis gymnasticis Doctori gymnastico hoc in negotio servandi sint, denique, si paginarum angustia permittet, de necessitate ac utilitate ejusmodi interpretationis aliqua adjiciam, ostendamque, quanti inde fructus ad efformandos aliquando veri nominis Theologos et ad tuendam ipsam rem christianam, ne quid ultra nostro revelatae religioni tam inimico seculo detrimenti capiat, redundare debeant. —

Ad rectam solidamque interpretationem philologicam librorum N. T. primum requiri accuratam linguae graecae, qua scriptores sacri utebantur, cognitionem, per se intelligitur. Itaque Doctor, qui recte interpretari vult libros N. T. discipulosque recta istorum librorum intelligentia imbuere, primum ipse usum loquendi scriptorum sacrorum bene cognitum et familiarem habeat necesse est. Cum vero usus loquendi in libris N. T. plane conformatus sit ad analogiam linguae hebraicae, et ad dicendi genus Alexandrinorum scriptorum Judaicorum, quorum dialectus graeca hebraici sermonis indolem redolet, sic ut plurimi loci plurimaeque loquendi formulae in N. T. obviae ex hac potissimum analogia explicari debeant, hebraicae quoque linguae naturam atque genium perspectum habere oportet N. T. interpretem. Neque tamen negaverim, ad explicandos et illustrandos S. S. locos saepius etiam utiliter adhiberi posse profanos Graecorum scriptores, cum multae loquendi formae scriptorum sacrorum etiam cum dictione et sen-

sibus profanorum consentiant, multumque hinc lucis accipiant. Primum itaque philologici interpretis officium hoc erit, ut studiose inquirat tum in usum loquendi sacris scriptoribus vulgarem atque communem, tum unicuique proprium, ut sollicite inter se collatis pluribus locis parallelis, in quibus eaedem voces et loquendi formae mox eodem, mox diverso sensu occurrunt, cujuscunque loci sensum eruat atque definiat, ut itaque in constituendo singulorum locorum sensu pro varia earundem vocum significatione attendat, quaenam locutionum significatio orationis totius nexui et consilio scriptoris optime respondeat, utque inprimis attenta ratione habita peculiaris et proprii styli et dicendi generis scriptorum biblicorum, quantum fieri potest, unumquemque ex se ipso explicet, sensumque variorum locorum ex locis parallelis apud eundem scriptorem obviis constituat atque definiat. Ita certe continget interpreti et doctori, ut non solum ipse altius in sensum verum literalem N. N. penetret, sed auditores etiam ad rectam librorum sacrorum intelligentiam adducat. Omnis enim justa interpretatio ex usu loquendi sacrorum scriptorum vel communi vel proprio desumenda est, quem itaque diligenter investigare et sequi debet interpres, et praecipue sibi cavere, ne vanis et arbitrariis opinionum commentis indulgens aut meris hominum autoritatibus nimium parens loca biblica in alienos a mente scriptorum sacrorum sensus detorqueat. Liberalis quippe interpretatio, quam

quaerimus, tantum abest ab arbitraria praejudicatarum aut novarum opinionum licentia, quantum a studio aliorum interpretum sectario distat, et a servili consuetudine, in aliorum verba jurandi; constat potius sobrio, verecundo, cum veritatis amore conjuncto, regulisque tum grammaticis tum hermenevticis accommodato judicio de sensibus scripturae sacrae, diligentique usu omnium subsidiorum, quibus in eruendo vero sensu sacrorum librorum adjuvari possumus. Huc quidem fontium instar referenda sunt scripta judaicorum aliquot Autorum qui sacris scriptoribus fere aequales fuerunt, et vetustiorum Ecclesiae patrum libri, tum vero etiam disquisitiones eruditae ab optimis priorum seculorum recentisque aevi interpretibus institutae de libris sacris N. T. tum historicis, tum, ut ajunt, dogmaticis, de rationibus temporum, locorum, personarumque, a quibus et ad quas exarati sunt, de consilio, quod scriptores in scribendis libris sacris praecipue secuti sunt, deque primario eorum argumento et fine, de collectionibus librorum sacrorum, eorumque autoritate divina et canonica, de ingenio, moribus et inprimis de opinionibus religiosis judaici populi, in quo Christus Servator prodiit, de diversa indole et ingenio ipsorum scriptorum sacrorum, quamque illud vim habuerit in ipsorum scripta, de diversis denique mutuis relationibus Neochristianorum tum ex Judaeis, tum ex Gentilibus, et sic porro. Pleniorem istiusmodi historicam primorum Christianae religionis temporum

notitiam erudito interpreti necessariam et perutilem esse ad rectius constituendum sensum plurium N. T. locorum nemo infitiabitur; quisque tamen videt, ex omni hac eruditione prudentem interpretem in scholis gymnasticis ea tantum esse decerpturum, quae philologiae illustrationi locorum historicorum proxime inserviunt, et sine quibus ipsa explicatio grammatica et philologica manca esset et imperfecta. Philologicis itaque explicationibus praecipue inhaerebit Doctor gymnasticus, atque eadem sequetur principia, quibus etiam viri de interpretatione S. S. optime meriti, quamquam de sensu singulorum locorum inter se dissentientes ex antiquioribus *Grotius*, ex recentioribus *Ernesti*, *Michaelis*, *Morus*, b. noster *Storrius*, *Koppius*, *Rosenmüllerus* aliique secuti sunt, quorum plerique interpretandis scriptoribus profanis antea bene exercitati et versati ad explicandam scripturam sacram accesserunt, atque ita recta interpretandi ratione antea jam muniti plurimis etiam literarum sacrarum locis multum novae lucis attulerunt. Horum igitur virorum vestigiis liberali examine adhibito insistet doctor scholasticus, easdemque interpretandi regulas, quibus utendum est in explicandis scriptoribus profanis classicis, ad libros etiam sacros explicandos adhibebit, atque transferet. Neque etiam hac interpretandi ratione divinae autoritati librorum sacrorum quidquam derogatur aut detrahitur. Illa potius reverentia sancta, quae debetur libris divinam originem prae se ferentibus, et

sine qua nemo, nisi levis et importunus ad lectionem illorum librorum accedet, eo magis augebitur et confirmabitur, cum sana, liberali et sobria interpretatione invenerimus, oracula et doctrinas in illis contentas Deo plane dignas esse, cum dictamine et praeceptis rectae et incorruptae rationis pulcherrime conspirare, summisque humani animi desideriis optime satisfacere. Hac itaque via eo certius et facilius nobis persuadebimus, quam literae sacrae prae se ferunt originem atque autoritatem divinam, recte sibi vindicare; in illisque voluntatem Dei, divinaque de salvando genere humano consilia vere esse hominibus revelata et promulgata; lubentiusque fidem habebimus miraculosis etiam narrationibus, doctrinisque supra intelligentiam rationis humanae positis, quae in sacro codice continentur, quae, quanquam sanae rationi haud contrariae tamen ex principiis a natura ejus desumtis derivari nequeunt, et ex revelatione tantum cognoscuntur. Jam sublimis illa simplicitas, quae omnibus tum Veteris tum Novi Testamenti libris inest, quaque inprimis dicta et facta Servatoris Jesu Christi et Apostolorum distinquuntur, perspicuum prae se fert divinitatis characterem. Quaenam igitur causa esset, in dubium vocandi divinam vocationem hominum, talem linguam loquentium, qui, quanquam rudes et illiterati, tamen praedicant sapientiam et virtutem, qualem nullus unquam reliquarum gentium sapiens praedicavit, quorumque praecepta moralia et cum dignitate et

cum infirmitatibus naturae humanae sic consentiunt, ut necessitatibus illius accommodatissima videri debeant. Tales viri ab omni gloriae, honoris et opum studio et ab omni errore fanatico alieni cum se ipsos a Deo missos et inspiratos, doctrinamque, quam profitentur, ab eodem Deo sibi revelatam perhibent, quid causae esset, ipsorum testimoniis de se ipsis contradicere, aut fidem illis denegare, quando doctrinas etiam docent humanae rationi arcanas limitesque illius transgredientes, aut res et facta enarrant, quae a vulgari naturae cursu recedunt, praesertim, cum nemini adhuc acutissimorum revelatae religionis hostium contigerit, ex ipsa ratione demonstrare, nullam aliam Dei revelationem esse posse, nisi naturalem; extraordinariam itaque nullam esse propterea, quia modum illius ignoramus, nec perspicere possumus. — Sed, si discesserimus etiam a miraculis et mysteriis fidei, quae literis sacris continentur, jam in reliquis literarum sacrarum doctrinis moralibus, quas humana ratio perspicit, (quanquam et facta, quibus christiana religio nititur, et illius dogmata et praecepta moralia, in sacris literis tradita unum corpus efficiant) plurimum interest, ut de divina sacri Codicis autoritate nobis constet. Haec enim est ex acutissimorum Philosophorum consensu nostrae rationis conditio, ut in maximi momenti quaestionibus, de destinatione generis humani morali, ejusdemque statu post mortem semper fluctuet, neque ex se ipsa sine ulla formidine oppositi

quidquam certi possit statuere, nisi evidens quaedam accesserit divina autoritas, omnem excludens dubitationem. Facile hinc perspicitur, quam necesse sit, ut moralium quoque praeceptionum ratione habita nobis firmiter persuadeamus de divina N. T. autoritate. Interpres igitur N. T. nullam quoque praetermittet occasionem, divinam hanc autoritatem sacrarum literarum auditoribus suis commendandi, non, ut ipsos deterreat a liberali studio et interpretatione S. S., sed ut potius eos excitet ad altius explorandos et investigandos illius sensus, veritatisque amorem et sensum in illorum animis alat, qui certissimus dux est ad firmiorem persuasionem de divina sacrarum litérarum autoritate sibi comparandam. Eodem fine haud intermittet, sensus etiam pios et religiosos, qui in animis adolescentium incorruptis per se nascuntur inter lectionem biblicam, alere et acuere; quorum tanta vis est, ut non solum reverentiam sacris literis debitam augeant, sed in animis adolescentium etiam virtutem christianam excitent, eamque contra omnes hostium christianae religionis impetus per totam vitam tueantur atque muniant. Hac vera réverentia solidaque philologica interpretatione librorum sacrorum imbutus adolescens satis erit armatus et adversus temerarias eorum machinationes, qui nostra praecipue aetate, quamvis nulla plane philologica eruditione instructi tamen audent, divinam originem et autoritatem literarum sacrarum pernegare, earumque argumentum ad

fabulas referre infantiae humani generis scriptas; et adversus eorum interpretum lubidinem, qui de perpetuo morali pretio sacrarum literarum persuasi quidem, extraordinariam tamen revelationem tollunt, religionem christianam in mere naturalem convertunt, et propterea in narrationibus historicis N. T. quibus religio christiana superstructa est, omnem miraculorum fidem subvertere student, quo consilio saepissime coguntur arbitrarias plane et ineptas hypotheses in subsidium vocare, suas opiniones scriptoribus sacris ingerere et obtrudere, et ab justa et naturali significatione vocum et formularum, rectisque interpretationis regulis tantum recedere, ut nusquam sibi constent, et ipsi in explicandis S. S. locis miracula et portenta loquantur. —

Haec de necessitate et utilitate rectae et liberalis sacrarum literarum interpretationis in scholis gymnasticis sufficiant. Propositum quidem erat, etiam de finibus, intra quos subsistere debeat doctor scholasticus in explicatione N. T. philologica, aliqua adjicere, tum methodum exponere, quam ipse hactenus in tractando N. T. usus fui, denique etiam aliqua monere de noxia et perniciosa vi, quam praesertim nostri seculi genius et recentissima philosophiae conditio ad interpretationem genuinam S. S. habeat. Sed, quum melius sit, de hac re gravissima nihil, quam pauca dicere, et paginarum angustia ulteriorem excludat orationem, jam finem faciamus, et nomina Juvenum ornatissimorum indicabi-

mus, qui absolutis cum laude studiis gymnasticis in Academiam abeuntes pio et laudabili more publicis orationibus sunt valedicturi. Qui quum dicendi materiam repetierint a monumento in Lutheri honorem nostra aetate proposito, hanc materiam sequentem in modum pertractabunt, et quidem,

ERNESTUS FRIDERICUS BLUM, *Stuttgard. Jur. Stud.* exordio a Monumento Lutheri ducto causas enumerabit, propter quas illustribus et de genere humano meritis viris monumenta ponuntur, lingua vernacula. Tum

ERNESTUS THEOPHILUS FRIDERICUS HOFFMANN, *Stuttgard. Theol. Stud.* varia hactenus in monumentum Lutheri publice prolata judicia recensebit, et sub examen vocabit linqua latina. Tum

JOHANNES AUGUSTUS CAMMERER, *Marbac. Theol. Stud.* aget de aetate ante Lutherum corrupta, lingua item latina. Denique

THEOPHILUS FRIDERICUS RAPP, *Stuttg. Theol. Stud.* Elogium magni Lutheri adjiciet, et eum gratiarum actione suo et commilitonum nomine valedicet.

XXIII.

DISSERITUR DE EO, FIDEM IMMORTALITATIS ANIMORUM NON POSITAM ESSE IN PHILOSOPHIA, SED IN REVELATIONE RELIGIONIS. 1807.

Quam pro veteri more indicimus anniversariam publicae valedictionis solemnitatem in Gymnasio nostro, eo majori cum voluptate hoc anno indicimus, cum nobis liceat in publicum conspectum producere majorem, quam superioribus annis, numerum. Juvenum ornatissimorum, qui non solum pietatis causa in scholam, in qua vel fundamenta literarum posuerunt, vel incrementa ceperunt, ad Orationes publice habendas sponte sua nomina professi sunt, sed qui etiam studiis atque moribus ita se probaverunt, tantaque cum laude et fructu scholas nostras hactenus frequentaverunt, ut jam bene praeparati optimisque

artibus satis instructi ad academica subsellia accedere posse videantur.

Qui quum propositam ipsis orandi materiam ex *religione* selegissent, haud alienum visum est, hoc programmate prolusionis loco ad doctrinam *de immortalitate animorum* cum religione magis adhuc quam cum Philosophia connexam ita quaedam commentari, ut, quum pateat, hanc doctrinam nunc etiam ex revelata Christi religione plurimum roboris ac firmamenti repetere, simul appareat, eandem doctrinam a veteribus quoque Graecorum philosophis non tam ex principiis rationis theoreticae et practicae, quam potius ex traditionibus religiosis fuisse haustam. Etenim, si monumenta Veterum revolvimus, atque omnia colligimus, quae a praestantissimis illorum Philosophis de animorum humanorum immortalitate praeclare ceteroquin et egregie tradita sunt, tamen inveniemus, omnes dubitanter de hac doctrina loqui, nec sine omni formidine oppositi, omnes de ea profiteri tanquam de re probabili, non autem certa, et extra omnem philosophicae rationis dubitationem posita; et propterea ad ipsorum vel aliorum animos persuadendos de hac doctrina et solatii plena et ad augendam virtutem tam salubri confugere ad sacras et antiquas traditiones (μύθους, ἱεροὺς λόγους, παλαιὰς παραδόσεις) aut etiam ad mysteria (τελετὰς, μυστήρια) sacrasque initiationes, ut hanc doctrinam argumentis etiam historicis et extrinsecus

ex Deorum revelatione petitis suffulcirent. Quae cum ita sint, quod breviter nunc demonstrabimus, facile intelligitur, veteres jam philosophos quaestionem de immortalitate retulisse magis ad religionem, quam ad philosophiam, et, cum ad evincendam hanc doctrinam haud satis praesidii invenire sibi viderentur in ipsa ratione et philosophia, usos fuisse ad veritatem illius confirmandam sacra quadam et divina autoritate; adeoque etiam in universum de gravissima hac doctrina pronunciasse non tanquam de re, quae *scientia*, sed quae *fide* constet, quae, quamquam *sciri* et *cognosci* nequeat, tamen debeat *credi*. Atque ita Veteres jam, quod hoc loco monuisse juvabit, ne quid sibi arrogent novissimae Philosophiae sectatores, qui *Kantium* sequentes longius ab eo aberrarunt, viam istis praeiverunt Philosophis, qui nostra aetate omne rationis humanae imperium, et dictamen in rebus extra sensum et visibilem rerum ordinem positis excludunt; his tamen humaniores, quod isti hominibus in re dubia fidem quidem reliquerunt, hi remota autoritate rationis autoritatem quoque fidei et religionis revelatae tollunt aut labefactant. Et nescio, quam constanter; cum posita rationis humanae imbecillitate, male subjiciatur ejusdem rationis humanae judicio autoritas religionis ad autorem Deum provocantis, quavis humana autoritate longe major et augustior.

Sed mittamus jam haec, et videamus allatis etiam quibusdam locis e scriptoribus veterum, quem-

admodum veteres Philosophi in tractanda doctrina de animorum immortalitate, de qua tam dubitanter statuerunt, sacras fabulas in auxilium adhibuerint, ut huic doctrinae traditiones illas superstruxerint, aut ex iisdem traditionibus illam derivaverint.

Varias atque diversas ab antiquissimis temporibus opiniones fuisse de natura animae illiusque statu post mortem, constat; neque hujus loci est, istas sententias exponere aut recensere. Fuere, qui, quod in rerum natura atque universitate nihil perenne aut stabile, sed omnia fluxa esse, fieri omnia, nec quidquam vere esse putarent, animos etiam mortales esse et cum corporibus interire existimarent, dum videlicet vim, quae corpus animat atque movet, non satis distinguebant ab ipso corpore, quod movetur; alii contra, qui intelligebant mutabilibus rerum phaenomenis necessario substratum esse aliquid, quod perduret, nec materiam sine mente aut spiritu rectore posse cogitari, animos etiam tanquam intelligentias immortales esse statuerunt. Itaque, cum animam totius mundi, quae illum commeat, Deum appellarent, animas etiam humanas intelligentes, quae corpora inhabitarent, divinae originis et tanquam particulas divinae aurae esse crediderunt, quae post mortem resoluto in elementa corpore redirent ad Deum aeternam mundi animam. Hanc immortalitatis notionem in se sublimem quidem, sed quae multis tamen premitur difficultatibus, in omnibus fere deprehendimus Philosophorum Graecorum syste-

matibus, inprimis apud *Pythagoraeos*, et *Stoicos*, neque tamen omnes hanc de immortalitate doctrinam cum *morali* hominis *natura* satis conjunxerunt, aut, si conjungere voluerunt, multis sese implicaverunt difficultatibus vix expediendis. Cum vero dogma de immortalitate maximum accipiat momentum ex cognita hominis natura morali, qua destinatus est, ut per virtutis studium atque exercitium in altera vita plenam perfectamque felicitatem consequatur, potissimum nobis videndum erit, qua ratione tractaverint illud dogma isti etiam Graecorum philosophi, qui rectius de natura hominis morali senserunt, quique clarius perspecta hac natura morali, hoc dogmate eum praecipue in finem usi sunt, ut virtutis studium in animis hominum accenderent, illisque persuaderent, in altera vita bonos praemia malos autem et impios poenas et supplicia manere. Inter hos primo loco nominandi sunt *Pythagorici*, eorumque princeps *Pythagoras*, qui de virtute vitaque beata primum rectius humanaeque naturae dignitati convenientius docuerunt, rudemque, quam ex mythica philosophia acceperant immortalitatis notionem, ita effinxerunt, ut illam morali hominis naturae multo melius accommodarent. Quippe et apud antiquissimos Graecos in barbarie versantes, uti apud omnes terrarum populos haec erat communis et ex ipsa natura fluens opinio et persuasio, animas corpori esse superstites, sed illa opinio, prout apparet ex *Homero* vetustissimisque poëtarum monumentis,

rudibus eorum sensibus et moribus plane respondebat. Vitam post mortem ad similitudinem hujus vitae sed multo tamen tristiorem sibi fingebant. Locum, in quem congregentur animae, *Haden*, ut ex etymo hujus vocis apparet, putabant esse tenebricosum, nullo sole collustratum, ipsos mortuorum animas umbras volitantes per Orcum et viventium simulacra. Nulla adhuc Tartari aut Elysii distinctio, nullae piorum atque impiorum secretae sedes. Cum his veterum Graecorum notionibus de inferno mirum in modum etiam congruunt notiones veterum Ebraeorum, apud quos uti ex pluribus locis V. T. luculenter apparet, infernus (שְׁאוֹל) commune et indiscretum erat mortuorum habitaculum, quique a Deo suo beatam quidem in his terris et terrestribus bonis affluentem, sed beatiorem vitam post mortem non expectabant. Rudes istas atque fabulosas opiniones primus inter Philosophos Graecorum correxit *Pythagoras*, ita tamen, ut prudenti consilio illas non prorsus rejiceret, sed tantum expurgaret. Is videlicet primus moralem inter hanc et futuram vitam nexum posuit, piorum sedes ab impiorum sedibus distinxit, atque ut spem bonis, malis metum faceret, hos a sceleribus arceret, illos ad virtutem excitaret, praemia apud inferos virtuti, poenas sceleri constitutas esse voluit. Ad hunc certe finem spectabant omnes illius decantatae doctrinae de *praeformatione* animarum earumque exitu ex *Hade*, *redituque* in eundem, tum de *purgationibus* earum post

vitam, deque *migrationibus* earum in alia corpora, per quas saepius in hanc vitam renascantur, deque magnis hujus mundi conversionibus post certa et magna temporum intervalla; quae omnes doctrinae, quamvis multis adhuc erroribus et figmentis inquinatae meliorem tamen socialis vitae cultum inter barbaros homines effecerunt. Ita certe Pythagorae ejusque discipulis haec debetur laus, quod isti primum usitatis de futura vita opinionibus et fabulis sic usi sunt, ut per illas in meliorem formam redactas vitam hominum emendarent; quodque primum viderunt, immortalitatem sine praemiis et poenis in altera vita propositis nec desideriis humanae rationis satisfacere, nec conditionibus vitae civilis et socialis convenire. Ductas vero fuisse omnes istas Pythagorae sententias non ex argumentis rationis, sed ex theurgia, ex divinationibus et ex traditionibus religiosis Graecorum, aliorumque populorum orientalium, inter quos Pythagoram peregrinatum versatumque fuisse constat, tum per se patet, tum ex historicis testimoniis certum est. Sed quanquam istae sententiae fictionibus niterentur, hanc tamen habebant vim, ut symbolice declararent alteram vitam statum esse *compensationis*, hancque veritatem ad sensus quasi revocarent; cumque praeterea istae sententiae ex ore Sacerdotum atque Vatum, qui a Diis inspirati esse credebantur, proficiscerentur, apud populum autoritatem quoque tenebant omnibus philosophorum argumentis longe superiorem. *Myste-*

piorum apud Graecos, inprimis *Eleusiniorum* eadem erat ratio, idem finis. In his etiam, ut in arcana Pythagoricorum disciplina meliores et rectiores tradebantur doctrinae de natura Deorum, et de providentia, inprimis de animarum immortalitate, earumque statu post mortem, deque piorum praemiis, scelestorumque suppliciis. Sed hae doctrinae arcano quodam velo tegebantur, quod, cum a vulgari doctrina publicisque religionibus abhorrerent, periculosum videbatur, eas communicare cum omnibus, aut etiam cum multis, et quod communicatae cum paucis rite antea initiatis eo plus ponderis, sanctitatis et autoritatis accipere videbantur. Memorabilis de hac mysteriorum ratione et disciplina locus extat apud Ciceronem (de Leg. II, c. 14.) ubi ille hanc de mysteriis sententiam profert: „Mihi, cum multa eximia divinaque videntur Athenae peperisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus: *Initiaque* ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus; neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum *spe meliore moriendi.*" Ex hactenus dictis satis apparet, dogma de immortalitate animorum apud veteres Graecos non tam ex principiis philosophicis quam ex sacris traditionibus fuisse haustum, iisdemque suffultum. — At novam forsitan lucem huic dogmati ex ratione affudit *Socrates*, primus inter Graecos philosophiae sanioris autor, qui maxime in hoc praestitit, ut de

Deo omnium rerum Autore, de illius Providentia in omnes res humanas, de perfectionibus Dei moralibus, de virtute etiam hominis vitaque beata, et de conjunctione generis humani cum Deo morali optime et rectissime profiteretur. Is etiam de immortalitate animae, deque diverso illius statu post mortem, quátenus pendet a perfectione hominis morali in hac vita multa egregie docuit: sed, quanquam posita animi immortalitate, diversum pro virtutis gradu statum illius post mortem statuat de ipsa tamen immortalitate nihil *affirmat*, et de illa tantum *ex hypothesi* loquitur, neque, ut a nostris philosophis factum est, virtutes Dei morales sapientiam, ejus bonitatem et justitiam in auxilium adhibet, ut exinde demonstret aut evincat immortalitatem animorum. Luculenter hoc perspicitur ex celebri illo Platonis dialogo, qui inscribitur *Phaedon*, in quo Socrates id praecipue agit, ut immortalitatem animi demonstret. At in ipso hoc dialógo, quod mirum est, *metaphysicis* tantum se continet pro immortalitate argumentis, in quibus, ut ex tota Dialogi structura apparet, sibi ipse non satisfacit, neque ulla ad confirmandam et adstruendam hanc doctrinam praesidia ex affectionibus Dei moralibus, de quibus ipse tam praeclare sensit, desumit; sed confugit potius veterum more in fine Dialogi ad *mythum* ex sacris traditionibus depromtum et eleganter expositum, per quem diversa hominum fata post mortem, locaque, per quae defunctis migrandum sit, copiose

sita delineantur, ut universum mythum ad Pythagoricae disciplinae placita compositum esse facile appareat. Ita quidem Socrates apud Platonem, quod argumentis philosophicis evincere se posse desperat, sacra traditione in auxilium adhibita studet fulcire et confirmare. Et cum iste mythus hanc potissimum habeat vim et rationem, ut per imagines atque symbola plane diversam bonorum atque malorum in altera vita conditionem designet, hoc etiam praeclaro consilio Socrates illum enarrat, ut discipulis commendet virtutis et sapientiae studium, sine quo nemo nec in hac nec in altera vita beatus esse possit. Itaque, quamvis nihil certi affirmet de immortalitate animi, egregie tamen docet, nihil homini prius et antiquius esse debere, virtutis exercitio, quia, *siquidem anima sit immortalis*, homo praeter virtutem et sapientiam nihil possit adferre in alteram vitam piorum praemiis, malorumque poenis destinatam. Operae pretium videtur, egregium hunc locum ex versione latina Ficini huc transscribere. Antequam enim Socrates ad expositionem mythi supra dicti accedit, his praeclaris et eximiis verbis auditores adloquitur: „Hoc autem, ait, o Viri justum est cogitare, *si anima sit immortalis*, eam non solum temporis hujus, in quo vivere dicimur, verum etiam universi gratia, curatione plurimum indigere. Jam grave periculum fore putandum est, siquis neglexerit animam. Si enim mors dissolutio totius esset, nimirum improbi lucrarentur, cum et a cor-

pore et ab eorum pravitate cum anima liberarentur. Nunc autem, cum anima immortalis *esse videatur*, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima et prudentissima fiat. Nihil enim aliud, cum migrat ad manes anima, secum transfert, praeter eruditionem et educationem.“ Pari dubitatione de animi immortalitate Socrates etiam loquitur in oratione illa ceteroquin eximia, quam ante mortem ad judices habuit, et quam ex Platone expressit Cicero (Tusc. qu. L. 1. c. 40.) hisce verbis: „Magna me spes tenet judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim, sit alterum de duobus; ut aut sensus omnino omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem, sive sensus extinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem adfert, dii boni! quid lucri est mori! aut quam multi dies reperiri possunt, qui ei nocti anteponantur? cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui e vita excesserunt, incolunt, id multo jam beatius est!“ — Quae nunc persequitur Socrates de usu virorum fortium et sapientum familiari ante se mortuorum in vita futura, ea non minus pulchra sunt et egregia; et ostendunt, jam Socratem felicitatis summam in futura vita posuisse in conjunctione arctiori cum beatis hominibus mortali hac vita

functis. Liceat unum adhuc adjungere memorabilem locum ex Cyropaedia Xenophontis, istius discipuli Socratis, qui maxime genuinam speciem adumbravit philosophiae praeceptoris sui, qui locus ex penetralibus disciplinae socraticae haustus quanquam probabiles contineat rationes, e quibus Socratici animos immortales esse sperabant, tamen confirmat, nec Socrati, nec Socraticis de immortalitate animi absque ulla dubitatione fuisse persuasum, eosdemque igitur haud ausos fuisse, certi aliquid de hac quaestione gravissima definire. In hoc loco a Cicerone etiam in latinum sermonem verso (de Senect. c. 22.) Xenophon Cyrum morientem, veluti disciplinae socraticae alumnum ita ad filios loquentem inducit: „Nolite arbitrari, filii, me, quum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; quum exissent ex iis, emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed, quum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam, quum hominis natura morte dissolvi-

tur, ceterarum rerum perspicuum est, quo quaeque discedant: abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt, animus autem solus, nec quum adest nec quum discedit, apparet. Jam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam. Multa enim, quum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, quum se plane vinculis corporis relaxaverint. Quare, si haec ita sunt, hic me colitote, ut deum; *sin una est interiturus animus cum corpore*, vos tamen Deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur, memoriam nostri pie inviolateque servabitis." Ex hactenus allatis locis, quamvis appareat, quam dubitanter Socrates, etiam et Socratici de animi immortalitate disseruerint, illud tamen hoc loco non videtur esse praetereundum, quam caste et pudenter graves isti et moderati antiquitatis philosophi in hac dubia ipsis quaestione fuerint versati, ut neque spem melioris vitae post mortem ab illa dubitatione excluderent, neque virtutis et sapientiae studium removerent, sed potius firmarent. Quanto amore, quanta admiratione isti videntur esse digni, qui sine certa exspectatione praemiorum futurorum per omnem tamen vitam virtuti et sapientiae ita se dederunt, ut mori mallent, quam impie agere, qui denique tranquillo et constanti animo morti obviam iverunt, hac una re persuasi, bono nihil unquam mali posse evenire nec vivo nec mortuo. Quanto studio, quanta

verecundia istius modi viros putamus amplexuros fuisse certam de immortalitate animorum beataque post mortem vita persuasionem, postea demum per divinam Jesu Christi doctrinam mundo illatam, qui fictas etiam fabulas publica religione sacratas modeste et verecunde adhibuerunt ad persuasionem immortalitatis animis hominum ingerendam! Quantum certe hi Gentilium philosophi differunt a multis recentiorum temporum, qui quidem ita nominari volunt, philosophis, qui, explosa rationis et revelationis autoritate, de animorum immortalitate non, quod ferendum esset, dubitant, sed eam frivole et audacter negant, quique sublata immortalitate simul omne virtutis atque vitii, boni malique discrimen tollunt, bonis dulcissimam praemiorum in altera vita spem eripiunt, malis contra et facinorosis peccandi licentiam et impunitatem proponunt! Sed haec hactenus. Revocanda est jam oratio nostra, unde digressa est, ad illam Gymnasii nostri solemnitatem, cujus gratia haec prolusimus, Lectoribusque significandum est, qua ratione Juvenes Ornatissimi, quos honoris causa nominamus, et qui publice verba facient, selectam ab ipsis dicendi materiam *de religione* inter se fuerint partiti. Primus itaque, qui cathedram conscendet

CAROLUS FRIDERICUS WECKERLIN, *Schorndorf. Jur. Stud.* necessitatem religionis ex hominis natura et populorum historia demonstrabit lingua vernacula.

JOHANNES GODOFREDUS PRESSEL, *Stuttg. Reg. Theol.* Sem. Tub. Stip. designabit indolem religionum antiquitatis, quae Polytheismo nituntur, inprimis apud Graecos et Romanos, cultiores vetustatis populos lingua item vernacula.

CAROLUS LUDOVICUS PARET, *Renning. Reg. Sem. Stip.* Mosaicae religionis genium, quae sola inter veteres religiones Monotheismo nititur, describet lingua latina.

JOHANNES FRIDERICUS GERBER, *Essling. Jur. Stud.* Religionis christianae praestantiam prae reliquis omnibus religionibus explicabit lingua vernacula.

CAROLUS HENRICUS LIESCHING, *Stuttg. Reg. Sem. Stip.* genium religionis christianae in perficienda hominis natura et virtute positum illustrabit lingua latina.

AUGUSTUS DE MANDELSLOHE, *Stuttg. Regis a cubic. Jur. Stud.* perorabit de Superstitione, tanquam re verae religioni maxime inimica et pestifera lingua latina.

ERNESTUS HENRICUS DE SCHÜTZ, *Hohenstein. Jur. Stud.* quantum ex adversa parte rerum divinarum abnegatio detrimenti afferat, indigitabit lingua germanica. Denique:

CAROLUS LUDOVICUS ROTH, *Stuttg. Reg. Sem. Stip.* descripta imagine hominis vere religiosi cum gratiarum actione Actum finiet.

Errata.

Pag.	lin.	
4	4	lege deficiente
—	8	l. non
5 —	11	l. Graeciae
8 —	5	l. quae
10 —	22	l. lacessebantur
14 —	5	l. tragoediae
15 —	10	l. addi
	21	l. rei
16 —	5	l. pepererunt
17 —	4	l. facit
19 —	17	l. nihil
25 —	4	l. fingat
26 —	19	l Robur
33 —	1	l. Tandem
—	2	l. Tragoedia
—	13	l. decernenda
—	20	l. Debebat
—	27	l. fabularum
—	31	l. occultius
35 —	1	l. παμμεγα
—	8	l. instituta
—	17	l. consummatum
36 —	ult.	l. gestas
in nota lin	2	l Phoenissae
38 —	15	l. frater
—	19	l. satellitibus
40 —	11	l. confluentibus
41 —	11	l. existit
43 —	9	l. facillime
—	23	l. Commentario
45 —	11	l. τραγικωτατοςγε
48 —	15	l Graecorum
—	17	l. Poëtae
not. lin.	1	l. της
—	3	l. και

Pag. 49 lin. 1 l. conscribendis
54 — 6 l. coepit
— 8 l. fabulae
60 — 1 l. ομοιον.
61 — 23 dele da
62 — 4 l. poenae
63 — 7 l. Tragoediae
64 — 14 l. tantummodo
65 in not. lin. 2. l. λεγειν
73 — 15 l. adhibendas
— 18 l. quatuor
75 — 1 l. si
77 — 24 l. graecae
not. lin. 4 l. miserunt.
78 — 4 l. posuerint
— 24 l. heroum
80 — 15 l. fabulae
84 — 13 l. nostrae
85 — 18 l. nequid
87 — 2 l. efficacius
90 — 6 l. profiteri
— 7 l. declarare
— 20 l. cultiores
95 — 9 l. causae
— 20 l. senatorii
— 23 l. patefacta
— 28 l. ab
99 — 17 l. post vocem alienus: sit;
100 — 6 in not. l. quas
102 — 7 l. non
105 — 6 l. judicium
112 — 4 adde: et
— 5 l. intererat
— 9 l. Virorum
— 11 l. Lectorem
113 — 1 l. sustineant
115 — 19 l. tractan-
117 — 16 l. potius
122 — 12 l. omnes
123 — 12 l. adhibeamus
128 — 13 l. tum
129 — 15 l Memorabilia
135 — 24 l. abruptum
142 — 13 l dissererem
143 — 21 l. flagranti
154 — 13 l. actiones
155 — 24 l. agentes
158 — 20 l. aratio
160 — 12 l. quae
187 — 21 l. expediri

Pag. 198 — 25 l. nonnunquam
201 — 22 l. revertitur
203 — 1 l. ab
205 — 13 l. et
— 14 l. est
220 — 28 l. tantum
305 — 28 l. ingenio
306 — 8 l. degens
310 — 1 l. recentiores
311 — 16 l. tanquam
312 — 15 l. morte
315 lin. ult. l. invidiam
320 — 23 l. ingenue
324 — 13 l. sepulturae
326 — 11 l. Quis
327 — 2 l. tyrannidis
— 5 l. esse
— 26 l. civitatis
330 — 21 l. oppressis
341 — 6 l. amorisque
342 — 25 l. ut
343 — 9 l. civilem
345 — 9 l. periclitantis
346 — 13 l. rogare
— 23 l. inveniant
349 — 5 l. summus
350 — 2 l. emerserint
351 — 20 l. Romane
352 — 19 l. consuevit
— 28 l. redundaturos.
353 — 3 l. diuturnus
356 — 2 l. tantum
357 — 16 l. cultissimorum
357 — 17 l. consocianda
359 — 11 l. fervent
— 14 l. impediri
— 18 l. eum
360 — 19 l. praescripsisti
361 — 11 l. prole
367 lin. ult. l. refutandis
372 — 23 l. atque
381 — 7 l. inimicitias
392 — 1 l. Diana
395 — 25 l. centenarium